OGYGIA: SEU RERUM HIBERNICARUM CHRONOLOGIA. EX PERVETUSTIS MONUMENTIS...

Roderic O'Flaherty, Giuseppe Garampi, ...

Digitized by Google

EX BIBLIOTHECA
JOSEPHI GARAMPII

Digitized by Google

Pitti p. 188

Firm p. 338.

OGYGIA:

SEU,

RERUM HIBERNICARUM CHRONOLOGIA.

Ex Pervetustis Monumentis fideliter inter se collatis eruta, atque è Sacris ac Prophanis Literis primarum Orbis Gentium tam Genealogicis, quam Chronologicis susflaminata præsidiis.

LIBER PRIMUS.

Ab universali Diluvio, ad annum Virginei partus 428.

In tres Partes distinctus.

QUARUM,

Prima Ogygiæ Insula; seu brevis Tractatus de Hiberniæ Insula, primis Incolis, variis Nominibus, Dimensionibus, Regibus, Regumque electionibus.

Secunda Ogygiæ Extera; seu Synchronismus, in quo Hibernorum tempora pariter, ac generationes cum Exteris accurate conferuntur.

Tertia Ogygiæ Domestica; seu Rerum Hibernicarum plenior, ac fusior dissertatio.

QUIBUS ACCEDIT,

Regum Hiberniæ Christianorum ab anno 428 ad annum 1022; aliorumque eventuum inde ad jam regnantem Carolum 2. brevis

CHRONOLOGICA TABULA.

Deinde Carmen Chronographicum summam omnium à Diluvio ad præsens tempus complectens.

Postremò Catalogus Regum in Britannia Scotorum, ex Hiberniæ Monumentis.

Authore *RODERICO O FLAHERTY* Armigero.

Memento dierum antiquorum; Cogita generationes singulas. Deuteronom. 32. 7.

LONDINI, Typis *R. Everingham*, Sumptibus *Ben. Tooke*, ad insigne Navis in Cœmeterio D. Pauli. A. D. 1685.

32. 1. C. 1

OGYGIA:

SEU,

RERUM HIBERNICARUM CHRONOLOGIA.

Digitized by Google

Sereniſſimo Principi

JACOBO

DUCI

Eboracenſi & Albanienſi.

ANtiquiſſima majorum tuorum incunabula, Dux Invictiſſime, Hibernia Antiquitatibus ſuis jam luce publica donandis veſtræ Celſitudinis patrocinium demiſſiſſimè implorat. Sed fandi imperitum nacta oratorem ipſa ſe canitie venerandam genubus veſtris advolvit, oculis intellectus contemplandam objicit atro Syrmate ad talos velata, caput cinere conſperſa, Lumbos cilicio ſuccincta, capillis à vertice defluentibus, cum Lachrymis in maxillis ejus: & paſſis manibus Librum porrigit, in quo ſcriptæ *Lamentationes, carmen, & væ*; Ezechiel. 2. 10. Threnodiam exhibet Hieremiæ prophetæ; *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor ejus.* Unicum eſt, in quo ſe gloriari

 geſtit

gestit, unam ex se emissam propaginem patris tui domum non supereſſe modo ex innumeris, quæ protulit germinibus, sed etiam omnibus Britannicarum Insularum gentibus summo cum imperio præluçere. Hoc unicum decus omnium, quas unquam passa est, ærumnarum jacturam reparat: hæc gloria omnibus omnium calamitatum suarum pressuris præponderat: ad hunc titulum nulla sibi potest in terris fieri accessio honorum; magnificentissimis sc. domus tuæ regibus primam dare originem, & tam potentissimæ stirpis Proto-parentem esse. Veterum quidem omnium regum Britonum, Anglo-saxonum, Normannum, Pictorum, atque Scotorum dominandi jura in Regiam vestram familiam hæreditario Sanguinis titulo devoluta sunt; Hibernia vero insuper paternam lineam longissima serie sibi primitus vendicat, uti & ex ea Scotia. Ex centum viginti quatuor, quæ te ab Adamo rectâ lineâ præcesserunt, generationibus, undecim erant ante Diluvium, viginti sex inde ad Majorum immigrationem in Hiberniam, quinquaginta una in Hibernia, & triginta sex in Scotia genitæ. Ex his porro quinquagenis viginti quatuor universæ Hiberniæ imperarunt, quibus adjungam, liceat,

liceat, patrem, & avum tuum Sereniſſimos M. Britanniæ Reges; ante quorum imperia Hibernia Anglicanis, aut aliis exteris legibus nunquam ſe ſubdidit, nunquam niſi priſcorum ſuorum Regum Stemmate prognatis, iisdemque à provinciarum etiam Pentarchis genus ducentibus parere animum induxit. Quamobrem ſuper hoc communi neceſſitudinis vinculo ita ad Cambrenſis Everſi authorem aliquando cecinimus,

——Regem victricibus armis
Nec ferro impoſitum invitis, ſed origine ab ipſa
Regibus oſtendis noſtro de Sanguine cretum.
Quis non Conarii, regna & Saturnia Quinti
Centimachi? Quis non animo memorabit Hibernus
Tempora jucundo clari pietate Briani?
Lageniæ, Ultoniæ, geminæque coivit in unum
Momoniæ regum jus, & Connactia, veſtrum.

Obſervatu ſane non indignum eſt, quanto, & quam abſtruſa operatione, quibus inveſtigabilibus viis Divina providentia, quæ in ſua diſpoſitione non fallitur, in auguſta Stuartorum domo eluxit. Quot hominum Myriades per M. Britanniam in Anglia, Wallia, Scotia? quot in Hibernia qui certis dominiis

longa

longa Serie præsederunt, vel qui ad alia, atque alia dominia sublimati: Quot erant, qui ad Summam dignitatem in suis singulis gentibus pervenerunt? quot, qui nepotibus suis varios principatus condiderunt semper perennaturos sibi polliciti? Quot etiam ad dignitates aspirarunt? Suâ, vel majorum virtute honores ambierunt? Dominandi Spem foverunt? Spe tamen omni tandem frustrati sunt, omnisque conatus incassum decidit. Sola tua domus, Princeps Magnifice, omnium Britannicarum gentium, ac Insularum dominia Sibi jure debita vendicavit. Nemo ab orbe condito ante avum tuum M. Britanniæ monarchiâ potitus est, nedum omnium Britannicarum Insularum (inter quas Hibernia) imperium adeptus. Varia à variis condita sunt per annorum millia dispersa regna, & dominia: hunc lapidem angularem destinavit, ut faceret utraque unum *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu* Deus, *cujus oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam*, Hierem. 32. 19. Adhunc lapidem in fastigio locandum Majores tuos, Dux felicissime, *quasi nutritius Ephraim portabat in brachiis suis, & nescierunt, quod curaret eos. In funiculis Adam trahebat eos, in vinculis charitatis.* Osee 11. 3.

Ex

Ex his Herimon, qui Scotorum primus in Hibernia regnavit; Fiachus Marinus Æneæ regis Hiberniæ filius, Ernaorum, & Deagadum regum Momoniæ progenitor: Ederscolius, nascente Christo, Rex Hiberniæ: Conarius, Christo in terris degente, & crucifixo, rex Hiberniæ, uterque è Deagadis Momoniæ: Carbreus Riada Conarii secundi regis Hiberniæ è Deagadis filius Dalriedinorum in Ultonia Sator, cujus tu Ultoniæ, Dux Inclyte etiamnum Comes es. Dalriedini, quos Ven. Beda * Dalreudinos vocat, in Britanniam tractu temporis transmigrantes, Albaniæ, cujus tu hodie Ducatus titulo in Scotiâ ornaris reges innotuere. Kinethus, Rex Albaniæ Pictorum dominium bello subegit, Fergusianæ aviæ Pictorum hæredis jure, ut Scotici produnt Scriptores; unde coalescentibus utriusque gentibus, ac prolatis in Northumbriam pomæriis, Scotiæ reges temporis progressu appellati. Deficiente tandem Dalriedinâ regiâ stirpe in Alexandro 3. Scotiæ diadema post 85. annorum interstitium ad Dalriedini stemmatis propaginem iterum rediit Robertum Stuartum; priorum Regum etiam jure, Scotiæ Regem ex maternâ prosapiâ. Hac denique Regiâ masculâ sobole extincta,

* *Lib. 1. cap. 1. Hist. gentis Anglorum.*

tincta, Henricus Stuartus ex eâdem Roberti Regis domo Dalriedinâ Leviniæ Comitibus ortus, quibus Levinia obtigit cum filiâ hærede Donchadi Levinii generis ultimi Comitis, Mariæ Sacræ memoriæ Scotiæ, & Franciæ Reginæ matrimonio junctus, Jacobum M. Britanniæ regem progenuit.

Hæc domus sicut inter florentissimas totius Europæ familias numeranda, ita generis antiquitate omnes totius terrarum orbis familias longe antecellit. Priscorum principum familiæ uti priscos ortus, ita priscos interitus habuerunt, jam vero extantium primordia non magis conferenda, quam ut flos, qui egreditur, & conteritur, & nunquam in eodem statu permanet. Unde de hac domo verè accinuit Buchananus in jam laudatæ Mariæ Reginæ Epithalamio.

Si Series generis, longusque propaginis ordo
Quæritur: hæc unâ centum de stirpe nepotes
Sceptriferos numerare potest. Hæc regia sola est,
Quæ bis dena suis includit secula fastis,
Unica vicinis toties pulsata procellis,
Externi immunis domini: quodcunque vetustum
Gentibus in reliquis, vel narrat fama, vel audet
Fabula

Fabula, longævis vel credunt Secula fastis
Huc compone, novum est.

Non heic à fictitiis Græcorum Diis genus mutuatum, non ex latronum asylo, & hominum colluvie cum Romanis deductum, non ab ementito Francione è Troiæ cineribus eruto cum Francis, aut à Subdititio Bruto parricida cum Britannis fortitum; non à personato Gotho Gothorum, Dano Danorum, Saxone Saxonum conditore, neque quidem ab opinativo Scotorum Fergusio primo, aut ejusdem farinæ, avos umbratiles heroas malè feriati ingenii homines somniarunt. Platonis in hoc Stemmate scitum refellitur pronunciantis *Neminem regem non ex servis oriundum* (apud Senecam Epistol. 44.) Nemo in hac antiquissimâ prosapiâ servus rectà ad Adamum usque reperiendus, nulli parentes nisi reges Scotiæ, aut regum Scotiæ proximi agnati, reges Hiberniæ aut regni Hiberniæ candidati; reges Momoniæ, aut Dalriedæ domini Regibus Hiberniæ fati, gentium foris per diversas regiones ductores, & decem primi Patriarchæ.

Has igitur patrum tuorum imagines Al-

titudini tuæ consecro, certissima regum progenies, non pictorum coloribus ductas, non poetarum inventis ornatas, sed ex intimis antiquitatum adytis absque fuco depromptas, quas antiquitates patrii scriptores à Seculo in seculum strictà, ac solutà oratione consignarunt, literis mandarunt, & permansuris membranis deposuerunt: quibus primarum Orbis gentium scripta suffragantur, cœli volumina ex Astronomorum scientia concurrunt, annorum periodi, & hebdomadum Systemata testimonium perhibent.

Non ignoro, Ducum Nobilissime, hæc rara generis tui encomia familiæ Principi, nobilitatis fonti dicanda esse opportere; Hiberniæ antiquitatum præsidium ab Hiberniæ rege petendum. Sed me à cæptis deterruit summa in regem meum observantia, detinuit pudor, metusque. Oculorum aciem perstrinxit summæ majestatis contemplatio. Intercessore mihi opus esse judicavi; & quem potius interponerem, quam qui à rege Secundus erat, & à quo sub rege nemo proximè Secundus: quem maternis visceribus cum rege natura incluſit, & paterno sanguine æqua-

quavit; quem rex in adversis individuum comitem, in prosperis præsidium habuit, & delicias, quem à regio latere avulsum rex unicum apparentem regnorum suorum Successorem manifestavit, & manifestationem Suam in supremæ Cancellariæ archivis solemniter reponi curavit: per cujus denique latera regis caput, vita, & salus nefariorum machinationibus erant confodienda, per illius ego interventum regem meum mihi fieri propitium decrevi.

Non desunt præterea ex mea parte argumenta, quæ me sublimitati tuæ summopere devinxerunt. Sub patris tui imperio in lucem editus sum. Pacis beneficia, quæ mihi tum matris utero, tum infanti, & adolescenti provenerunt, ea omnia illius protectioni accepta refero: duobus nativitate non integrè elapsis annis, accessit mihi major honos paternæ orbitatis fato patris tui pupillus factus; maturæ ætatis defectum supplebat Patris patriæ tutela. Etenim cum tota Connactiæ ptovincia, in qua natus fui, meâ memoriâ fisco regio adjudiceretur, Singulorumque possessiones, uti sors caderet, mensorum funiculis disponerentur, viduis, & orphanis cautum erat, nequid de-

titudini tuæ conſecro, certiſſima regum progenies, non pictorum coloribus ductas, non poetarum inventis ornatas, ſed ex intimis antiquitatum adytis abſque fuco deprompta, quas antiquitates patrii ſcriptores à Seculo in ſeculum ſtrictâ, ac ſolutâ oratione conſignarunt, literis mandarunt, & permanſuris membranis depoſuerunt: quibus primarum Orbis gentium ſcripta ſuffragantur, cœli volumina ex Aſtronomorum ſcientia concurrunt, annorum periodi, & hebdomadum Syſtemata teſtimonium perhibent.

Non ignoro, Ducum Nobiliſſime, hæc rara generis tui encomia familiæ Principi, nobilitatis fonti dicanda eſſe opportere; Hiberniæ antiquitatum præſidium ab Hiberniæ rege petendum. Sed me à cæptis deterruit ſumma in regem meum obſervantia, detinuit pudor, metuſque. Oculorum aciem perſtrinxit ſummæ majeſtatis contemplatio. Interceſſore mihi opus eſſe judicavi; & quem potius interponerem, quam qui à rege Secundus erat, & à quo ſub rege nemo proximè Secundus: quem maternis viſceribus cum rege natura incluſit, & paterno ſanguine æqua-

quavit; quem rex in adverſis individuum comitem, in proſperis præſidium habuit, & delicias, quem à regio latere avulſum rex unicum apparentem regnorum ſuorum Succeſſorem manifeſtavit, & manifeſtationem Suam in ſupremæ Cancellariæ archivis ſolemniter reponi curavit: per cujus denique latera regis caput, vita, & ſalus nefariorum machinationibus erant confodienda, per illius ego interventum regem meum mihi fieri propitium decrevi.

Non deſunt præterea ex mea parte argumenta, quæ me ſublimitati tuæ ſummopere devinxerunt. Sub patris tui imperio in lucem editus ſum. Pacis beneficia, quæ mihi tum matris utero, tum infanti, & adoleſcenti provenerunt, ea omnia illius protectioni accepta refero: duobus nativitate non integrè elapſis annis, acceſſit mihi major honos paternæ orbitatis fato patris tui pupillus factus; maturæ ætatis defectum ſupplebat Patris patriæ tutela. Etenim cum tota Connactiæ ptovincia, in qua natus fui, meâ memoriâ fiſco regio adjiceretur, Singulorumque poſſeſſiones, uti ſors caderet, menſorum funiculis diſponerentur, viduis, & orphanis cautum erat, nequid de-

viduis caperent: Hac mihi cautione nulla migratio, nulla terrarum imminutio timebatur. Sed altius me rapit animi impetus; quippe Sanguis ille nunquam dedolendus, nunquam satis deplorandus è ferali Whithallensi pegmate regiæ aulæ parietem indelebili charactere conspergens malorum eluvie per Britanniarum regna longè, lateque diffusus, me quoque suis vorticibus involvit, fortunas subvertit, posteros exterminio stirpitus mulctavit. Filii ex tunc nati in tenebris delitescunt, & qui nascentur sortem suam olim miseraturi penultimum Januarii diem miseriarum suarum Kalendas inter nefastos numerabunt, & nigro calculo notandum æternum execrabuntur: cum Jobo conquerentur, *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, & non illuminetur lumine. Obscurent eum tenebræ, & umbra mortis; occupet eum caligo, & involvatur amaritudine.* Job. 3. vers. 4. 5.

Hac ego calamitatum participatione, Principum humanissime, ob infandam patris tui cædem oppressus sum semper conditione minorennis, ætate se nescens nunquam manumissionis rude donatus, nunquam liberationem ex lege debitam adeptus.

Reli-

Reliquum est, Princeps clementissime, ut, cum liberi inglorii degeneraverint, Liber saltem iste clarissimi nominis tui auspiciis in lucem prodeat, nominis tui splendore effulgeat, potentiæ clypeo tueatur.

Dabam ex Armoricâ Galvienſi 11. Junii 1684.

Vestræ Celsitudinis Regiæ obsequio addictissimus

Rodericus O Flaherty.

Approbatio

Approbatio Domini Dudlei Loftus Juris utriuſque Doctoris, & unius e ſupremæ Hiberniæ Cancellariæ Magiſtris.

VIdi, & perlegi non paucos hujuſmodi de rebus Hibernicis Tractatus chronologicos, nullum tamen ad artis regulas tam præcisè exactum, vel æquâ diligentia, aut judicio compoſitum; quapropter non poſſum non agnoſcere rem gratiſſimam mihi feciſſe authorem, qui mihi ejuſdem copiam fecit.

Dudleus Loftus.

Viri Clariſſimi, D. Richardi Belling literæ.

Domine Flaherti,

CHronologiam tuam legi, & perlegi; tantumque abfuit, ut reiterata ejus lectio mihi tædio fuerit, ut id ipſum, quod antehac familiari inter nos colloquio toties à te petierim, jam per literas enixè poſtulare in mentem venerit: ſcilicet, ut antiquiſſimæ, & nobiliſſimæ gentis res geſtas ex illis tenebris, in quibus ingratiſſimâ noſtratium negligentiâ tot ſeculis latuerunt, educere, & luci reddere velis. Neminem enim novi, qui perſpicaciori

caciori judicio eas ex antiquis Monumentis colligere, & in integram formare historiam, aut stylo materiæ aptiori eas posteris commendare possit. Quapropter, ut hanc subeas provinciam iterum, atque iterum rogat

Dominationis tuæ Amantissimus,

Richardus Belling.

Proloquium.

longa Serie præſederunt, vel qui ad alia, atque alia dominia ſublimati: Quot erant, qui ad Summam dignitatem in ſuis ſingulis gentibus pervenerunt? quot, qui nepotibus ſuis varios principatus condiderunt ſemper perennaturos ſibi polliciti? Quot etiam ad dignitates aſpirarunt? Suâ, vel majorum virtute honores ambierunt? Dominandi Spem foverunt? Spe tamen omni tandem fruſtrati ſunt, omniſque conatus incaſſum decidit. Sola tua domus, Princeps Magnifice, omnium Britannicarum gentium, ac Inſularum dominia Sibi jure debita vendicavit. Nemo ab orbe condito ante avum tuum M. Britanniæ monarchiâ potitus eſt, nedum omnium Britannicarum Inſularum (inter quas Hibernia) imperium adeptus. Varia à variis condita ſunt per annorum millia diſperſa regna, & dominia: hunc lapidem angularem deſtinavit, ut faceret utraque unum *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu* Deus, *cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam*, Hierem. 32. 19. Adhunc lapidem in faſtigio locandum Majores tuos, Dux feliciſſime, *quaſi nutritius Ephraim portabat in brachiis ſuis, & neſcierunt, quod curaret eos. In funiculis Adam trahebat eos, in vinculis charitatis.* Oſee 11. 3.

Ex

Ex his Herimon, qui Scotorum primus in Hibernia regnavit; Fiachus Marinus Æneæ regis Hiberniæ filius, Ernaorum, & Deagadum regum Momoniæ progenitor: Ederscolius, nascente Christo, Rex Hiberniæ: Conarius, Christo in terris degente, & crucifixo, rex Hiberniæ, uterque è Deagadis Momoniæ: Carbreus Riada Conarii secundi regis Hiberniæ è Deagadis filius Dalriedinorum in Ultonia Sator, cujus tu Ultoniæ, Dux Inclyte etiamnum Comes es. Dalriedini, quos Ven. Beda * Dalreudinos vocat, in Britanniam tractu temporis transmigrantes, Albaniæ, cujus tu hodie Ducatus titulo in Scotiâ ornaris reges innotuere. Kinethus, Rex Albaniæ Pictorum dominium bello subegit, Fergusianæ aviæ Pictorum hæredis jure, ut Scotici produnt Scriptores; unde coalescentibus utriusque gentibus, ac prolatis in Northumbriam pomæriis, Scotiæ reges temporis progressu appellati. Deficiente tandem Dalriedinâ regiâ stirpe in Alexandro 3. Scotiæ diadema post 85. annorum interstitium ad Dalriedini stemmatis propaginem iterum rediit Robertum Stuartum; priorum Regum etiam jure, Scotiæ Regem ex maternâ prosapiâ. Hac denique Regiâ masculâ sobole extincta,

* *Lib. 1. cap. 1. Hist. gentis Anglorum.*

tincta, Henricus Stuartus ex eâdem Roberti Regis domo Dalriedinâ Leviniæ Comitibus ortus, quibus Levinia obtigit cum filiâ hærede Donchadi Levinii generis ultimi Comitis, Mariæ Sacræ memoriæ Scotiæ, & Franciæ Reginæ matrimonio junctus, Jacobum M. Britanniæ regem progenuit.

Hæc domus sicut inter florentissimas totius Europæ familias numeranda, ita generis antiquitate omnes totius terrarum orbis familias longe antecellit. Priscorum principum familiæ uti priscos ortus, ita priscos interitus habuerunt, jam vero extantium primordia non magis conferenda, quam ut flos, qui egreditur, & conteritur, & nunquam in eodem statu permanet. Unde de hac domo verè accinuit Buchananus in jam laudatæ Mariæ Reginæ Epithalamio.

Si Series generis, longusque propaginis ordo
Quæritur: hæc unâ centum de stirpe nepotes
Sceptriferos numerare potest. Hæc regia sola est,
Quæ bis dena suis includit secula fastis,
Unica vicinis toties pulsata procellis,
Externi immunis domini: quodcunque vetustum
Gentibus in reliquis, vel narrat fama, vel audet
Fabula

Epistola Dedicatoria.

Fabula, longævis vel credunt Secula fastis
Huc compone, novum est.

Non heic à fictitiis Græcorum Diis genus mutuatum, non ex latronum asylo, & hominum colluvie cum Romanis deductum, non ab ementito Francione è Troiæ cineribus eruto cum Francis, aut à Subdititio Bruto parricida cum Britannis fortitum; non à personato Gotho Gothorum, Dano Danorum, Saxone Saxonum conditore, neque quidem ab opinativo Scotorum Fergusio primo, aut ejusdem farinæ, avos umbratiles heroas malè feriati ingenii homines somniarunt. Platonis in hoc Stemmate scitum refellitur pronunciantis *Neminem regem non ex servis oriundum* (apud Senecam Epistol. 44.) Nemo in hac antiquissimâ prosapiâ servus rectà ad Adamum usque reperiendus, nulli parentes nisi reges Scotiæ, aut regum Scotiæ proximi agnati, reges Hiberniæ aut regni Hiberniæ candidati; reges Momoniæ, aut Dalriedæ domini Regibus Hiberniæ fati, gentium foris per diversas regiones ductores, & decem primi Patriarchæ.

Has igitur patrum tuorum imagines Al-

titudini tuæ consecro, certissima regum progenies, non pictorum coloribus ductas, non poetarum inventis ornatas, sed ex intimis antiquitatum adytis absque fuco depromptas, quas antiquitates patrii scriptores à Seculo in seculum strictâ, ac solutâ oratione consignarunt, literis mandarunt, & permansuris membranis deposuerunt: quibus primarum Orbis gentium scripta suffragantur, cœli volumina ex Astronomorum scientia concurrunt, annorum periodi, & hebdomadum Systemata testimonium perhibent.

Non ignoro, Ducum Nobilissime, hæc rara generis tui encomia familiæ Principi, nobilitatis fonti dicanda esse opportere; Hiberniæ antiquitatum præsidium ab Hiberniæ rege petendum. Sed me à cæptis deterruit summa in regem meum observantia, detinuit pudor, metusque. Oculorum aciem perstrinxit summæ majestatis contemplatio. Intercessore mihi opus esse judicavi; & quem potius interponerem, quam qui à rege Secundus erat, & à quo sub rege nemo proximè Secundus: quem maternis visceribus cum rege natura inclusit, & paterno sanguine æqua-

quavit; quem rex in adversis individuum comitem, in prosperis præsidium habuit, & delicias, quem à regio latere avulsum rex unicum apparentem regnorum suorum Successorem manifestavit, & manifestationem Suam in supremæ Cancellariæ archivis solemniter reponi curavit: per cujus denique latera regis caput, vita, & salus nefariorum machinationibus erant confodienda, per illius ego interventum regem meum mihi fieri propitium decrevi.

Non desunt præterea ex mea parte argumenta, quæ me sublimitati tuæ summopere devinxerunt. Sub patris tui imperio in lucem editus sum. Pacis beneficia, quæ mihi tum matris utero, tum infanti, & adolescenti provenerunt, ea omnia illius protectioni accepta refero: duobus nativitate non integrè elapsis annis, accessit mihi major honos paternæ orbitatis fato patris tui pupillus factus; maturæ ætatis defectum supplebat Patris patriæ tutela. Etenim cum tota Connactiæ ptovincia, in qua natus fui, meâ memoriâ fisco regio addiceretur, Singulorumque possessiones, uti sors caderet, mensorum funiculis disponerentur, viduis, & orphanis cautum erat, nequid de-

viduis caperent: Hac mihi cautione nulla migratio, nulla terrarum imminutio timebatur. Sed altius me rapit animi impetus; quippe Sanguis ille nunquam dedolendus, nunquam ſatis deplorandus è ferali Whithallenſi pegmate regiæ aulæ parietem indelebili charactere conſpergens malorum eluvie per Britanniarum regna longè, lateque diffuſus, me quoque ſuis vorticibus involvit, fortunas ſubvertit, poſteros exterminio ſtirpitus mulctavit. Filii ex tunc nati in tenebris deliteſcunt, & qui naſcentur ſortem ſuam olim miſeraturi penultimum Januarii diem miſeriarum ſuarum Kalendas inter nefaſtos numerabunt, & nigro calculo notandum æternum execrabuntur: cum Jobo conquerentur, *Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus deſuper, & non illuminetur lumine. Obſcurent eum tenebræ, & umbra mortis; occupet eum caligo, & involvatur amaritudine.* Job. 3. vers. 4. 5.

Hac ego calamitatum participatione, Principum humaniſſime, ob infandam patris tui cædem oppreſſus ſum ſemper conditione minorennis, ætate ſe neſcens nunquam manumiſſionis rude donatus, nunquam liberationem ex lege debitam adeptus. Reli-

Reliquum est, Princeps clementissime, ut, cum liberi inglorii degeneraverint, Liber saltem iste clarissimi nominis tui auspiciis in lucem prodeat, nominis tui splendore effulgeat, potentiæ clypeo tueatur.

Dabam ex Armoricâ Galviensi 11. Junii 1684.

Vestræ Celsitudinis Regiæ obsequio addictissimus

Rodericus O Flaherty.

Approbatio

Approbatio Domini Dudlei Loftus Juris utriuſque Doctoris, & unius e ſupremæ Hiberniæ Cancellariæ Magiſtris.

VIdi, & perlegi non paucos hujuſmodi de rebus Hibernicis Tractatus chronologicos, nullum tamen ad artis regulas tam præcisè exactum, vel æquâ diligentia, aut judicio compoſitum; quapropter non poſſum non agnoſcere rem gratiſſimam mihi feciſſe authorem, qui mihi ejuſdem copiam fecit.

Dudleus Loftus.

Viri Clariſſimi, D. Richardi Belling literæ.

Domine Flaherti,

CHronologiam tuam legi, & perlegi; tantumque abfuit, ut reiterata ejus lectio mihi tædio fuerit, ut id ipſum, quod antehac familiari inter nos colloquio toties à te petierim, jam per literas enixè poſtulare in mentem venerit: ſcilicet, ut antiquiſſimæ, & nobiliſſimæ gentis res geſtas ex illis tenebris, in quibus ingratiſſimâ noſtratium negligentiâ tot ſeculis latuerunt, educere, & luci reddere velis. Neminem enim novi, qui perſpicaciori

caciori judicio eas ex antiquis Monumentis colligere, & in integram formare historiam, aut stylo materiæ aptiori eas posteris commendare possit. Quapropter, ut hanc subeas provinciam iterum, atque iterum rogat

Dominationis tuæ Amantissimus,

Richardus Belling.

Proloquium.

Prolegium.

Reverendo admodum, ac plurimum colendo Domino

Dom. JOANNI LINCÆO,

Archidiacono TULAMENSI.

HIbernici Annales, Ornatiſſime Domine, à variis auctoribus, iiſq; inter ſe diſſidentibus tum è re nata, tum data opera, in Regum præſertim temporibus digerendis noſtrâ memoriâ prælo traditi plurimam moleſtiam in tua, meaq; mente pepererunt; ſiquidem temporum rationes inter ſe collatæ crebros expeditu non faciles implicarunt nodos. Quibus ultro, citroq; inter nos per literas propoſitis, enixè me rogaſti, ut iis enodandis ocyus incumberem integram, ac firmam, quantum fieri poſſit, ſeriem chronologicam è MSS. Antiquariorum codicibus pertexendo. Qua in re me mentem veſtram è tribus tantum penes me veteribus poematis expleturum facili negotio putabam. Horum unum, quod incipit

Cipe áṙd inıſ na Rioġ: maıġean molbṫhaċ na móıṙġnioṁ.

Inſula magnanimûm celeberrima Hibernia Regum.

Primas in Hiberniam ductas Colonias, ac ſupremorum Inſulæ Regum nomina, tempora, obitus ad S. Patricii appulſum uſq; continet: Unum diſtichon Regum

numerum 136 continet; alterum poematis calci à priſco aliquo Scriptore adjectum G. Coemanum Antiquariorum utriuſq; Scotiæ præſtantiſſimum auctorem conteſtatur.

Alterum poema à G. Modudio de Ardbrecain Eccleſiaſtico, Anno Chriſti 1143; ut in ipſo opere innuitur, antiquitatibus patriis apprimè verſato concinnatum, eandem materiam ab An. 428, ad Malachiæ 2. An. 1022. interitum (per annos 594, ut uno ibidem diſticho complexus eſt) proſequitur ab hoc principio,

Eiſe óg inis na nóm: go niomad niadgal roccróm.

Eria Sanctorum Virgo Inſula Religioſa.

Tertium Conangi O Malconarii poema à Laogarii regis initio, Anno Chriſtiano 428, ad Briani Borumæi Anno 1014 exitum, ſingulorum Regum tempora, Caſuſq; complectitur, cujus initium;

Atá ſuñ ſonba ſeſa: ſean Nēinioñ gan aingeſa,
Nēmeſ gaċ Nig ro gab giall: lóógde go Lóchrian.

Vera datur ſeries, quos fudit Hibernia, Regum
Lægari à primis ad tempora ſumma Briani.

Verum in neutro eorum pedem figere potui; adeo enim librariorum incuria depravata apographa ab autographis diſſidebant, ut ſingulorum regum minutioribus numeris ad calculos revocatis, cum ſumma in toto ab eodem authore tradita minimè conveniret.

Primi Ethnicorum regum poematis tria offendi exemplaria, quæ non ſolum ab invicem diſcrepabant, ſed etiam ſingula, rationibus initis ab annorum 2296 ſpacio, quod uno diſticho inter Slangium primum regem, & S. Patricii miſſionem effluxiſſe poema commemorat.

Adeo

Adeo ut si ex 2365. (quæ summa 150 annos regni Sirnæ Longævo assignat) 129 tantum subtraxeris (differentiam putà inter 150 & 21 annos, quos plura ejusdem poematis exemplaria eidem Sirnæ tribuit) qui restat numerus 2236. 60 annis minor fuerit numero 2296. annorum.

2365
129
2236

Dungallensium annalium compilatores, quos tu in Regum nomenclatura adversus Giraldum Cambrensem*, & Colganus in Actis Sanctorum, estis secuti, illud G. Coemani exemplar observasse deprehendo, quod regis cujusq; duratione simul aggregata ad annos 2358 a Slangio ad S. Patricium emergit: & septenne interregnum post Tigernmasii exitum insuper adjicientes, 2365 annos in toto confecerunt: à Diluvio autem ad Slangium, ubi idem exemplar annos 1056 expresse habet, annis 1024 sunt contenti; quippe à Diluvio ad Partholanum annos 278 tantum enumerant, quod intervallum 311 annorum poema in diversis exemplaribus designat. His 2365 & 1024 annis annos 2242 à Creatione ad Diluvium ex 70 Interpretum authoritate adjecerunt. Unde liquido constat illos potissimum juxta scopum mentibus suis propositum elaborasse, ut quo jure, quave injuria annos ab Orbe condito ad Christi Domini natalem 5199 complerent juxta veterem rythmum; Anni novem, nonaginta, centum, quinq; millia, ex quo, tempus, in quo venit, qui creavit omnia.

* *Cap.* 8.

Sed alius G. Coemani locus (apud Colganum 29. Janu. p. 198 sub finem) 278. vel 311. sub disjunctione habet.

Item Cochrꝺ uaſlom̃ *in poemate,* Cinc oll oinnio gaóibil. *278. habet.*

2242 *à Creatione ad Diluvium.*
1024 *Inde ad Slangium.*
2365 *à Slangio ad S. Patricium.*

5631 *in toto.*
432 *Annus Christi, quo S. Patricius appulit, subducendus.*

5199 *à Creatione ad Christum.*

Illi sanè sententiæ gravissimi authores astipulantur; eam Eusebius Cæsariensis Episcopus, Chronologorum

 veterum

veterum Coryphæus, martyrologium Romanum ad 25 Decembris, & alii multi tenent. Nam cunctos fermè antiquos patres, aliquoſq; recentiores, necnon ipſa Synodica acta liquet conſueviſſe ſupputare annos Mundi non ſecundum Hebraicam editionem, ſed ſecundum 70 Interpretes. Sanctam etiam Eccleſiam ſecundum eos computare teſtatur S. Auguſtinus; idem de Romana nominatim Eccleſia refert Anaſtaſius Sinaita, idemq; ipſe in ſuo Martyrologio profitetur. Verum ob diverſitatem Græcorum exemplarium & interpretationem aliaſq; innumeras difficultates, moderni exactiores temporum Calculatores iſtam Septuagenorum ſupputationem penitus exploſerunt.

Non abs re igitur ſeriò animadvertendum putavi nullam nationem annorum ab Orbe condito, aut à Diluvio ad ſua tempora numerationem continuâ ab anno ad annum ſerie deductam obſervaſſe. Gens Chaldæa, unde Hebræi originem duxerunt, vetuſtate, potentia, ac ſcientia reliquis præluxit: anno tamen, quo Alexander Magnus Babylonem expugnavit, Ariſtoteles ad Calliſthenem ſuum ex ſorore nepotem, & diſcipulum illuc literas dedit rogantes, ut ab illo edoceretur, quotus ille annus Epochæ Chaldaicæ fuit. Ille ab eruditis Chaldæorum, quos conſuluit, edoctus reſpondit per Epiſtolam, quam Simplicius Ariſtotelis interpres citat, fuiſſe 1903. à verno Æquinoctio ſurgentem †. Qua Epocha nulla poteſt antiquior produci, ſexaginta tamen circiter annos Diluvio poſterior eſt.

† *Bodinus in Methodo Hiſtorica ex Simplicii Comment.*

Annus fuit ab ipſo Deo dimenſus, & circumſcriptus orbitâ Solis, quam mortalium nullus intervertere poteſt. Anni principum nonnunquam immutatur pro monarcharum, aut populorum libito: dimenſio nullam inverſionem patitur. Ut autem cum ſolis vicibus continuo redeat priſcis quibuſq; populis ſua peculiaris

ris anni forma extitit, aut Solaris ad motum Solis, aut Lunaris ad Lunæ magis motum accomodata : in utroque etiam ſydere pro ingenio ſtatuentium diverſa. Et annorum Epochas ab eventu aliquo celebri accerſerunt; vel Regum, aut aliorum magiſtratuum ſuorum faſtos in unum collegerunt, ut juſtum elapſi temporis numerum perciperent. *Cum vero myſterium, quod à temporibus Sæculorum tacitum fuit, factum eſt manifeſtum, & per Scripturas propheticas ex imperio æterni Dei ad obedientiam fidei omnibus gentibus declaratum* (*b*), tum è ſacris literis temporum periodos a Mundi conditu pro ſuo quiſque de iis ſenſu Computiſtæ efformarunt. Unde adeo in diverſas abierunt ſententias, ut quot fuerint Capita, tot inde ſenſus prodierunt. Profanarum quoque hiſtoriarum tempora eatenus obſervata cum annorum ab orbe condito ſupputatione eâ vulgo receptâ per fas, & neſas cohærere coguntur.

[b] Rom. 25. 26.

S Theophilus Antiochenus Epiſcopus ab Apoſtolo Petro ſextus Anno 170 *a Chriſto florens primus fuit Chriſtianus ſcriptor, qui ex ſacris literis de Mundi ætate computum iniit.*

Ad noſtrum igitur propoſitum nihil efficacius conducere judicavi, quam temporum æræ Mundanæ certiorem, & accuratiorem ſtatuere numerationem; ex quorum connexione, & ſucceſſione noſtrarum quoque rerum certior, accurratiorque Connectio, & ſucceſſio dependebat. Superiori autem, & noſtro Sæculo Chronologia tot cultores ſui eximios invenit, qui priorum inventis, ac laboribus adjuti eam ad faſtigium perduxiſſe videntur. Inter hos ex Ubbonis Emmii, & Chriſtophori Helvici operibus Chronologicis Joſephi Scaligeri ſententiam amplexus ſum. Qui Sacram, & profanam hiſtoriam, ac Regum Judæ, & Iſrael tempora conferens diverſas diverſorum populorum annum metiendi formas, æras, temporumque periodos expendens, cœleſtibus porro civilibuſque characteribus

ribus non refragandis computum ſuum corroborans, in hanc rem magnam magnum ſuum ingenium intendit ſub ſæculi ſuperioris finem: atque his rationum momentis demonſtravit annum primum æræ Chriſtianæ vulgaris Dionyſianæ in anno Mundi 3950, cum anno periodi Julianæ 4714. concurriſſe.

Hoc pacto, ſicut qui tota nocte per teſqua, & Salebras excurrens erroribus involvitur, ubi ſub auroram ſemitam ſtratam eò quo tendit rectà ducentem nactus eſt, metam expetitam tutus attingit: ſic ego rationem, & authoritatem in hoc curſu tenendo ad ſcopum aſſequendum conſpirare deprehendi. *Duo ſunt*, inquit Camdenus (c), *inſtrumenta ad res omnes aut confirmandas, aut impugnandas RATIO, & AUTHORITAS: verum in hoc antiquitatum Studio longè plurimum poteſt Authoritas, & rerum præteritarum ſcientia non Rationum momento, ſed ſcriptorum Authoritate ſolidiſſimè corroborantur.* Qua propter in hoc inſtituto rationis argumenta ibi tantum adhibui, ubi authoritas à ratione abhorreret, aut ſolidiorum authoritatem impugnaret. Inprimis ergo ad hanc ipſam Scaligeri Computationem pleroſque, ſi non omnes, Antiquarios noſtros acceſſiſſe quam proximè comperio.

(c) *in calce ſuæ Britanniæ ad lectorem.*

Extat Hibernicum poema Chronologicum incipiens;

Annalaò a nall ꝛle: ó'cúꝛ bẹ̀ċa baꝛꝛbẖẏḋe.

Sæclorum Annales deducti ab origine prima.

5024.
1072. Ab initio rerum ad annum æræ vulgaris Chriſtianæ
——— 1072 perductum, quod G. Coemanus, præfati Ethni-
3952. corum Hiberniæ Regum poematis author, eodem an-
——— no 1072. Mundi 5024 quo ſeptima Lunaris ætatis

dies,

dies, & Kalendæ Januariæ concurrerunt, & quo Diermitius (*d*) cecedit; ut in poematis contextu annus accurratè ſignatur, concinnavit. Quæ G. Coemani, ut diverſorum veterum apographorum tituli exhibent, lucubratio non ſolum tempus, quo vixit G. Coemanus compertum facit, ſed etiam ſpacium annorum 2296. à Slangio ad S. Patricium (quod in uno exemplari apud me deeſt) in unum Ethnicorum regum poematis diſtichon compactum, & quamlibet aliam annorum ſummam ad Euſebianam annorum Mundi æram tendentem tantum obſuiſſe ab authoris Scopo, quantum 3952 numerus numero 5199 minor eſt, evincit. Annos enim 3952 à Mundi Origine ad caput æræ Chriſtianæ uno diſticho poema Chronologicum diſertis verbis complectitur, quos ita in partes 5. diſtribuit tribus aliis diſtichis; Ab initio Mundi ad Diluvium. 1656.
Inde ad Abrahæ ortum ——— 0292.
Inde ad Davidis regnum ——— 0942.
Hinc ad captivitatem Babylonicam ——— 0473.
Hinc ad Chriſtum natum. ——— 0589.

(*d*) *Diermitius Rex Lageniæ. quem annales patrii ad annum.* 1073 *Idus Febr. & die Martis bello occubu ſſe conteſtantur.*

Superſunt etiam Sex vetuſta Hibernica incerti authoris diſticha de quinque ætatibus ante Virginis partum, quoque 5. diſticha eoſdem terminos, ac rationes comprehendunt.

Tigernachus Cluanenſis Anno 1088 mortuus in ſuo partim Latino, partim Hibernico Chronico ſic æram Mundanam cum noſtra vulgari Dionyſiana Latinè connectit; *Incipit ſexta ætas Mundi decrepita ab Incarnatione Chriſti uſque ad diem Judicii* & Hibernicè: *Ab incenſo Salomonis Templo ad Chriſti nativitatem ſunt anni* 589. *A Mundi creatione ſecundum Hebraicam veritatem anni* 3952. *Kalendis Januariis in Sabbatum cadentibus; anno ſecundo Decennovenalis numeri.*

In vetuſtis penes me annalibus pergameno olim mandatis

datis, annus 1180 characteribus designatur his: *Kalendæ Januariæ Martis die, Luna prima: bissextilis annus: tertius annus Decennovenalis cycli; & quinquies millesimus, centesimus, trigesimus, unus à constitutione Mundi.* Annis autem 1180 annorum 5131 numero subtractis, anni 3951 supersunt.

Scaligeri jam rationes à domesticis nostris vix abhorrentes aperiam; nempe,

	Scaliger.	Domestici.
A Creatione ad Cataclysmum —	1656.	1656.
Ad Cataclysmi finem —	0001.	
Inde ad natum Abraham —	0292	0292.
Inde ad David Regem —	0940.	0942.
Inde ad captivitatem Babyloni-cam, Templi & verbis excidium.	0471.	0473.
Inde ad caput æræ vulgaris Christianæ. —	0589.	0589.
	3949	3952.

Itaque, ut hunc Consensum, qui nostris Antiquariis cum accuratissimis intercessit Chronologis animadverti, perinde expendendum duxi, quam violentis utuntur mediis, qui ultra hanc sententiam illlud intervallum ad mille, ducentos, & amplius multiplicare contendunt, ut res Hibernicas ad inveteratum tot æræ Mundanæ annorum computum protendant, & Sidonio astu Carthaginis suæ fundum, cum integro corio nequeant, saltem laceris loris, & Corrigiis extensis dilatent.

In primis ergo primam ætatem ad Eluvionem in annos 2242 protelant; qui vero 1656 annorum spacium augent, vel diminuunt, ii nodum in scirpo quærunt, & ab optimorum quorumque consensu discedunt. Tum Sirnam Longævum annos (næ vitæ ut ad ann. Mundi 3360 dabunus) sesquicentum regnasse volunt, cum

cum potius eum annos tantum 21 regnando confeciſſe ratio, & authoritas perſuadeant.

Deinde quot annos aliqui alternatim in toto imperarunt, tot eorum Singulis tribuuntur; ut in Argetmari Regis nepotibus videre eſt, qui 21 annorum ſpacio alternis vicibus regnare pepegerunt; eorum tamen ſingulis totidem in ſuprema adminiſtratione adſcribuntur. Item Regum Ethnicorum, quos Antiquarii expreſſis nominibus 136 tantum extitiſſe noverant, numerum augent, & adaucto tempora aſſignant; uti Fiacho Tolgra decennium regnanti concedere non dubitant; quem ex Regum albo ſtatus jam numerus juxta veteris, ac recentis memoriæ Scriptores omnino excludit.

Plures inſuper æmuli de Summo principatu ſimul decertarunt, quorum ſinguli illum aliquamdiu adepti tot annos regnaſſe traduntur, quot ab arrogato ſibi titulo ad vitæ terminum tranſegerunt, non ſecus ac ſi totidem annos alter alteri pacifice ſucceſſiſſet; ut Olilli Candidi, cui Fiachum jam dictum ſufficiunt, Achaii, Argetmari, & Duachi Ladgar regum inter ſe armis contendentium tempore contigit. Hoc pacto Lugadius Mac-con Arturo Regi ſucceſſiſſe annos 30 dicitur: cujus temporis tres tantum annos, cum ejus Solio Ferguſius Dentiniger ſe intruderet, regni clavum tenuiſſe potuit, reliquo tempore partim antequam regnum ſibi aſſereret, partim poſtquam à Cormaco Rege amoveretur, prolabente; ſicut de regno agens doceo.

Denique quidam Emaniæ Reges Hiberniæ monarchiam aſſecuti, annis, quibus utriuſque regiminis faſces tenebant in unum numerum Conflatis, tot annos Hiberniæ Soli cum imperio præfuiſſe dicuntur, quot in ambobus muniis dignitate regia fulgebant: quemadmodum Rudricius qui annos 70 Ultoniæ Rex ad obitum extitit, hujus interim temporis parte regno Hi-

 berniæ

berniæ administrando impensâ, toto tamen illo 70 annorum spacio Hiberniæ Monarcha fuisse affirmatur. Verum hæc omnia supplementa non satis erant, nisi anni post Christum natum 110 ad anteriora traducerentur; quot sc. à Conarii primi initio ad Crimthanni Nianarii annum octavum numerant Eusebiani computi Sectatores.

Nostra itaque prisca Chronologia sine his fictitiis adjumentis ad annos supra 5 millia ad natum usque Salvatorem protelari nequaquam potuit; & hujusmodi depravationibus, quæ inveteratis partim opinionibus, partim transcribentium mendis sensum irrepserant, detectis, eam ab exquisitis quibusque modernorum calculis non alienam fuisse e nostris priscæ memoriæ Scriptoribus mox ostendam.

1656. 0292. 0021. — 1969. — 1969 965 — 2934.

In pervetusto Hibernicò pergameno sedis Episcopalis Cluanensis cum aliis antiquis Monumentis, Anno 1627, a Conallo filio Kedei Mageoghagan Anglicè redditò primam coloniam in Hiberniam à Partholano deductam in annum Mundi 1969 incidisse traditur post Eluvionem 313, & ætatis Abrahæ 21. Ab hac Colonia ad Gaildeliorum; ducibus Milesii filiis, Scoticam coloniam perexigua est in integrâ Summâ discrepantia. In annalibus enim supradictis Dungallensibus numerantur anni 980, in citato Cluanensi codice 968, & juxta meas rationes 965.

Milesios in Hiberniam appulisse Anno M. 2934 signanter literis mandavit Calvacus Ò Morra antiquæ vir nobilitatis, & multi fundi possessor, accuratissimus patriarum antiquitatum indagator. Milesium ipsum, Anno à Diluvio 1245, ac 12 regni David, qui est a creatione juxta Scaligerum 2901 floruisse meminit Codex Cluanensis; cujus filiorum huc appulsum in Salomonis regnum incidisse, unanimi Scriptorum patriæ con-

consensu tradit etiam Poema chronologicum ; & Scaligeri calculis annus 2934 a creatione proximus fuit post templi fundamentum 4 Salomonis anno jactum. Ab hoc Computo non multum differt invictus Christi pugil Richardus Crevæus Ardmachanus Primas in Catechismi sui, Anno 1560, præfatione ; quatenus ad annum Salomonis tertium Milesiorum appulsum refert & ab exordio Mundi ad Christi natalem annos 3952 cum cæteris recenset. Alii diversi patriæ pervetusti Chronologi Milesiorum appulsus annum insigni Kalendarum Majarum in feriam quintam incidentium charactere adnotarunt. Quod in annum periodi Julianæ 3698, & Mundi secundum Scaligerum 2934, calculis retro ductis, liquet quadrare.

Ab anno 2934 ad Emaniæ reges potissimo mihi subsidio fuere duo temporum intervalla ab antiquis Scriptoribus suppeditata à Scoticæ Milesiorum coloniæ Epochâ fluentia, unum ad centum, alterum ad ducentos triginta annos: proximum subsidium ex regum nostrorum cum exteris Synchronismo accersivi ab Antiquariis assignari consueto. Quemadmodum in Poemate chronologico Sirnam Longævum, Astyagem Medorum ultimum, & Nabuchodonosorem contemporaneos fuisse, & Hugonium Magnum in Hibernià initium fecisse regnandi eo anno, quo Alexander Darium vicit, denotatur. Atque ubi ob mendorum in apographis frequentiam, ne unius quidem auctoris vestigiis in Regum singulorum temporibus insistere potui, eum numerum præ aliis elegi, qui ad complenda illa intervalla, & Synchronismos assequendos instituto meo magis accomodatus esset.

A Milesiorum igitur adventu ad Tigernmasii in *Moyslecht* campo Idolatriam, & finem, centum annos, & ad Pictorum in Britannià gentem Æneæ Olmucadio

dio Hiberniæ Regi vectigalem factam annos 230 excurriſſe Veteres obſervarunt. Quem ad finem ſi cum Ænguſii Colidei pſalterio (e) tateamur Herimonem 13 tantum annos poſt Heberi cædem regnaſſe in 23 Tigernmaſii annum centeſimus illius coloniæ annus incidet, proac regnandi tempus Singulis illius intervalli regibus G. Coemanus, & annales Dungallenſes aſſignant: cui ſi Septenne interregnum, quod poſt Tigernmaſium accidiſſe traditur, addatur, triginta annorum curriculum complebitur, quos non habita interregni ratione Codex Cluanenſis Tigernmaſio attribuit. Ab hoc pariter anno æræ Mileſianæ Centeſimo ad annum 14 Olmucadii annos 123 interceſſiſſe regum poſt Tigernmaſium tempora apud G. Coemanum, & Dungall: annales declarant: quibus 123 annis interregni Septennium, & centum annorum intervallum ad Tigernmaſii finem adjecta annos ejuſdem æræ 230 attingunt, anno 14 Olmuchadii terminatos. Atqui ſi cum depravato (ut aſſero) G. Coemani poemate 15 annos Herimoni, & annos 77 Tigernmaſio conceſſeris, & cum Dungall: annalibus annos ſupra totidem interregni ſeptem, Tigernmaſii finis ultra centeſimum ab appulſu Mileſiorum 54 annis efferetur, & 230 annorum intervallum annis 35, aut 42 Olmucadii initia prævertet.

(e) *Vid. Antiqu. Hib. Theſ. cap. 2.*

100
007
123

230

2934
230

3164
qui eſt 14 Olmuchadii. Ab Anno

Ab Olmucadii exitu ad Sirnæ Longævi initium, ubi Cluanenſi codici cum G. Coemano non convenit, Cluanenſem in regum temporibus plerunque ſecutus Sirnam regnum ſuum iniiſſe eodem anno, quo Nabuchodonoſor Aſtyagis Sororius Hieroſolymam evertit, elicio; qui fuit ſecundum Scaligeri rationes Mundi 1360. Inde ad Hugonium Magnum pari ratione progredior nunc Codicis Cluanenſis, nunc G. Coemani, & annalium Dungal: authoritate nixus, præterquam ubi æmulorum

3168
192

3360
259

3619

lorum principum de poteſtate regia ſimul dimicantium confuſiones ratiocinando diſtinxi, & conciliavi. Hoc uſus modo Hugonium Magnum Anno M. 3619 regnum iniviſſe deprehendo, cujus ut ſupra Synchronus Alexander communi Scriptorum ſententia Darium ad Arbela profligavit, Anno Olympiadis 112 ſecundo, die 11 poſt plenilunium Eclipticum; (*f*) atque ita ipſis Kalendis Octobribus, Anno periodi Julianæ 4383, cujus Æquinoctium autumnale annum Mundi 3619, & 3620 diſterminat.

(*f*) *Plutarc in Alex. Arrianus Nicomed. Plinius l. 2. cap. 10. & Ptolemæus lib. 1. c. 4.*

Hugonius ille Hiberniam in 25 ditiones diſpeſcuit, quam partitionem annos 300 inconcuſſam permanſiſſe, uſque dum Achaius Fedloch Rex eam priori quinque partitâ diſtributione poſtliminio mutavit, Antiquarii conteſtantur. Quibus elapſis, anno proximo Cuculandus heros in lucem editus; 17 annos natus Octennio ante caput æræ Chriſtianæ, ejuſdemque æræ anno 2° vitâ defunctus ætatis anno 27, annis 431 ante Patricii Apoſtolatum, ut diverſi ſigillatim illius tempora conſignarunt. Hugonii porro deceſſor Reactus Carporuber Machæ Reginæ cadenti novennii ſpacio, ut habet Codex Cluanenſis, ſuffectus eſt. Quo novennio ex anno 3619 (Hugonii primo) ſubducto, conſtat Machæ interitum anno Mundi 3610 contigiſſe. Poſt vero illam è medio ſublatam perpetua 34 Regum Ultoniæ ſeries 670 annos abſolutos ad excidium Emaniæ continenter imperavit. Horum nomenclaturam, & annorum numerum, quo illorum quiſque Ultoniæ præfuit, penes me habeo ab intimo noſtro amico Dualdo Firbiſio è vetuſtis majorum ſuorum Monumentis excerptum, qui anno Domini 167⅘ cruenta morte ſublatus antiquitatum, & Hibernicæ linguæ cognitioni altum vulnus inflixerat. Cum illo in temporum enumeratione convenit Poema, in quo Colmanus O Seſnan vetus

tus Antiquarius Ultoniæ Reges à Conquovaro Neſſano ad everſam Emaniam complexus eſt; cujus initium.

Eamŋ álŋī árαϛ ulαδ.

Emania Ultoniæ ſedes pulcherrima Regum.

Niſi quod ex poſtremi regis tempore decem anni in eo penes me apographo deſiderentur, quos juxta Dualdum adjiciendos neceſſe eſt, ut ad annum perveniatur, quo Emania exciſa eſt.

Veritas hujus claſſis è 34 regibus conflatæ, quæ interruptionis expers ad annos 670 progreſſa eſt, ex aliorum etiam ſententiis firmatur, qui aliud agentes, fortuito de hac re ſermonem inſtituerunt. Chronologicum quippe poema ſuperius non ſemel prolatum Conquovari (quo Ultoniæ præſidente Chriſtus Dominus natus, & Crucifixus) obitum annis 47 poſt Chriſti natalem i. e. ad annum æræ vulgaris 48 notat. Huc ſpectat aliud vetus diſtichon in Codice Lecano 400 annos inter Kimbaithum Regem Hiberniæ, primum Emaniæ regnantem, & Conquovarum hunc interjectos memorans; utpote Emaniæ conditæ, quam Kimbaithus ille regiminis ſui initio extruxit, æram cum Conquovari exitu elapſam. Item annales Duagallenſes excidium Emaniæ ad an. Domini 331, qui eſt æræ vulgaris (à quo uno anno differunt.) 332 referunt: eundemque annum centum annorum ſpacio S. Patricii adventum præuntem evincit Poema etiam chronologicum his interſtitiis; Ab Emaniæ excidio ad Muredachi Tirei Regis finem 24 anni; hinc ad Nielli Magni caſum undequinquaginta, inde ad Patricium 27. Quæ fortuita regum Ultoniæ temporum cum æra vulgari connexio

24
49
27
100

nexio non ſolum tempora illa magis, magiſque confirmat, ſed etiam omnia, ad quæ tempora illa relationem habent indubitata facit ; uti heic oculis ſubjiciam. Ad Conquovari illius cognomento Neſſani mortem ſi Singula Regum Ultoniæ tempora in unum congeras, anni emergunt 387, quos ſi ex anno mundi 3997 (ex annis 3949, quot à creatione ad caput æræ vulgaris, & ex annis 48, quo anno æræ vulgaris Conquovarus obiit, conflato) tollas, ſuperſunt 3610 ; Annus Mundi, quo præfata regum ſeries poſt Machæ Reginæ interitum inchoata eſt : iiſdem 387 annis ſi adjeceris 7 annos, quibus Macha regnabat, & ſex è ſeptennio, quo Kimbaithus poſt Aidum & Dithorbum regnandi vicem obibat, 400 anni ab Emania initio Kimbaithi condita ad Conquovari exitum complebuntur: atque ut ab Anno æræ vulgaris 48 ad an. 332, anni 284 intercurrunt, ſic anni 284 ad annos 387 adjecti, annos 671 faciunt ; qui numerus annorum ſubductus annis 4281 (qui fuit Annus mundi æqualis anno 332 æræ vulgaris, quo memoratus regum ordo fuit terminatus) annum 3610 iterum confirmat, ſeriemque annos 670 perduraſſe, & ab Emaniæ initio ad excidium anno 684. Res enim Arithmeticæ ad invicem collatæ ſe mutuo corroborant, & unius monadis error relativis rationibus infinitè adhæret ; adeo, ut ſi in unius ex iis 34 Regibus durationem quantuluſcunque omiſſionis, aut additionis error irrepſiſſet, annus ab eorum Epocha 387 cum anno æræ vulgaris 48, nec annus 671 cum 332 tam accurratè concurreret ; quos æræ vulgaris annos diverſi Scriptores deſignarunt, nulla habita ratione, quot anni ab Ultoniorum Epocha ad id temporis effluxerunt ; dum alter obitum Conquovari ad an. 48, alter excidium Emaniæ cum ultimi regis caſu ad annum 332 æræ vulgaris referret.

3949
adde 48
3997
ſubd. 387
3610
3610
adde 671
4281
ſubd. 3949.

Chriſti 332.

Hæc

Hæc itaque tam irrefragabilis de Regum Ultioniæ temporibus certitudo meam Sententiam de Anno Mundi 3610, quo Macha Regina, cui ſeries illa regum in Emaniæ regiâ ſucceſſit, defuncta eſt, corroborat & omnem annorum enumerationem regibus Hiberniæ attributam evertit, quæ ab excidio Emaniæ, Anno æræ vulgaris 332 retro ad Machæ exitum cis annos 670 contrahitur, vel ultra protrahitur. Hinc etiam evincitur Hugonium Magnum illo anno regnum ſuum inchoaſſe, quo Darium Alexander ſuperavit, Codice Cluanenſi docente novem tantum annos à mortua Macha ad initum ab Hugonio regnum intercurriſſe. Quæ tam fortuita plurium Scriptorum conſenſio qui locorum, ac temporum intervallo diſſiti erant, ac ad longè diſpares ſcopos collimabant, cum veritate conſpirans ſimilitudinem referre videtur mirabilis Bromardi ſtatuæ, cujus omnes partes varii artifices per diverſa ſecula fabricarunt, altero minimè laborante de alterius opere, aut ſciente, quo tendebat, partes tamen adeo affabrè fabricatæ ſunt, ut non ſecus, ac ſi unus opifex eas cuderet, in eandem ſtatuam appoſitiſſimè coaluerint.

Bromardus in Summa.

013
387
284
100

His igitur annorum diſtantiis, quaſi Mercurialibus ſtatuis itinerando innixus; tempora concateno, viz. Ab Emaniæ fabricâ, & Kimbaithi Regis Hiberniæ initio ad Machæ Reginæ caſum anni integri 13, & inde ad Conquovari Regis Ultoniæ obitum 387 anni fluxerunt. A Conquovari fine ad Emaniæ excidium anni decurrunt 284. Inde ad S. Patricii Apoſtolatum, Anno æræ Chriſtianæ 432 anni labuntur centeni. Ab eadem porro S. Patricii Epocha calculis retro ſubductis ad Cuculandi mortem, Anno æræ Chriſtianæ 2 anni intercedunt abſoluti 430. Hinc ad Cuculandi ejuſdem ortum anni numerantur 27, quem uno anno præceſſit abrogata

784
430
027
001
300
004
009
013
784

rogata Hiberniæ divisio Hugoniana, quæ annos trecentos, atque ita ab anno quarto Hugonii Magni invalebat. Inde 4 anni ad Hugonii initium, novennium Reacti decessoris cum annis tredecim Machæ, & Kimbaithi recti te deducent ad Emaniæ fundamentum 784 annis jactum ante S. Patricii Apostolatum.

A Machæ Reginæ interitu Anno mundi, quem statuimus, 3610 ad Conarii primi initia cum anno Mundi, 3949 æram vulgarem Christianam proximè præcedente concurrentia in annis Regum Hiberniæ recensendis à codicis Cluanensis authoritate non discedo, nisi quod Achaio Aremh decem tantum annos tribuam, ut temporum series postulat, cui codex ille sesquidecim, alii duodecim tribuunt; exceptis regibus Ultoniæ ad monarchiam evectis, quorum Ultoniæ dominantium tempora jam approbata docemur. Quamobrem cuique eorum sic evecto tantum temporis in monarchiâ assignavi, quantum à proxime decessoris fine ad ipsius obitum profluxit. Exempli gratiâ; Crimthannus Cosgrach regnantium annis ab anno 3610, ad ejus exitum 235 juxta codicem Cluan: ad calculos revocatis, regnum cum vitâ terminavit Anno Mund. 3845, cujus in monarchia successor Rudricius juxta Regum Ultoniæ temporum certitudinem Anno post Machæ interitum 252, Mundi 3862 vivere desiit. Rudricio igitur non ab anno, quo in Ultonia cœpit, Mundi 3792, 70 annos Monarchæ ascribo, quemadmodum ii, qui annos ejus in Ultonia cum annis in Hibernia confundunt, sed tantum ex iis 70 annis, quot inter 3845, & 3862 intercurrunt: Hinc Innatmari Rudricium in Monarchia excipientis annus primus secundum Machanæ æræ veritatem 3862 definitur; qui in codice Cluanensi 3 annos regnavit ad ann. 3865, & Bresalius Rudricii in Ultonia successor ab Anno 3862 ad an. 3874. Innatmaro in Hibernia ab An-

3610
235
3845
3610
252
3862

no 3865 ad an. 3874 succeſſit ; & ſic de cæteris. Ab hoc meo de Ultoniæ Regum in monarchiâ annis calculandi modo in Regibus Breſalio prædicto & Factnao codex Cluan. non multum diſcrepat ; quatenus huic 10 annos in Hibernia, illi 24 aſſignat ; nempe 9, & 23, integros ex 12, & 30 annis, quibus Ultoniæ præfuerunt. Sic Malium 4 annos, Ferguſium Dentinigrum 1 annum Hiberniæ dominatos fuiſſe mecum omnes teſtantur, cum Malio 33 annos Dentinigro 4 per totum Ultonienſis ſeries aſſignet.

A Conarii initiis, & anno æræ vulgaris Chriſtianæ 1° ad annum 428 quædam temporum intervalla ab obitu Conquovari regis Ultoniæ ad S Patricii adventum decurrentia ex Poemate chronologico ſecutus ea Ultonienſium ſerie (ubi cum monarchiâ concurrit) & ſupremorum regum duratione à variis tradita, aliiſque ſubſidiis ſtabilivi, ut in ipſo opere fuſius expono.

Poſtquam hæc ita concinnavi in manus incidit Synchroniſmus, qui dictis multum roboris addit, Regum noſtratium cum 4 orbis Monarchiis. Habetur in O Duvegani O Kelliorum Hymaniæ dominorum Antiquarii Codice membraneo (g) ante quam Murchertus O Kelly, ſeu Mauritius Cluanfertenſis Epiſcopus ad Tuamenſem ſedem Anno 1394 evectus eſt, exarato, ac etiamnum à multis jam annis in cuſtodia Illuſtriſſimorum Clannrickardiæ Comitum conſervato ; in quo inter alia Miſcellanea ſupra citata G. Coemani, & G. Modudii de Regibus Hiberniæ Poemata, & Poema chronologicum extant. Hujus domeſticâ authoritate uſus ſum in communi noſtratium cum exteris Synchroniſmo. Sed primam in eo Aſſyriorum monarchiam libens prætermitto Patriarcharum, & regum Juda temporibus tum confidentius innixus. Nam ante Cyrum pleraque in Oriente vacillant ; uti & in Græcia ante bellum Trojanum, &

(g) fol. 104.

in

in Italia ante Urbis primordia, quod ad temporum rationes attinet. Cyri vero, ac Alexandri Magni, & Imperii Romani initia, cœli verſiones, ſcriptorumque ſuffragia in dubium trahi non ſinunt. In his igitur quomodo mecum Synchroniſmo iſti tam in genealogicis, quam chronologicis convenit, meæ domeſticis, & Scaligeri rationes exteris annexæ patefacient.

In recenſione temporis, quo Chriſtiani reges ab anno 428 adann. 1022 regnarunt; & inde ad Rodricii O Conor poſtremi Hiberniæ Regis Anno 1198 interitum diverſi temporum characteres cum authorum conſenſu omnem ambigendi locum ſuſtulerunt. Nec multum à clariſſimi viri Jacobi Waræi Equitis Aurati in ſuis Hiberniæ Antiquitatib. diſcedo ſententia ex annalibus, quibus ipſe, & Uſſerius Ultonienſibus nomen impertierunt, qui à Colgano Senatenſes vocantur, à Cathaldo Maguir de Senat-mac-Magnus in Feramanach agro ſcripti, qui Eccleſiæ Ardmachanæ Canonicus, & inſignis hiſtoricus anno 1498 vita functus eſt; & à Roderico Caſidæo Archidiacano Clochorenſi Anno 1541 mortuo antiquitatum patriæ peritiſſimo recogniti, & continuati.

Genealogica ſeries cœptis meis in difficultatibus intervenientibus enodandis plurimum ſubvenit. Ea duce per tot ſeculorum labyrinthum pro filo Ariadnæo uſus ſum. Generationes enim domeſticas inter ſe, & cum exteris juxta temporum rationes diligenter contuli, unde genealogia, & Chronologia ſe mutuo corroborant; & perpetuæ illæ, quas à profundiſſima antiquitatis memoria ad nos uſque auſpicamur, genealogiæ, a quibuſdam eo nomine in dubium vocatæ confirmantur. Cum vero in tam accuratam, continuam, ac diuturnam peregre ſeriem incidere nuſquam potui, hac me arte expedivi ab Adamo ad Sedechiam ultimum Davidicæ ſtirpis Regem integram in ſacris literis ſeriem nactus Se-

Numeri nominibus super impositi tot gentium ordines ab Adamo exactus denotant: ut Sedechias; sexagesimus primus ab Adamo.

dechiæ [51] eversorem Nabuchodonosorem [51] in eodem generationum gradu collocavi, simulac Astyagem [51] Medorum ultimum, ejusque sororem, quam Nabuchodonosor duxit. Astyagi nepos fuit Cyrus, [53] & Cyro gener Darius [54] Histaspis filius, à quo sextus in lineâ rectâ Darius [60] ab Alexandro Magno debellatus. Alexandrum [60] igitur cum Dario generationibus supparem feci, a quo ejusque successoribus Asiæ Ægypti, & Macedoniæ, Regibus denarum generationum seriem ad Romanos earum gentium subactores perduxi, Romanorum quoque primorum Consulum generationes à Dario [54] Histaspide, cujus tempore cœperunt, accersivi; seriemque graduum sedecim per familias Consulares Valerios, Fabios, Æmilios, Livios, Galbas, & Cæsares ad C. Julium Cæsarem [70] Dictatorem continuavi; quo florente, Cleopatra [70] Ægypti Regina, ejus amasia floruit, & Antiochus [70] Asiaticus regno amotus est. Deficientibus dehinc Cæsaribus, aliisque imperatoriis familiis, novam Regum Persiæ, qui Rom. imperium impugnarunt, seriem contexui, quousque ad tempora Hiberniæ Christiana perventum est, quæ ab adventu S. Patricii longè certiora sunt, quam ut exteris indigeant subsidiis.

In patriis genealogiis inviolatam ab Adamo seriem 37 generationum ad Milesiorum huc appulsum habui. Inter quos Herimonis [37] posteritas cæteros dignitate, ac potentia longè anteivit, à quo ad Niellum Magnum Anno Christiano 405 sublatum per generationes 50 singuli in recta linea vel reges Hiberniæ vel regis Hiberniæ filii fuerunt; si duos locos excluseris, quorum uno pronepos, altero abnepos, cæteris eam dignitatem non assecutis ad Hiberniæ fastigium ascendit. Sexcentos à Nielli obitu annos in solo ejus semine, excepto uno ex fratre nepote, ac pronepote suprema Hiberniæ dignitas stetit incolumis. Sed quia in aliis Herimone satis, atque

atque in Heberi, Hiri, & Ithi familis ſumma Inſulæ poteſtas non adeo continua, ſed pluribus interrupta interſtitiis fluctuabat; idcirco non raro accidit, ut Excriptorum incuriâ ex illis interſtitiis alia pluribus, quam par eſſet inſertis generationibus redundarent; in aliis aliquot deſiderarentur. Quemadmodum in illo majori ipſius Herimoniæ lineæ rectæ inter Ennium [68] Aignech, & Achaium [72] Fedloch reges interſtitio tres, vel 4 è ſex vel 7 ſupervacaneos ramos me amputare oportuit, ad Achaii generationem coævis ſuis, & poſteritatis ordini accomodandum: Pari ratione aliarum familiarum in regibus poſt longa intervalla ad regni clavum evectis defectus, vel exceſſus vitium ſuſtuli, ut ipſi, & eorum poſteri ſuppari generatione cum contemporaneis per ſeriem cohærerent.

In Heberi vero progenie graduum exuberantiam ſine ullo tali interſtitio comperi, ubi Lugadius Laigde Anno 3478, Duacho Ladgar è tribu Herimonia ſuccedens generatione octavus a Duacho [56] Finn Anno 3473 Simonis Brec ſucceſſore numeratur, 7 intercedentibus Heberii ſanguinis regibus, totidem generationibus in genealogia diſtinctis. Sed cum per genealogiam conſtet Duachum [58] Ladgar proavum prætuliſſe Simonem [53] Brec, & in ipſa Heberia ſerie Duacho Finn proavum fuiſſe Arturum [53] Imlec Anno 3398 Regem, temporum ratio non patitur, ut infra unius ſeculi ſpacium Lugadius à Duacho Finn 8 gradibus propagaretur; quamobrem Duacho [56] Lugadium [59] quaſi pronepotem numero ſignavi: & cum mihi compertum non fuerit, quem è regibus 7 intermediis, fratrum, agnatorum (ex his enim imprudenter in recta linea interſertis error iſte provenit) vel majorum loco haberem, generationum numerum, quo reliquos denotavi, ſuper eos omittere ſtatui, donec certum mihi fundamentum ad

eos

eos ſuo loco diſponendos aliunde ſuppeteret.

Majorem errorem in Lagenienſium Regum genealogiam incidiſſe palam facio; ubi Nuadum Niveum Regem Hiberniæ, quorum majoribus ante multos gradus adnumeratur, eorum cognatum, & coævum fuiſſe liquido demonſtro, eumque Crimthanni Corſgrach Regis Hiberniæ tantum adnepotem, à quo alii undecimum faciunt.

Ubi enimvero generationes tales in genealogiis abundant, vel deſunt, Antiquariis noſtris vitio verti nequaquam debet, qui ab omni memoria ad hujuſmodi munus deſtinati præcipuarum noſtrarum familiarum originem ab interitu vindicarunt, ac genealogiarum decurſum ab hoc uſque tempus quàm accuratiſſimè continuarunt: uſus autem obtinuit, ut qui calamo quæſtum faciebant diuturno ſæculorum progreſſu nunc aliquas in genealogiis generationes improviſo miſſas facerent, nunc cognatos, vel fratres pro majoribus intruderent, vel binomios pro tot diverſis perſonis cenſerent. S. Auguſtinus (*h*) 70 Interpretum tranſlationem, & Græcos codices ſecutus inter Arphaxad, & Sale Cainam ponit, vulgaris tamen ſacrorum codicum editio, quam authenticam decrevit Oecumenicum concilium Tridentinum, (*i*) S. Hieronymus, & omnes ex Hebræo textu tranſlationes Sale filium Arphaxad, & non nepotem habent (*k*) unde Lucæ 3, *Qui fuit Sale, qui fuit Cainam.* Sale binominem fuiſſe interpretantur plerique melioris notæ chronologi (*l*) E contra in S. Matthæi Evangelio Joram genuiſſe Oziam dicitur, qui Ozias, idemque Azarias Rex Juda fuit filius Amaſiæ, nepos Joæ, pronepos Ochoſiæ, abnepos Joram Regum Juda (*m*). Quemadmodum igitur eodem ſemper alveo fluens unum, atque

h *de Civit. Dei l.* 16. *c.* 10.

i *Siſto* 4.

k *Gen.* 1. *& 11. & Paral.* 1.

l *Samotheus lib.* 1. *c.* 26. *Genebrardus in Chronic. Maſſeus lib.* 2. *Chron. Temporarius, Scaliger, Helvicus, De la Cruz, in Computo annorum.*

que idem flumen censetur, licet supra ripas aliquando effundatur, aut in suo canali tenuis fluat; ita genealogia à recto tramite non omnino deviat, quod in ea generationes aliquæ taceantur, aut justo plures in eam quandoque ingerantur, dummodo ejus cursus ex vero fonte derivatur.

Quo vero eminentius, ac diuturnius familiæ arduis Reip. muneribus prælucent, eò luculentius illarum parentalia, ac generationes sine vitio innotescunt. Herimoniâ igitur illâ clarissima, ac perpetuâ nixus prosapiâ, eâ tanquam amussi usus sum, qua reliquas Herimone, Hebero, Hiro, & Itho oriundas familias examinavi, atque ita domesticas generationes cum exteris gradatim contuli. Quo pacto Fenisium [14] Scoticæ, seu Gaidelicæ linguæ, ut aiunt auctorem, & Heberum [14] Hebraicæ servatorem; Milesios, [37] Salomonem. [35] & propius Zadocum, [37] qui ab Aarone [27] decimus Salomonis Templum consecravit; Sirnam [50] Longævum, Nabuchodonosorem, [51] & Astyagem [51]; Hugonium [60] Magnum, Alexandrum, [60] & Darium Codomannum; Achaium [72] Fedloch Hiberniæ, Conquovarum [72] Ultoniæ & Augustum [72] imperio sub adventum D. N. Jesu Christi præsidentem non minus generationibus suppares, quam temporum computo Contemporaneos perspici liquet. Simili etiam generationum symphoniâ æqualis memoriæ tempora per totum Synchronismum concurrunt.

His itaque mediis, justis tuis obtemperans, Charissime Lyncæe, Hiberniæ Chronologiam inter varia sentientes conciliavi, ad Mundanas & Christianas æras alias, quam ut eas Eusebianis exoletis rationibus freti, & ad eum finem certa veterum scita modo depravantes, modo abrogantes, aut impugnantes singulorum Regum temporibus primum nostrâ memoriâ accommodarunt, juxta classicorum scriptorum placita adaptavi, viamque

que aperui, ut, ſiquid deeſt, perfectius abſolvatur. Proinde in ſcriptis tuis patriæ dicatis his utere temporum rationibus; quibus ex hactenus editis nullis te firmioribus confidere poſſe auſim polliceri: & ſiquam commendationem opera, quam in hac Sparta adornanda collocavi, promereatur; laudem non ego, ſed tu referes, qui ad eam aggrediendam mihi animos addidiſti, & ad perficiendum monumenta ſubminiſtraſti. Vale

Vir Venerande.

Ex Armorica Galvienſi
18 Septembris Sabbato 4.
Temporum 1665.

Proloquium

PROLOQUIUM AD LECTOREM.

RErum Hibernicarum chronologiam, quam libuit indere titulum Scoticarum potius inſcripſerim: de Scotorum enim natione potiſſimum agitur, qui, regnante Hieroſolymis Salomone, huc advecti duo annorum millia, & quod excurrit, inconcuſſo dominio floruerunt, ſuis freti legibus ad Anglorum Jacobi Regis auſpiciis heic ſtabilitum imperium, & Scoticæ originis regibus ex illius Jacobi ſanguine etiamnum gloriantur. Unde apud priſcos Latinos ſcriptores ex inſidente populo Scotia, & Scotorum Inſula derivata eſt. Verum hinc tradu&ta in Septentrionales Britanniæ partes Scotorum colonia temporis tractu in nobiliſſimum evaſit regnum, quod ab aliquot jam retro ſeculis ſolum, & unicum Scotiæ nomine innoteſcit, adeo ut jam à nonnullis, ſed perperam in quæſtionem vocetur, utrum Hibernia unquam Scotia diceretur.

Hinc moderni Scriptores Scoto-britanni anſam arripuerant cives ſuæ Scotiæ aſcribendi quotquot uſquam in

libris Scotos nuncupatos repererunt, & longissimam ab Alexandri M. Epocha regum seriem contexendi. Ad hanc imaginariam suorum vetustatem respexit felicior poeta, quam historicus Buchananus cum ad Beatæ Memoriæ Mariam Scotiæ Reginam, & M. Britanniæ Regum genitricem in Psalmorum paraphrasi præfaretur.

Nympha Caledoniæ quæ nunc feliciter oræ
Missa, per innumeros sceptra tueris avos.

Et inde ejusdem Serenissimæ Principis cum Gallorum Principe epithalamio caneret.

——Hæc una centum de stirpe nepotes
Sceptriferos numerare potest, hæc regia sola est,
Quæ bis dena suis includit secula fastis.

Quæ omnia de vetustissimâ Principis regiâ prosapiâ, & gentis vetustate non poeticâ tantum fide, sed historicâ etiam verissima sunt, modo veteris Scotiæ matris ætatem moderna filia asciverit, & perennitatis illius, filiâ matri succedente, utraque facta particeps fuerit.

In memorato epithalamio idem poeta contribulium historicorum torrentem secutus Scotici nominis hodiernæ acceptionis prætextu nostrates Hibernorum, Scotorumque notione Galliam sub Carolo Magno multis religiosis cœnobiis, ac literarum Athenæis exornantes suæ jam Scotiæ adjudicat: firmumque inter eundem Carolum, & Achaium Scotiæ suæ Regem amicitiæ fœdus Guilielmi Achaii fratris legatione compactum, atque huc usque inviolatum, quod illi commenti sunt, his versibus jactat.

Hæc quoque cum Latium quateret Mars barbarus orbem,
Sola

Sola prope expulsis fuit hospita terra Camœnis.
Hinc Sophiæ Graiæ, Sophiæ decreta Latinæ
Doctoresque rudis, formatoresque juventæ
Carolus ad Celtas traduxit, Carolus idem
Qui Francis Latios fasces, trabeamque Quirini
Ferre dedit, Francis conjunxit fœdere Scotos.

Verumenimvero Achaius ille non Scotiæ, qualis tum in Britannia nulla regio, sed Albaniæ * (à qua hodie Sereniſſimus Dux Eborácenſis ducatus in Scotiâ titulum trahit) Rex avus fuit Kinethi, qui primus majorum pomœria Pictorum acceſſione dilatans hodierni Scotorum regni initia protulit. Ut de Achaii fratre Guilielmo dicam, quod ad S. Joannis Baptiſtæ matrem dictum; (a) *Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine:* Nemo certè de univerſâ Scotica, Pictica, aut Britannica natione exotico Guilielmi nomine innotuit ad multa Secula poſt Achaii ætatem.

* *Camden. Britannia titulo Scotia; Fergus f. Eric. &c.*

a *Luc. 1. 61.*

Illud porro fœdus, quod Scotos Britanniæ cum Francis huc uſque conjunxit, non à Carolo Magno, cujus tempore nulla, inquam, in Britannia Scotia, ſed à Carolo (b) 6 inchoatum fuit, qui Robertum Stuartum è Lenoxiæ Comitum familiâ Scoticæ cohortis in Galliâ præfectum Daubignii Dominum ob bellicas virtutes inſtituit; fœderiſque ſymbolum reges Galliæ ſua ipſius inſignia cum fibulis aureis in limbo rubeo Daubignii Dominis conceſſerunt cum hoc inſcripto noemate,

b *Anno 13 Sc. Capit.*

DISTANTIA JUNGO.

Quod eorum operâ regna Galliæ, & Scotiæ tanto intervallo ſejuncta ad Angliam infeſtandam conjungerentur. Ex quo tempore per me liceat abſque invidia illum gloriari.

———— Sine milite Scoto
Nulla unquam Francis fulſit victoria caſtris:
Nulla unquam Hectoridas ſine Scoto ſanguine clades
Sævior oppreſſit.

Modo antiquorum temporum beneficia ab Hiberniæ Scotis Francis præſtita non gravetur.

Evangelii luce apud Francos exoriente, S. Fridolinus Viator Hibernici principis filius Galliæ fines circumeundo luſtravit, & Sanctæ Catholicam fidem Trinitatis in credentium cordibus plantavit. Francorum aliquot procerum animos coram Clodoveo Rege recens converſo ad baptiſmum miraculo excitavit, & S. Hilarii Monaſterium Pictaviæ extruxit. Eodem tempore ad Remigium è Scotorum Inſula Hibernia venientes SS. Gibrianus, Helanus, Treſanus, Germanus, Verſanus, Abranus, & Petranus cum SS. Virginibus Fracla, Promptia, & Poſſenna ſororibus. Item SS. Bectoldus, Amandus, & Præcordius eas partes moribus, & virtutibus illuſtrarunt.

Clodovei ex Clothario 1 Sigeberto nepote in Auſtraſiâ regnante; *Cum jam per totam Galliam* (Caroli Magni diploma legis) *divinæ religionis fervor torperet D. N. Jeſus Chriſtus ad repellendas ignaviæ tenebras de occiduis Hiberniæ partibus ſplendidiſſimum radium Gallicis finibus emergi præcepit B. Columbanum egregium Scotigenam.* Hic Columbanus, annuente Sigeberto, in Voſago apud Burgundiam Luxovienſe conſtruxit monaſterium, caput omnium monaſteriorum Franciæ, & Burgundiæ, & præ Sanctorum multitudine celebrioribus mundi quibuſvis conferendum; in quo ſuccedentibus ſibi invicem choris laus perennis continuebatur. Sigeberti illius nepotibus Theodoberto, & Theodorico Auſtraſiæ

ſtraſiæ Regibus exitium, eorumque regna intra triennium Clothario 2. Galliæ regi (cui Sigebertus patruus) deventura prædixit; quod ipſo S. Columbano ſuperſtite, adimpletum fuit.

S. Mageldarius * Vincentius Dagoberti poſt Clotharium 2, patrem Galliæ Regis Palatinus domo, & origine Hibernus propter præclara ejus in rebus bellicis facinora, multaſque in obſequiis Regum Galliæ partas victorias, unde Vincentius dictus, Hannoniæ in Belgio comitatum ab iis accepit Comitis titulo, & Sanctæ Waldetrudis filiæ Walberti è Galliæ Regum ſanguine connubio honoratus: ex qua 4 ſuſcepit liberos, quibus Eccleſia cœleſtes decrevit honores, SS. Landricum Epiſcopum Meldenſem, Dentelinum Roſenſem in Clivia patronum, Aldetrudem, & Madelbertam Malbodienſis monaſterii Abbatiſſas, & Divas tutelares. Uterque parens Secularium pertæſi, ille in monaſterio Monte-altenſi à ſe fundato monachus factus; hæc in Caſtrolocenſi, quod extruxit monaſterio ſacrum ſuſcipiens velum inter cœlites poſt mortem numerari meruerunt.

* *Magar Gallicè.*

S. Furſæus Peronenſis viſionibus, & virtutibus ſtupendus, ac Chriſtianæ fidei apud Orientales Anglos (quorum Rex. S. Sigebertus Martyr ſub eo monachus) propagator, ejuſdem Vincentii Hannoniæ Comitis accitu ad Gallias cum ſacra ſociorum caterva pervenit, & a Clodoveo 2 Dagoberti 1 filio honorifice ſuſceptus Latiniacum cœnobium fundavit. Quem non multo pòſt fratres ſui SS. Ultanus, & Foilanus pari perigrinandi voto ſecuti per Gallas claruerunt: quibus Sanctiſſima virgo Gertrudis Pipini Ducis Brabantiæ filia, permiſſu, & auxilio Sigeberti (c) Regis Auſtraſiæ Foſſenſe monaſterium conſtruxit, & proprio ditavit patrimonio; in quo Foilanus pro Chriſto paſſus eſt.

c *Clodovei 2. major natu frater erat.*

Sigebertus idem multorum monaſteriorum fundator Fur-

Furſæo cum ſociis & fratribus perfamiliaris ſanctè moriens filium reliquit Dagobertum Auſtraſiæ Regem, qui brevi pòſt per Grimoaldum principem finibus avitis pulſus, in Scotia (quæ tum ſola erat Hibernia) perfugium nactus eſt, & de Hibernia (*d*) in patriam revertentem Williſridus Archiepiſcopus Eboracenſis hoſpitio recepit.

(*d*) ut habet G. Malmeſburienſis

Pipini patris Caroli Magni S. Virgilius noſter Eccleſiaſtes, eidem Sanctus Wiro à confeſſionibus fuit.

Carolus Magnus (ut in ejus vita refert ei à ſecretis, & gener Eginardus) *Scotorum reges ſic habuit ad ſuam voluntatem per ſuam munificentiam inclinatos, ut eum nunquam aliter, quam dominum, ſeque ſubditos, ac ſervos ejus pronunciarent.* Quos vero Scotos ibi intelligit Eginardus, ipſum conſule ad annum 812, *Norvegi Hiberniam Scotorum Inſulam agreſſi à Scotis in fugam converſi ſunt.*

S. NotKerum Sangallenſem proximo florentem ſeculo audire libeat ; *Cum idem Carolus regnare cœpiſſet, & ſtudia literarum ubique propemodum eſſent in oblivione, contigit duos Scotos de Hibernia in littus Gallicum devenire ; viros & in ſecularibus, & in ſacris ſcripturis incomparabiliter eruditos.* Horum unus Claudius Clemens almæ Pariſienſis academiæ, quæ alias Europæas, ſi non antiquitate originis (de quo controvertitur) ſaltem honoris prærogativa antecellit, tum initia poſuit : alter Jeannes Scotus à Carolo Ticinum, nunc Papiam in Italia miſſus alterum divinæ, humanæque literaturæ gymnaſium erexit.

Aliis non immorabor indidem poſtea catervatim confluentibus ; de quibus Erricus Antiſidorenſis ; *Quid Hiberniam memorem contempto pelagi diſcrimine pene totam cum grege philoſophorum ad noſtra* Galliana *littora migrantem, quorum quiſquis peritior eſt, ultro ſibi indicit exilium, ut Salomoni ſapientiſſimo ſtimuletur ad votum.*

Ex

Ex hactenus prolatis liquet, quorum Scotorum antiquitus cum Gallis commercia, & amicitiæ fœdera interceſſerunt.

Porro qui eâ inani homonymiæ amphibologiâ rerum noſtrarum gloriam ſibi arrogarunt Scotici noſtræ memoriæ, & ſuperioris ſeculi ſcriptores apud ſagaces auctores Mythici habentur; nec benigniorem merentur fidem, quam Ægytiæ Manethonis tabulæ, ſicuti Nicolaus Viguier Franciſci 1. hiſtoriographus, (*e*) Polidorus Virgilius, (*f*) Genebrardus, (*g*) Rozius, (*h*) & alii plurimi commonuerunt. Edmundus Hayus gravis Theologus, & ipſe Scotus Leſlæum, Boetium, Thonſonum concives ſuos graviter reprehendit ob injuriam Hibernis illatam in rapina SS. & Illuſtrium virorum. Eoſdem Raderus (*i*) ſimiliter taxat; eoſque eo nomine Ferrarius Servitarum Generalis hagiocleptas i. ſacri furti reos appellat. (*k*) Buchananus ipſe Joannis Majoris hiſtorias Scoticas erraticas eſſe, & fabuloſas perhibet, & Hectoris Boetii plurima figmenta merito refellit (*l*). Dempſteri menologium talibus fabulamentis refertiſſimum Catholicorum lectione interdictum eſt; ejus Hiſtoria Eccleſiaſtica Scotiæ ejuſmodi expilationibus redundat. Camerarii librum ex noſtræ gentis indigetibus conflatum nobilis miles Philippus Sulevanus ſcriptis penes me nondum editis luculenter confutavit. Clariſſimum Udbo Emmius Friſiæ decus in opere novo chronologico (*m*) ita de Scotorum Britanniæ antiquitate cenſet; *Hoc ſolum indicamus, quæ de Scotis, & eorum regibus ab Anno 330 ante caput æræ Chriſtianæ, cum Alexander Macedo rerum potiretur in Oriente, uſque ad Fergufium 2 regem Scotiæ quadrageſimum, cujus initium conjicitur à Scotis in annum Chriſti 404, qui ejectos è Britannia Scotos dicitur in eandem reduxiſſe; non ex annalibus vetuſtis vetuſtos auctores habentibus, ſed ex agraphis traditionibus à recenti-*

e *Bibliothec. hiſtorialis par. 2. par. 38. & 39.*
f *lib. 3 fol. 53.*
g *ad an. 1116.*
h *de ſignis Eccl. l. 8. c. 1.*
i *Tomo. 2. Bavar. pag. 254.*
k *in præfatio e ſui SS. catalogi.*
l *lib. 1. pag. 13 lib. 2. pag. 82. de rebus Scotorum.*
m *pag. 198.*

recentioribus deprompta memorantur, ea nos pro certis habere non posse. Scimus enim quam lubrico, atque instabili fundamento nituntur. Quinimo ne ista quidem satis certa nobis videntur, quæ à Fergusii 2 initio, & Scotorum reditu in Britanniam in rebus Scoticis recitantur ad an. Christi 829, quo picti scribuntur in Britannia à Scotis deleti. Rectè quidem Candidissimus Historiarum professor. *Gerræ itaque sunt*, juxta exactissimi Britanniæ Chronographi (*n*) judicium, *quod Scoti scribunt, Scotorum nomen, & regnum plurimis ante Christum natum seculis in Britannia floruisse.* Etenim authores classici Ptolomæus, Dio Herodianus, & alii antiqui omnes non alias gentes in dictionibus, quas nunc Scoti insident, quam Britannos, Mæatos aut Caledonios collocarunt. Vetustissimus Britonum scriptor Gildas, & ex eo V. Beda (*o*) Scotis in Britannia fixas sedes denegant anno 23 Theodosii Junioris Ætio tertium, & Symmacho consulibus, (*p*) quo Scotos grassatores è Britannia domum in Hiberniam suam reversos testantur. *Procedente autem tempore* (Bedam (*q*) audis, qui è veteris memoriæ scriptoribus solus Scotorum Britanniæ mentionem à Pictis separatam facit) *Britannia post Britones, & Pictos tertiam Scotorum nationem in Pictorum parte recepit.* Locumque, quem insederant, ibidem designat. *Est autem sinus maris permaximus, qui antiquitus gentem Britonum à Pictis secernebat. Qui ab Occidente in terras longo spacio erumpit, ubi est civitas Britonum munitissima usque hodie, quæ vocatur Alcluid. Ad cujus viz. sinus partem septentrionalem Scoti, quos diximus, advenientes sibi locum patriæ fecerunt.* His etiam contenti finibus ad Bedæ mortem testis est ipse vicinitate proximus, & signanter Anno Christi 731 cum fine suæ historiæ confirmat. *Et licet Scotos, qui Hiberniam & Scotos qui Britanniam incolunt, diligenter distinguat.* (ut ait doctissimus Usserius (*r*) *ipsa tamen Scotia*

n Camden. Britanniæ tit. Scotia.

o Histor. Eccl. l. 1. cap. 13 & 14. & in chron. o.

p æræ Christi. 446.

q Ibidem. l. c. 1.

r De Eccl. Brit. prim. rd. p. 734.

ei

ei semper est unica; eadem nimirum, quæ Hibernia. Nam neque Dalrieda, quæ ad ann. usque 840 Scotorum Btitannicorum sedes erat, Scotiæ nomen est consecuta, neque etiam *integra ipsa Albania* (hodierna Scotia) *debellatis statim Pictis; sed tum demum, quum populo utroque in unam gentem coalescente, obsolevit plane nationis Picticæ memoria. Quod ut ante undecimum post Christi nativitatem Seculum, haudquaquam factum, ita neminem, qui toto antecedentium annorum spacio scripserit, produci posse arbitramur, qui Scotiæ appellatione Albaniam unquam designaverit.* Quod ad tempus attinet, quo Dalreudinam à Beda signatam ditionem dilatarunt, Joannes etiam Major suffragatur, (s)ubi post Carolum Magnum fato functum, ut innuit, *Scotiæ meliorem, & fertiliorem partem Pictis ademerunt.*

s *Hist. Scot. lib. 2. c. 2.*

Chronologiam inscribere instituti ratio depoposcit, quod præcipuum fuit eventuum, quos commemoro, annos, & annorum partes, ubi elicere potui ad aurificis quasi stateram quam exactissimè examinare. Qui ad punctum collineare contendit, is certè à scopo minus aberrabit, quam qui superficiem circularem assequi contentus est. Nonnullos interim è re nata expedivi controversiarum locos historicos; dubios, & obscuros explicando, discrepantes conciliando, & falsos resecando. Genealogicam quoque seriem diligenter revisam longissimam attexui; adeo ut, qui rerum nostrarum tam sacrarum, quam prophanarum justæ, ac integræ historiæ concinnandæ munus susceperint, plurimum adjumenti ex hac chronologicæ, genealogicæ, ac historicæ certitudinis epitome haurire possent ad dolendam illam antiquitatum nostrarum jacturam reparandam, earumque notitiam exteris communicandam: in quibus ob plurima subactæ gentis incmomoda non nisi imperitis calamis instructi plenius informari summopere desiderant.

Cum aliàs nuſquam gentium alia natio antiquitatum ab omni ævo obſervantior exactius chronographias, genealogias, ſtemmatographias, majorum facta, propagationem, ditionum terminos, jura & omnem demum antiquitatem cuſtodierit, ut non immerito dixerit Camdenus; *Ut præ illis Hibernicis hiſtoriis omnis omnium gentium antiquitas ſit novitas, & quodammodo infantia*: veriuſque de his eximius ille Scotorum poeta, quam de ſuis (ſine his) Scoticis rebus cecinerit;

——— Quodcunque vetuſtum
Gentibus in reliquis vel narrat fama, vel audet
Fabula, longævis vel credunt Secula faſtis,
Huc compone novum eſt (t).

t Buchanan in Epithalamio citato.

Scythæ inter gentes vetuſtiſſimi habentur, Japheti cui ex voto patris *Dilatet Deus Japhet* (u) ſobolis fœcunditas obtigit, ex Magog filio nepotes: penes quos ab initio legum, vitæque inſtituta, & juſtum imperium fuit. Unde illud temporis intervallum, quod cataclyſmum, & Babyloniam Aſſyriorum tyrannidem, intercurrit, Scythiſmus, teſte Epiphanio, appellatur. Scoti Scytharum progenies vetuſtatem nominis à majoribus hauſtam in poſteris ſummâ obſervantiâ perennarunt; quibuſdam ad hoc deſtinatis in ſingulis ditionibus antiquariorum familiis, opibus, prædiis, ac honoribus remuneratis, qui hujuſmodi monumenta novis ſucceſſibus augebant, ſingulis ſeptenniis conferebant, in conceſſibus publicis Doctorum examinabant, & judicum arbitrio corrigebant, nihil reliquum facientes, quod ad veritatis notitiam humana fide quis poſſet deſiderare. Sed de codicum Hibernicorum delectu nunc maxima eſt habenda cura, & acre judicium; nam aliqui planè apocryphi ſunt, aut fabuloſi ad oblectamentum conficti; alii

u Gen. 9. 27.

excm-

exemplarium varietate, & ignorantia Amanuenſium vitiati, alii adulatione, & ambitione hyperbolicis commentis aucti; in quibus ſparſim indubitata veritas elucet unanimi traditione, & Antiquariorum conſenſu elicienda.

Res chronologicas, quibus imprimis enucleandis incubui, nuſquam alibi magis certas, perpetuas, ac ſolidioribus reperi nixas firmamentis. Cujuſmodi præ Vetuſtate Rariſſimum eſt, ac plurium Characterum concurſu clariſſimum Exemplum in Anno Scotorum in Hiberniam Appulſus, Cui inſculptum Maias Kalendas in Feriam Hebdomadis quintam, & diem Lunæ Ætatis Septimum Incidiſſe. Alii Prætermiſſo die ac Anno, Salomonis Hieroſolymæ Regnantis tantum tempore eos appulſos prodiderunt. Singula Anno Periodi Julianæ 3698, competunt, quo ſeptima Luna, & dies Jovis (Litera Feriali E) cum Kalendis Maii concurrit, quique fuit ex Scaligeri Mente Annus Salomonis Regni Quintus, & Mundi 2934. Eundem Ipſum Æræ Mundanæ Annum alii quoque, quibus Scaligeri mens minime conſcia ſignanter adnotarunt, nulla facta Salomonis, aut diei Menſis mentione. Adeo ut, ſimul conſpirantibus, quæ à diverſis tradita, Die Hebdomadis, Menſis, & Lunæ, Salomonis tempore, ac Epochæ Mundi Anno, nullus ambigendi locus relinquatur, quo anno ac anni Tempeſtate, Scoti primum in Hiberniam Intraverunt.

Verum hic percommodum inquirendum venit quod commercium Hibernorum tunc temporis cum Kalendis, aut menſe Maio? aut quomodo character ad Kalendas Maias tum ſignatus cohæreat cum anno Juliano non niſi extremis C. Julii Cæſaris temporibus reformato? cum ante nihil abſurdius, aut incertius anno Romano. Unde Solis deliquium à Livio (w) ad 5 Idus Quintilis (i. 11. Julii) notatum per eos dies quibus L.

(w) *Decad.* 4. *l.b.* 37.

Cornelius Scipio Consul Româ cum exercitum movit, qui, devicto Antiocho Magno, Asiaticus est appellatus, subductis cœli versionibus juxta Kalendarii Juliani rationes in diem 14 Martii, & feriam 2 incidisse comperitur, anno V. C.: Varroniano 564. L. Cornelio Scipione, & C. Lælio Coss. qui fuit Per: Jul. 4524. 17. intercidentibus septimanis inter 14 Martii, & 11 Julii. Annis abhinc elapsis 22 idem Livius memorat Lunarem defectum, quem postera luce secuta est Æmilii Consulis de Perseo Macedonum Rege victoria, pridie Nonas septembris contigisse, Anno ab V. C. 586, eam vero eclipsim Abacus astronomicus, & fasti consulares conferunt in diem Junii Juliani 21, Anno V. C. Varronniano etiam 586 præfato L. Æmilio Paulo secundùm, & C. Licinio Crasso Coss. qui fuit Per: Jul. 4546. Antiochiæ in Syria populus fuso ad Pharsaliam Pompeio novam æram Cæsari consecrarunt à 6to die mensis Ægyptiaci Thot in Anno Nabonassareo 700 initium sumentem 34 diebus ante Kalendas Januarias, quibus Cæsar iterum, & P. Servilius Vatia Isauricus consulatum inierunt: sed Annus Romanus usque adeo tum à cardinibus veris exorbitabat, ut Kalendæ hæ ipse diei 13 Octobris responderent, si formam anni à Cæsare 3° abinde anno reformati spectaveris. Anni enim Nabonassarei 700 dies primus mensis Thot fuit Septembris Juliani quartus in Anno Per: Jul. 4665, atque ita sextus Thot, Septembris nonus; à quo dies tricesimus quartus non in Kalendas Januarias, sed in 13 Octobris incidit.

Frustra igitur Kalendæ Maiæ, & anni Juliani ratio in anno Scotorum in Hiberniam appulsus quærenda est ante Romæ incunabula, Olympiadum Iphitæarum, & Nabonassaris initia, conjecturis tamen potest reddi contra hoc objectum ratio, Hibernos nimirum veteres peculiarem

culiarem habuiſſe tempora ſupputandi normam, licet poſtea obſoletum : *nulla profecto gens unquam fuit, quæ annum ſuum ad Solis motum non expenderit*; ut bene animadvertit Temporarius; (x) & anni Juliani-faciliori norma cum Chriſtianiſmo recepta, quoſdam utrâque calculandi forma expertos tempus illud annis Julianis in præterita extenſis accommodaſſe; *quibus* annis Julianis, ut idem ait, (y) *huc uſque à condito mundo tempora metiuntur hiſtorici.* Ex quo autem anni Juliani uſus per Rom: imperii fines propagatus eſt, & ad hanc Inſulam (cum Evangelii ut credibile eſt prædicatione etiam ante S. Patricii Apoſtolatum) introductus, nuſquam gentium plures temporum characteres tam Cœleſtes, quam civiles, nuſquam crebriora phænomena anni Juliani formæ inſcripta ſunt, quam in annalibus Hibernicis reperire eſt.

x *lib.* 3. *c.* 12. *pag.* 283.

y *Ibid. p.* 285. *numero* 13.

Æra autem illa vulgaris Chriſtiana, qua nunc utimur, non à Chriſti tempore continuata huc uſque dimanavit; ſed ſeculo 6 propalata, & non niſi octavi initio ad ſignanda) tempora vulgo adhiberi cœpta. Nam ante id tempus ex monumentis publicis & privatis liquet uſum ejus infrequentem fuiſſe: unum eſt exemplum antiquiſſimum apud S. Gregorium (z) M. *Datum 7. Kal. Junii, Anno ab Incarnatione Domini* 593. *Indictione* 11. Euſebius Conſtantino M. æqualis primus, ut aliqui volunt, ſerie annorum à Chriſti natali porrecta, in diſponendis perpetuo chronologiæ temporibus uſus eſt; eamque priſcarum ærarum Olympiadum, & ab V. C. faſtis coaptavit caput ejus ſtatuens Anno Per: Julian. 4713 uno anno poſterius, quam fecere Clemens Alexandrinus (a), Tertullianus (b), Africanus (c), Lactantius (d), Auguſtinus (e), aliique vetuſtiſſimi Chriſtiani, ad quorum ſententiam recentiores chronologi propius accedunt. Sed hæc æra Euſebiana poſt SS. Hieronymum,

z *Epiſt. lib.* 12.

a *Stromatum l.* 1.
b *Contra Judæos.*
c *apud Hieronymum.*
d *lib.* 4. *c.* 10.
e *De Civit. Dei l.* 18. *cap. ult.*

ronymum, & Prosperum, qui Eusebii chronicon continuarunt, sicut & Olympiadum, & annorum ab V C. consignatio in desuetudinem abiit: solum fasti consulares, & Imperatorum, & Indictionum series in signandis temporibus locum tenuere. Æram igitur hanc vulgarem cum Anno Per : Jul. 4714 diffluentem Dionisius Exiguus Abbas Romanus, natione Scytha primus excogitavit. *Huic Dionysio*, ut ait Beda, (*f*) *debemus quod in Cyclo suo anni non per* Olympiades, Coss. aut indictiones, sive annos Diocletiani, sed a Christi Incarnatione numerari cœpti sunt. Quamobrem non desunt, qui contendunt numeros illos, sive seriem annorum Christi apud Eusebium, Hieronymum, & alios chronographos Dionysio antiquiores recentiùs à librariis additam per collationem Olympiadum, & Consulum, ac per adjunctionem annorum, quibus Imperatorum quisque regnavit, ut pluribus docet Pontacus (*g*).

f De Ratione Temporum cap. 45.

g In notis ad Eusebii Chronicon.

Dionysius Anno Justiniani Imp. 6. qui cum Anno æræ vulgaris 532, & Per: Jul. 5245. à 1° Aprilis concurrebat, certum, ac Justum celebrandi in posterum Paschatis modum constituens huic æræ Christianæ novum suum cyclum Paschalem affixit. Cæterum æræ illius usus in temporum serie assignanda non exinde frequens invaluit, usque ad ann. circiter 717 cum Gregorius 2 Ecclesiæ præsideret. Ex illo autem tempore, ita sensim inolevit, ut omnibus pene actis signandis cum annis Regum, vel Imperatorum, Indictionumque numero ad nostra usque tempora adhiberetur. Sed nostri, & superioris seculi chronographis cæli, quod fallere nescit, præsidio innixis satis compertum est Dionysianum computum vero Christi natali duobus ad minus annis posteriorem esse : oportet enim Christi natalem Herodis excessum præcedere, alias à mortuo cane nihil metuendum Josepho esset, cum in Ægyptum

Dei

Dei infantis ſaluti præcavens aufugeret; Herodis autem obitum certiſſima nota cœlo inſculpta Lunæ eclipſis deſignat, quam paulo ante accidiſſe Joſephus hiſtoricus refert, (*h*) & calculus aſtronomicus docet nocte intempeſta contigiſſe inter 9 & 10 Januarii feriam 6. & Sabbatum, Anno Per: Jul. 4713 V. C. ex Varronis ſententia 753 Olymp 194 3° fluente: In Martio ſequenti paulo ante Paſcha obiit Herodes (*i*): Dionyſianæ vero æræ Epocha à Kalendis Januarii ſequentis dimanat cum Anno Per. Jul. 4714 Jeſu ab infanticidio in Ægypto pridem exulante; latum tamen unguem ab ea diſcedere annorum quaſi mille jam præſcriptio, & Communis gentium, & præcedentium ſcriptorum conſenſus vetat.

h *Antiquit. Judæorum l.* 17. *c.* 8, & 9.

i *Ibid. c.* 10.

Hibernorum informa anni Juliani alia fuit antiquior, & certior, ſi ſarta tecta ad nos perveniſſet, annos numerandi ratio; cujuſque viz anni, qua quidquam memoriæ prodiderunt, Kalendas Januarias hebdomadis feriâ, in quam inciderent, nullâ aliâ adhibitâ ærâ, ſignabant; hoc modo; Kal. Jan. feria 4 Quintus Centimachus Rex 20, Octobris feria 3a occidit; qui concurſus feriæ 4 ad Kalendas Januarii, & feriæ tertiæ ad 20 Octobris infra 28 annorum cyclum iterum non contingit. Ætatem Lunæ etiam nonnunquam addebant, & illius anni numerum Decennovenalis cycli. Unde facilis eſſet ratio, quemlibet annum ſic ſignatum ſine ullo errore, aut controverſia ad quamvis reducere æram. Verum temporum injuria, ac Amanuenſium incuria factum eſt, ut in multis annis unus numerus feriarum, vel ætatis Lunæ pro alio poneretur, nonnunquam etiam prætermiſſis his characteribus, longa Kalendarum ſeries, tanquam faſti conſulares, tot annos, quot Kalendas denotans ſequeretur in hunc modum; Kal. Ja. feria. 6 S. Patricius obiit 16. Kalendas Apri-

Aprilis feria 4. Kal. Kal. Kal. Kal. Kal. Kal. Kal. S. Ibarus obiit 9 Kal. Maii, unde ſupputanti colligere liquet S. Patricium Anno æræ vulgaris 493. S. Ibarum ſeptem abinde annorum Kalendas Anno 500 deceſſiſſe: verum omiſſis inter utriuſque mortem Librariorum negligentia unis, vel pluribus Kalendis, in totidem annorum errores impactum iri oportet. Unde in annis æræ Chriſtianæ Hibernico huic Kalendario retro connectendis facile in errores incidebant, qui chronologicis illis characteribus uti neſcierunt.

Æræ enim Chriſtianæ uſus apud noſtrates, ut exiſtimo, non inolevit ante ann. 1020, quo ſcriptorum conſenſus cum eo anno concurrens, & varii characteres eo, ac ſequentibus annis cum æra vulgari cohærentes indicant ejus uſum inoffenſum deinceps perduraſſe; annaleſque noſtros juxta characteres ſuos cum eâ ad hoc uſque ſeculum ſine vitio quadrare. Hunc primum æræ vulgaris tum uſitatæ annum ſic annotatum reperio; *Kal. Ja. 6ta feria, Luna 2. annus* 14, *circuli Decennovenalis, & vigeſimus poſt mille finitum: Mariaanus S. Patricii ſucceſſor Primas Hiberniæ obiit die* iii. *Junii feria* vi. *ante Pentecoſten.* Quæ omnia annum 1020 etiam ſi non foret expreſſus, inter annos 532 ad minus indigitant. Deinde *Kal. Ja. prima feria,* xiii *Luna.* Item *Kal. Ja. fer.* (ii) *Luna* 24 *ab Incarnatione Domini* Mxxii, *Anno Decennovenalis Cycli* xvi *Malachias Rex Hiberniæ obiit* 4 *Nonas Septembris die Dominicâ.* Cujus annus obitus 1022 etiam diſticho comprehenditur. Item anno ſequenti *Kal. Ja.* iii *feria, Luna* v. xvii. *Decennovenalis cycli, vigeſimo tertio poſt mille Eclipſis Solis in meridie, & alia Luna uno menſe.* Item poſtea *Kal. Ja.* iii. *feria Luna xvi,* xviii *anno Decennovenalis circuli, Milleſimo, ac* xxiv *Anno Incarnationis Dominicæ, hic annus biſſextilis eſt*; & ſic de cæteris. Notandum vero ex contextu

contextu 3. feriam pro 4 exscribentis vitio huic positum ad ann 1024.

Equidem ante annum 1020 diversa chronologica disticha in annalibus reperio annos quosdam æræ Christianæ complexa ad sequentium eventuum iis annis contingentium memoriam posteris transmittendam, viz. duo disticha de morte Aidi Finnliathi R. H. annum mundi 6075. Christi 876. & diem 12. Kal. Decembris referentia: aliud distichon de cæde Cormaci Regis Momoniæ Anno 903 Christiano. Item versiculos de Thadæi filii Foelani HyKennsalach domini obitu ad annum 920. Item de expilatione Dunsobarchiæ per Danos Anno 924. Item distichon de Fernensis Ecclesiæ direptione à Danis facta Anno 928. Mugronius scriba Ardmachanus (*k*) annum exitus Murchertachi Principis 941 disticho contexuit. Annum Dublinii ab Hibernis contra Danos exciſi 942 distichon signat. Broeni Regis Lageniæ necem Anno 945 duo quidam versibus commemorant. Ab excidio Dublinensi ad Congalii R. H. casum Anno Christi 954 annorum 12 spacium ei regnando quidam Aidus O Rathnen versibus testatur. Ossoriorum Cladem ad Liffeum Anno 972 versiculi commemorant. Dubdaletheus (*l*) versibus compegit 978 annos à Christo nato ad mortem Mugronii Abbatis Hiensis, ad prœlium Femorense, & ad mortem Donaldi O Neil Regis Hiberniæ Hiberniæ. Denique extat distichon Briani R. Hiberniæ interitum, & Danorum ad Cluan-tarf cladem Anno Christiano 1013 affigens; ut omittam illud a Ketingo in regno Briani citatum distichon eundem eventum ultra omnem fidem ad an. 1034 extendens.

k *Quem primarium Lectorem Ardmachanum Anno 1102. defunctum existimo.*

l *Primas tum Ardmachanus, ut reor.*

Verum certissimis notis, ac rationibus liquet horum distichorum concinnatores, si Synchroni fuerint (ut Dubdaletheus ad an. 978. Si Primas Armd.) æræ tamen

vulgaris Chiſtianæ uſum non habuiſſe, atque ideo verum illius æræ annum nullum aſſecutos ; ſin tempore poſteriores (ut Mugronium fuiſſe judico) calculos malè in anteriora juxta illam æram ſubduxiſſe. Recte quidem annus æræ vulgaris 876 cum Anno mundi Euſebiano copulavit, qui Aidi Finliath R. H. obitum ad eum ann. ſignavit ; ſed poſt Malachiam primum pridie Kal: Decembris feria 3. (ut habent *Dungall. annales*) vitâ exutum, Aidus ille 16 annos regnavit. Ad mortem 12 Kal. Decembris vi. feria (ut notat Chronicon Scotorum) cujus ſucceſſor Flannius viii. *Kal. Junii*, vii. *feria*, xxxvii. *Anno regni* (ut eodem Chronico) qui *regnavit annos* 36, *menſes* 6, *ac dies* 5; ut exactè notat Waræus, (*m*) vivere deſiit. Quæ perſpecta irrefragabile reddunt Aidum Finnliath Regem Hiberniæ mortuum Anno æræ vulg. 879 quo litera Ferialis [*D*] vigeſimum Novembris feriam 6. docet, cujus ſucceſſor Anno regni 37 Chriſti 916. Sabbato 25 Maii (Fliterâ Dominicali) è vita exceſſit. Anno 908 (17 Kal. Septembris feria 3 ut Dallanus Moræ filius cecinit) B literâ, Cormacus Rex Momoniæ cecidit, poſt (quem Anno octavo Flannum R. H. obiiſſe poema chronologicum teſtatur. Thadæum Hy-Kennſalachiæ Dominum An. 922. ſexto poſt Flannum R. H. deceſſiſſe, Dunſobarchiæ caſum Anno 926, 10 poſt Flannum, eodemque Anno quo Dani 28 Decembris, & 5 Feria (A litera Feriali) à Murchertacho Principe profligati ; Fernenſe quôque excidium A. 930 Kalendarum ſeries confirmat. Murchertachus Princeps pro patria contra Danos occubuit 26. Martii (*n*) & die Dominica (*o*) Anno 943 (Cujus litera dialis A) Dublinii excidio inſequens annus 944 & Congalii R. Hiberniæ initio, qui Anno 956 Regni 12 contra Danos occubuit, nobilitatur. Oſſoriorum ad Liffeum ſtrages Anno 974 Kalendis docetur. 24 anni, quibus regnavit Donal-

m *Antiquit. Hib cap. 4.*

n *Dungal. annal*

o *Ad Ulann.*

Donaldus O Neill poſt Congalium annum 980 evincunt pro prœlio Temorenſi, & Malachiæ ſucceſſoris initiis. Briani R. H. annum poſtremum 1014 feria Paraſceves 23. Aprilis citra dubium omne ponit. Deinde quæ Anno 1019 & 1020 memorantur ad eaſdem Kalendas anni ſc. 1020 æræ vulg. Dionyſianæ ſpectaſſe comperiuntur. Annum certè æræ vulgaris verum 1004 in Poemate interitus Aidi O Neill Principis (de cujus obitu *Annales Dungallenſes* ad annum 1003) rectè conſignatum invenio; ſed *una hirundo non facit ver*; nec unus author uſum illius æræ frequentem ante annum 1020.

Senatenſium annalium author Carolus Maguir exactiſſimus Chronographus, prout citationibus ex ejus annalibus apud Uſſerium, ac Waræum, Ultonienſibus dictis, colligo, primus, quod ſciam, fuit, qui annos æræ Chriſtianæ faſtis noſtris regrediendo adjunxit; eo tamen ordine, ut ubique unus annus æræ vulgari deſit annum uſque 1020. Poſt annum vero 1019 non rectè unus annus à Waræo, ejuſque ſequacibus ſuperadditur; quemadmodum Malachiæ 2 R. H. obitum in annum 1023 Tordelvachi Regis Momoniæ in ann. 1087 referunt eodem defectu, quo ante annum 1020 hos annales laborare exiſtimantes. Quatuor Magiſtris annalium Hiberniæ Dungallenſium Anno 1636 abſolutorum Cluanenſes, Inſulenſes, ac Senatenſes annales cum aliis variiis, ac diverſis Chronicis ſecutis difficile fuit, quin plurimos anachroniſmos committerent Kalendarii rationes non perpendentes.

Hunc primum Hiberniæ Chronologiæ à primo Inſulæ incolatu ad annum partus Virginei 428 librum tripartitum exhibemus: temporum Chriſtianorum alterum inde ad annum 1022, quantocius daturi. Si hos vigilias benigne ſuſceperis, amice Lector, animum alacriorem reddes ad hujus Inſulæ annales Deo adjuvante

vante ulterius prosequendos. Nihil in me invidiâ tua dignum ingenuè agnosco, ingeniique mei fœtus infra Doctorum subsellia infinitis gradibus subsidere. Si vero profundissima Ogygiæ nostræ antiquitas heic demonstrata, si Regia Majestas è septingentorum ferè annorum supra duo millia stemmate etiamnum florens, si vetustissimus literarum usus, sine quibus tam accurata temporum veterum supputatio elici nequit, si denique per tredecim jam prope Secula inviolatum Christianæ professionis exercitium invidiam pariat, libenter feram,

——*Rumpantur ut ilia Momo.*

OGYGIÆ.

OGYGIÆ INSULA:

SEU

De Hiberniæ Insula, primis Incolis, variis Nominibus, Dimensionibus, Regibus, Regumq; Electionibus.

PARS PRIMA.

INsulæ, utrùm ab initio in Salo positæ, an à Diluvio, ambigitur, aut postea continuis æstuum vorticibus interfluente mari à terris abruptæ. Quasdam ita avulsas exploratum est; quemadmodum *Caergreic*, (Bedæ urbs Guidi, Latinis Victoria) in Scotiâ, & Vecta Insula in Angliâ, utraq; *Guith* Britannis dicta, quod divortium aut separationem denotat, teste Nennio. Eubœam, nunc Negroponte, è regione Achaiæ, Prisci tradunt olim continenti *Græciæ* junctam, sed terræ motu avulsam, atq; Insulam factam: In cujus Euboicum fretum Aristotelem se præcipitem dedisse fabulantur, quòd velocis, ac va-

rii in eo Euripo cursus maris, ubi quater in die, aut septies, ut alii tradunt, reciprocantur æstus, causam indagare nequiverit. De aliis Insulis ita avulsis sic Poetæ meminerunt;

Leucada continuam veteres habuere Coloni,
Nunc freta circumeunt: Zancle quoq; juncta fuisse
Dicitur Italiæ, donec confinia pontus
Abstulit, & mediâ tellurem reppulit undâ. (a)

(a) Metamorph. Ovidii Lib. 15.

——Trinacria quondam,
Italiæ pars una fuit, sed pontus, & æstus
Mutavere situm: rupit confinia Nereus
Victor, & abscissos interluit æquore montes. (b)

(b) Claudian. 1. Proserpinæ.

Nec minùs quæritur, quo casu animantia, humano generi noxia, in Insulas penetrarunt, aut omnigenis avibus pervius aditus, alarum remigio, patefactus. Incolarum quoq; primorum quàm vetus, tàm incerta origo, nec ratione satis concipienda. Nihilominus quæ de talibus fama celebrat, ea non prorsus abneganda. Sacras tantummodo Literas inconvulsa manet fides: sua tamen Antiquitati concedenda est Authoritas, non inanibus oppugnanda conjecturis, nisi potiora, & magis authentica accedant Argumenta.

Quapropter juxta Veterum Monumenta nobis à majoribus per manus tradita, Hibernia non tantum extitit Insula ante Cataclysmum, sed etiam antè, & recèns pòst, hominibus inhabitata. Insulas inter varia terrestris Globi ornamenta primum in profundo creatas & Theologi, & Philologi semper existimarunt: è quibus Insulæ gentium fuerunt, quas Japheti posteris in regionibus suis brevi post Cataclysmum divisas Moses commemorat. (c) Si vera foret Alexandri M. ad Aristotelem

(c) Gen. 10. 5.

Epistola

Epistola (data testimonio cujusdam incertæ fidei sub Josephi Ben. Gorionis Hebræi nomine) Kenan, Protoplasti pronepos, in quadam marina Indiæ Orientalis insulâ diu ante Cataclysmum terræ mandatus est, & sepulchri ejus memoria (Regis mundi titulo) lapideis tabulis credita Alexandri aduscq; tempus duravit. Berosus, Beli simulachri sacerdos, è Chaldæorum monumentis bis mille jam præteritis annis tradidit, Chaldaicum Imperium diu ante Diluvium stetisse, quod Xisuther è regibus Chaldæorum decimi regno inundare contigit: & rerum ante Diluvium gestarum testimonia Scriptis relata fuisse, eaq; Heliopoli, aut apud Bethsemesh, ut jussum est, sub humo abscondita, & deinceps effossa Babylone servata ad posteros devenisse. Berosum secuti sunt Magni nominis Authores, Abydenus, Apollodorus, Alexander Polyhistor, & alii à Josepho Judæorum Historiographo, & Eusebio in hunc finem citati. Ægyptii quoq;, ne Antiquitate Chaldæis cederent, seriem Regum Diluvio longè anteriorem contexuerunt. Innumeris aliis fabulosis commentis post reparatum orbem Nationum primordia inniti videmus, si ea ad Lydium Sacræ Scripturæ lapidem conferantur. Sed Antiquis multum defertur; de quibus curiositas nihil respuit; & sæpe ex Poetarum fabulis vera, tanquam ignis è cineribus excitus, eruuntur: Rectè Lactantius; *Vera sunt, quæ loquuntur Poetæ, sed obtentu aliquo, specieq; velata; & sic veritatem mendacio velaverunt, ut veritas ipsa persuasioni publicæ nihil derogaret.* Quare licèt satis superq; compertum sit, extra Sacram Paginam rerum ante Diluvium gestarum nullam certam supereſſe notitiam, tamen quia de Cæsarea, & aliis in Hiberniam tum advectis, ab Historicis & Poetis domesticis, atq; ex his ab exteris quibusdam Scriptoribus memoriâ celebratur, ea non duxi super-

 sedenda,

sedenda, nec in aliis id genus, quæ post Diluvium occurrunt, sine certiore notitiâ reluctandum receptæ opinioni censui.

Quæ vero ad hujusmodi persuadendum quidam licentiâ Poeticâ literis mandarunt, prodigiosa commenta prorsus rejicio; qualia sunt, Fintanum, Bocrai filium, è Cæsareæ triumviris unum, cum tribus aliis (utpote quatuor in totidem mundi Cardinibus) à Diluvio resuscitatum, vitam protraxisse ad S. Patricii tempora, ac inde ad annum septimum Diermitii. r. Regis Hiberniæ, (d) & Tuanum (Ruanum Giraldus Cambrensis, Hanmer, & Waræus vocant) Partholani ex Starno fratre nepotem inter omnes unum à peste exemptum, & in varias brutorum formas per multa secula transmutatum, tandem è Salmone filium Carilli Regis Ultoniæ (e) evasisse, & inde Fintano superstitem fuisse.

(d) *Anno Dom. circiter* 570.

(e) *Anno Dom. circiter* 527.

Ex hac autem Fabulâ colligere est, Pythagoricæ, ac Platonicæ scholæ de animarum migratione, seu in quævis Corpora reditu, deliramenta apud Ethnicos nostros Druidas viguisse. Pythagoram ita sentientem inducit Ovidius. (f)

(f) *Metamorph. Lib.* 15.

Morte carent animæ; semperq; priore relictâ
Sede, novis domibus vivunt, habitantq; receptæ.
Ipse ego (nam memini) Trojani tempore belli
Panthoides Euphorbus eram; cui pectore quondam
Hæsit in adverso gravis hasta Minoris Atridæ;
Cognovi clypeum, lævæ gestamina nostræ,
Nuper Abanteis templo Junonis in Argis.
Omnia mutantur; nihil interit, errat, & illinc
Huc venit, hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, éq; feris humana in corpora transit,
Inque feras, noster, &c.——

Platonem

Platonem, animas hominum post mortem revolvi usq; ad Corpora bestiarum, scripsisse certissimum est ; ait S. Augustinus. (g) Hanc Druidum opinionem fuisse Cæsar, & Diodorus Siculus affirmant: eademq; somnia S. Franciscus Xavierius (h) in extremo Oriente apud Japonum Bonzios (sic sui cultus Sacerdotes appellant) adhuc inolescere reperit; ut mirum sit, quam commune hominibus insitum fanaticum dictamen à Solis Ortu usq; ad Occasum.

(g) *De Civit. Dei.* Lib. 10. c. 30. & *Platonis eâ de re lecos ibidem profert Lud. Vives, viz. in Timæo, in Extremo de Rep. & in Phædro.*

(h) *Turselinus in ejus vitâ.* Lib. 4. C. 13.

Prima post Diluvium in Hiberniam immigratio fuit Partholani, & ejus coloniæ. Homines ibi ante se eum invenisse, alii tradunt; alii vero, brevi post eum supervenisse. Hos Historici nostri *Fomhoraigh* nuncupant; quâ voce Nostrates transmarinos omnes adversus Colonias primas Hiberniam infestantes denotant; Chamoq; ex Africa omnes satos asserunt; exceptis his primis Fomoriis, queis nullam aliam sedem nec originem assignant.

Tales Latini Aborigines. i. sine origine, & Græci Gigantes. * i. terra genitos, dixerunt: nempe non aliunde advectos, sed arborum & herbarum instar primævos homines è terrâ germinasse autumarunt; de quibus Virgilius. (i)

* Ἀγῆ terra & γένομαι nascor, pario, genero.

(i) Æneidos. Lib. 8.

Hæc nemora indigenæ Fauni, Nymphæq; tenebant,
Gensq; virûm truncis, & duro robore nata.

Et Juvenal. (k) ——— *Qui rupto robore nati,*
Compositiq; luto nullos habuere parentes.

(k) Satyr. 6.

Gigantes, ut in morali sensu loquitur Temporarius, (l) dicti sunt è terrâ geniti, quia terris toti inhiant, nec quidquam habent cœleste. Nec ea appellatio ullam corporis magnitudinem significat: Nec *Nephelim*, quo

(l) Lib. 1. p. 10.

quo utitur Moses, deductum à *Naphal*, quod cadere est. A cœlo enim ad terram ceciderunt; nempe à mente & Spiritu ad terram & sanguinem prolapsi. Nusquam proditum est, majore staturâ fuisse homines ante Diluvium, quàm nunc sunt. Aliquot fuerunt omnibus ætatibus monstrosâ proceritate, sed perpauci. Vitæ longitudo primævis data nihil corporis magnitudini adjecit. Cornix hominem facile vincit vitæ diuturnitate, nec tamen ideò majus corpus sortita est. Proinde statuendum est, Gigantes non pro insuetæ proceritatis hominibus, sed pro tyrannis in Sacris accipiendos esse, ac Aboriginum loco: Hæc ex ipsius vocis Etymo.

Nemethus, Partholani è Tatio fratre abnepos, ejus vestigia secutus, Hiberniam secundò post Diluvium incoluit: tertiò, & quarto successivè Firbolus, & Tuathadea danann. i. populus, qui Danannam matrem cum tribus filiis pro diis coluit; unde Danannas eos verto.

Quinto loco, hos exceperunt ex Hispaniâ Milesii, Colonia Scotica è Scythicâ origine, queis diutissima Insulæ debita possessio.

Partholanum tradunt è Mygdonia, (est pars Macedoniæ maritima) Nemethum è Scythiâ, vel, ut alii malunt, utrumq; è Græco-Scythia, ut aiunt, classem solvisse. Eandem quidem patriam propinqua cognatio prodit; nec desunt, qui hunc illius ex Aglao filio in patriâ relicto ferunt nepotem. Nemethi posteris hinc ejectis post aliquot secula Firbolos è Thracia dicunt rediisse, & Danannas in Bœotiam in Achaiâ, & Athenas reversos; & ibi Magicis artibus excultos in Scandiam, & Boreales Europæ partes transiluisse, quà Norvegia, Suecia, & Dania patent; urbesq; ibi incoluisse Faliam, Goriam, Finniam, & Muriam; inde in Borealem Britanniam trajecisse, & apud Dobar, & Irdobar commoratos, donec in Boreales Hiberniæ partes advecti Firbolos

bolos deturbarent. Harum quatuor Coloniarum duces communem cum Milesiis dicuntur agnovisse patrem Magog, Noachi ex Japheto nepotem, & linguam Scoticam omnibus in usu fuisse.

Sed si fas heic à communi opinione aliquatenus recedere, multa me non invitum trahunt, ut cum Camdeno sentiam, primos Hiberniæ Incolas è vicinioribus commigrasse. Non enim, ut ait ille, simul & semel orbis cultus: par est, ut credamus, regiones Orienti propiores priùs habitatas; & sic in Europâ, Græciam ante Italiam, Italiam ante Galliam, Galliam ante Britanniam. Insulas etiam divina Providentia ita sparsas in æquore disposuit, ut una ex alterius aliquâ parte oculis signetur. Quare ipsa ratio dictitat è proximis potiùs, quàm disjunctissimis locis eas ab initio pedetentim inhabitatas.

Nemethi è Scythia Navigationem adornant per angustias freti, quod ab Oceano Boreali ad mare Caspium penetrat: à mari Caspio per intermedios sinus, quà Europa ab Asia dirimitur, ad Pontum Euxinum; unde emensis à dextrâ montibus Riphæis Europam à lævâ legendo Hiberniam attigit. Heic duo sunt errores perantiquæ originis annectandi; primus, de commentitio freto maris Scythici in mare Caspium sese insinuante, eximios ab initio sortitus Patronos; qualis est Strabo, Pomponius Mela, Plinius, & Solinus. Sed rem aliter se habere, (ut omittam Asiaticas Alexandri, & Pompeii expeditiones) testes Aristoteles, Herodotus, Ptolomeus, Diodorus, & omnes recentiores Geographi; suffragatur experientia, quâ compertum est, mare Caspium lacum esse aquæ dulcis totius orbis celeberrimum, à magnitudine Mare dictum, sicut Mare Mortuum in Palestina, terrâ undiq; circumcinctum. Secundus error, de meatu inter Pontum Euxinum, &

mare

mare Caspium; hujus erroris participes fuere Orpheus, Dionysius, Rufus, arbitrantes Tanain è Riphæis montibus ortum in mare Caspium dilabi, & exinde in Mæotidem paludem mari Pontico per Bosphorum Cimmerium (*m*) continuum effluere. Sed nulla aquarum etiam fluvialium inter utrumq; mare ante Patrum nostrorum memoriam communio unquam detecta est, ut fatentur, experimentis fulti, omnes Geographi. Non ita pridem Tartarorum Chamus, ut Turcis gratificaretur, eisq; in mare Caspium, & Moscoviam viam aperiret, tentavit fossam ducere à Tanai ad Volgam, fluvium Europæ longè maximum, (in mare Caspium 70. plus minus ostiis influentem) per 40. passuum millia, sed opus differre coactus est, donec non ita pridem Sachorbeicrus Lamuth (à quo fossa denominatur) armatâ manu illam perfecerit. Riphæi montes, de quibus sunt multi montes fabellarum, in extrema Scythia, seu Moscovia à sinu Albo ad ostium Obii fluminis protensi, mari glaciali quasi contermini, Moscoviam à Borea cingentes, siti sunt, ad quos à Ponto Euxino nullus est per mare accessus. Ad Oceanum vero iter est difficile admodum & longum, ut patet intuenti Chartam maris Mediterranei Hydrographicam, & varias Jasonis, Ulyssis, Phœnicum, & Romanorum navigationes in mari Mediterraneo contemplanti: Haud dubiè multos menses etiamnum, nisi secundis ventis, exigit: nec ullus fuit unquam aditus à Ponto ad Oceanum nisi per fretum Gaditanum Herculeum: Sed interim per multa maria transfretandum, putà per Bosphorum Thracium, Hellespontum, mare Ægæum, Creticum, Siculum, Lybicum, Africum, Mauritanicum, &c. Sed, bone Deus, quale illud esset iter per mare Mediterraneum, Atlanticum, Hyperboreum, universam ferè Europam, quà navigabilem, obeundo; relictis à tergo amæniissimis regionibus, ut rigori

(m) *Fretum angustum quod inter Europam & Asiam intercedit.*

rigori Labyrinthico algidissimi Boreæ sese committeret vagus Nemethus fœliciori quidem successu, quàm Romani; vel etiam Angli, aut Batavi, qui illic datâ operâ fretum in Cathayam meabile jamdudum præclaro ausu, instructâ classe, sed infesto fato explorare non poterant.

Gomerum, Noachi è Japheto nepotem, Gomeris, qui Germaniam, Galliam, & extremos Europæ fines insederant (Cimbri, & Cimmerii postea dicti) nomen, & originem dedisse in confesso est; idq; nomen videtur innuere, quod *Finiens* interpretatur. *Qui nunc sunt Galli*, ut apud Josephum & Zonaram, *Gomari, Gomeræi, & Gomeritæ à Gomero vocabantur.* Ab his Britannos procreatos, & nomen in originis argumentum detulisse non frustra existimat Camdenus. *Ipsi enim se Kumero, Cymro, & Kumeri; mulierem Britannicam Kumeraes, & Linguam Kumeraeg appellitant*; (*n*) unde Cambros, & Cambriam Latini procuderunt. Apud quosdam è nostris Antiquariis, idq; non semel reperio Partholanam, & Nemethum cum posteris satorem præ se tulisse Riphat Scot, à quo ipsi, & Milesii se invicem consanguinitate attigerant: neq; alio argumento docent Scoticæ Linguæ societatem, quàm quòd Danannæ cum Itho, qui è Scoticâ gente primus Hiberniam advena intravit, Scoticè congressi sunt, communem utrisq; Riphat Scot parentem asserentes. In hunc sensum Firfessius Firbissius in suâ Hibernicâ Grammaticâ (*o*) tradit Fenisium Farsaidh Scotorum stirpem descendisse à Bathio filio Ripathi, filii Gomeri, filii Japheti, filii Noachi; & Philippus, O Sulevanus (*p*) ex alio aliquo Antiquario sic habet; *Partholanus sub annum à Diluvio* 300 *Hiberniam coluit: qui quòd ipse à Riphæo Scytha Magogi filio, Japheti nepote, Noæ pronepote genus ducebat, inde ejus posteri Scoti,*

(n) *Camd Brit.* p. 10.

(o) Ussherus, &c. p. 4. Col. 2.

(p) *Adversus Camerarium N. S. inedirus f.l.* 13.

C [illegible] *quasi*

quasi Scythæ dicebantur. Verum enimvero communi omnium consensu Fenisius Magogi illius ex Bathio filio nepos fuit; & Magog Scytharum pater: eodemq; Fenisio Scythæ, vel Scoti genus duxerunt, qui ex Hispaniâ in Hiberniam tranſmigrarunt; quorum Majores, si ad Japhetum gradatim percurras, nusquam Riphatum Scotum, vel Riphæum Scytham invenies; nec Scythicam, aut Scoticam ante eos in Hibernià Coloniam; de quibus ita vetus Author Nennius Britannus, ut ex ipsis Scotorum peritissimis edidicerat, *Scythæ in quartâ ætate Mundi obtinuerunt Hiberniam.* Nec Riphæus Magogi filius fuit, nec Partholani, aut alterius in Hibernià coloniæ ante ipsos Scotos, posteri *Scoti quasi Scythæ dicebantur.* Quocirca O Duveganus (*q*) Nemethios, ac Milesios in Japheto communi patre se invicem attigisse disertè asserit. Cùm igitur Milesii Scoticæ coloniæ duces ex Magogo, filio Japheti; unanimi Antiquariorum suffragio originem traxerint, reliquum est, ut Riphat ille, Gomeri filius, cæterorum sator fuerit, qui ante Scotos Hiberniam incoluerant. Atq; ita è Gomeræis erant, qui primùm Galliam, Germaniam, & Britanniam insederant. De Gomeri enim tribus filiis Aschenaz, Riphat, & Togorma Moses meminit (*r*). Scot ad Riphat adjectio, & Linguæ Societas eo consilio adjecta est, ut fictitia propinquitas inter hos è Scythiâ, & illos priores Hiberniæ cultores obtrudatur. Cur enim lingua Scotica, & Gadelica peculiariter diceretur, si omnibus communis? Imò quod intentum meum de patriâ, & origine confirmat, & linguæ Scoticæ communionem refellit, suas istis peculiares linguas diserte apud Antiquarios adscriptas lego (*s*). Firboli enim dicuntur Britannice, & Danannæ Germanice locuti. Itaq;

(q) *Poema de Hiberniæ Regum Genealogiâ à Slangio ad Brianum.* Alta ſuñ ſgneaſ Nioḃ Cṁoñ ubi habet; ag Iapeth comṁoiṫeſ Golam: Iſ Neimeaḋ na ttoṁaḋ ttṁom.

(r) *Gen.* 10.

(s) *Codex Lecan. fol.* 283.

Itaq; humanum genus, ex una radice procreatum, non nisi pedetentim in remotissimas ab Oriente plagas procedebat; cúmq; unius labii, & eorundem sermonum homines essent, dispertitis juxta varias familias linguis, linguarum diversitate præcipuè ab invicem distinguebantur (*). Etenim C. Julio Cæsare oculari teste, (t) Galli in ipsâ Gallià tribus linguis juxta totidem distinctas gentes usi sunt. Adeo à veritate alienum est, ut advena Scotus ex Hispaniâ cum Hiberniæ incolis, etiam ex diversâ, juxta omnes, quàm Fenisii familiâ, à quo Scoti generis, & linguæ originem duxerunt, communem vernaculam reperiret.

(*) *Unusquisq; secundum regionem suam, & familias suas in nationibus suis.*

(t) *Cæsar. l. 1. de bel. Gall. c. Gen. 10. 5.*

Quantùm igitur per longè dissita spacia judicii aciem intendere licet, & per spissas tot seculorum tenebras discurrere, abjectis longarum expeditionum è Scythia, Græcia, Thracia ambagibus, statuendum est

1. Primas quatuor Colonias ex M. Britanniâ Hiberniam plantasse.

2. Partholanum, & Nemethum, Gomeri ex Riphat progeniem, è Boreali.

3. Firbolg coloniam ex Australi Britanniâ commigrasse.

4. Hanc, & illos Linguis ab invicem distinctos.

5. Nemethi posteris Hiberniam deserentibus ex iis Danannas in Scandiâ Borealis Germaniæ tractu peregrinatos inde in Borealem Britanniam reversos, & commoratos, usquedum in Borealem Hiberniam advecti Firbolg gentem deturbarint.

6. Devictis Scotorum virtute Danannis, Firbolos rursus sub victoribus per Hiberniam floruisse, & præsertim Connactiæ principatu longissimâ serie ad Cormaci (u) R. Hiberniæ Monarchiam potitos.

(u) *Ann. Dom. 254. capit.*

7. Fomorios seu fuerunt Hiberniæ Aborigines, nec ne; in omnes Hiberniæ Colonias grassationibus in-

signes, certum) non ex Chami filio Phut progenitos (quod ex odio in grassatores confictum videtur) non ex Africa, aut Lybicis oris tot frequentibus incursibus in Hiberniam à Partholani tempore ad Sirnæ (x) Longævi Scoticis temporibus Monarchiam irrupisse, sed unde Dani multis pòst seculis in Hiberniam Christianam irruerunt.

(x) *Anno M. 3360. circit.*

8. Fomorios, & Danannas, priusquam hi Hiberniam subjugarunt, non adeò locis dissitos, quin mutua commercia utrinq; crebrò inoleverint.

Præclara nobis de his Antiquitates patriæ documenta suppeditant, in quibus per obscuras nebulas splendor emicat veritatis. Imprimis Nemethus ex Partholani fratre, vel filio descendisse traditur; & in Actis S. Patricii, qui fuit Borealis Britanniæ civis, natus legitur in Nemthor oppido, in campo Taburni. Nemthor vero idem est, ac Nemethi turris; & à Taburno, Nemethi per Hiarbanelem filium adnepote, omnes Danannarum Principes genus traxisse dicuntur. Britannus quoq; Nemethi ejusdem, ex Fergo Leithderi filio nepos, communi Antiquariorum nostrorum traditione & M. Britanniæ nomen indidit, & Britonibus S Patricii Majoribus fator fuit. Unde Britannicarum etiam Insularum nomen à pervetustis Græcis Scriptoribus Britanniæ & Hiberniæ impertitum Britannicarum gentium ultro citroq; migrationes subindicat.

Danannas in Boreali Germaniâ Faliam, Goriam, Finniam, & Muriam urbes incoluisse, Germanicè locutos, & in Britanniæ Borealibus apud Dobar, & Irdobar commoratos, iidem Antiquarii, ut supra, disertis verbis tradunt: in quo Britanniæ tractu juxta Camdenum situs est Dea fluvius; a quo fortasse nomen sumpserunt Tuath-Dee. i. populus ad Deam fluvium insidens. Danann non aliam Danorum nomini affinem dici, cum non

non nisi seculis Christianis Danorum nomen cum eorum irruptionibus Latinis innotuit: potuit tamen diutiùs apud ipsos usurpari; quemadmodum Scotorum & Pictorum nomina prius multis seculis suis Gentibus, quàm Romanis nota.

Fomorios quidem, quos nostri vocant, ex eodem, quo Dani, Sueci, & Norvegi, tractu catervatim huc transfusos ex eo colligitur, quod Tuathalii. (*y*) i. Socer Fomoriorum Finlandiæ Rex legatur: (*z*) Finlandia autem est regio Sueciæ Maritima, & Finniæ supra dictæ urbis vestigia in nomine videtur servasse. Fomoriis etiam communia cum Danannis commercia interveniisse arguunt Breasus Danannarum Rex primus, paternum genus è Fomoriis, ac maternum è Danannis trahens, & Lugadius Danannarum Rex tertius è patris parte Danannicus, & Fomoriorum Regis è filiâ nepos. Nec miremur Fomorios ex Africa dici advectos, cùm longè posterioribus Saxonum in Britanniâ temporibus in Britannicâ legatur historiâ, Gurmundum ab Africâ in Hiberniam advectum, & inde in Britanniam à Saxonibus asscitum qui non Africanus, sed Norvagiensis Giraldo Cambrensi (*a*) verius videtur fuisse.

(y) *Regis Hiberniæ ad An. Dom.* 130.

(z) *In Stemmatographiâ Regum Hiberniæ.*

(a) *Topograph. Hib. c.* 24.

Firbolos gentem, contrà quàm nostri tradunt non ex Nemethi semine descendisse, præterquam quod alio (ut supra proditum) quàm Danannæ, Idiomate utebantur, C. Cœmanus vetustus Antiquarius (quem inter præcipuos rerum Hibernicarum Scriptores Colganus (*b*) recenset) titulo libri quinti & sexti insinuat, ut apud eundem Colganum (*c*) sic habetur: *Quintus* (liber) *de adventu Slanzii, Roderici, & sociorum* (sc. Firbolg) *usq; ad reditum filiorum Nemethii. Sextus de reditu Breasii* (Breasi sc Danannarum primi regis) *aliorumq; posterorum Nemethi in Hiberniam.* Ubi Danan-

(b) *29. Jan. p.* 198.

(c) *Ibid. p.* 199.

nas

nas posterorum Nemethi nomine à Firbol's distinguit, eorumq; in Hiberniam unde Nemethi posteri egressi, reditum innuit.

Quemadmodum Danannæ à Nostris traduntur in Aquilonari Hibernia appulisse, ita Firbolg in Orientali ad Wexfordiæ, & Arckloæ portus; quippe breviori ex Australi Britanniâ trajectu. In tres erant gentes (quemadmodum Anglo-Saxones Britanniam petentes in Anglos, Saxones, & Jutas) distincti; utpote Firbolg (quæ denominatio reliquos per Analogum complexa est) Fir-domnann, & Fir-galion; quod idem est, ac viri, seu gens Bolus, gens Domnann, & gens Galion. Bolus vero manifestè denotat Belgas Britanniæ, qui è Belgio, seu inferiori Germaniâ transmissi longè latéq; habitarunt per Regiones Somersetensem, Wiltonienſem, Hantonienſisq; agri partem interiorem; & linguam Britannicam, quâ in Hiberniâ usi sunt, disertis verbis *Belgaid* vocatam invenio; (*d*) quasi dicas eos Belgicè locutos.

(d) *Cod. Lecan. fol. 283.*

Quid per Domnann clarius literis exprimi potest, quàm Damnonios, qui Cornwalliæ, & Devoniæ agros ad ultimum Britanniæ Occasum Hiberniam versus porrectos insederant? Sed Damnonios apud Ptolemæum, Danmonios juxta aliqua Apographa legendum mavult Camdenus, ut à *Danmanith* nequicquam trahat: Verùm antiquum nomen Britannicè adhuc retinet Devonia, quæ Cornwallensibus Britannis *Devnan* dicitur; sic etiam nos Domnann *Dovnann* efferimus. Vocales in similibus non rarò Linguarum diversitate promiscuè usurpantur; ut Domnanii, Damnonii, Domnonii: Partholanus, Parthalonus, Belgæ, Bolus, &c. Quàm maximè huic voci conformis Asserii Menevensis versio, qui Alfredi (*e*) Regis tempore florens de Ceorle, seu Carolo hujus plagæ *Devnan* (quæ nunc

(e) *Rex Angl. Anno Dom. 872.*

De-

Devonia, & Anglicè *Devonshire*, contractè *Denshire* dicitur) comite, qui sub Echelwolfo rege (*f*) Alfredi patre vixit, verba faciens, eum *Domnaniæ Comitem* vocat. Dudum ante in libello, quem Gildas de excidio Britanniæ Anno Christi 564. edidit, habetur; *Damnoniæ tyrannicus catulus Constantinus.* (g) De quo Constantino Colganus noster in Actis Sac. Sanct. Hiberniæ, (*h*) sic ait; *Fuit is illius Occidentalis Britanniæ regionis, quæ vulgò Cornwallia, aliis Cornubia, & priscis, a Domnoniorum inhabitantibus populis Domnonia appellatur, Rex.* Ab iisdem Domnoniis, etiam loca in Hiberniâ nominantur; ut Inver-Domnonn, (*i*) ubi primum è Britanniâ commigrantes appulerunt, postea Invermor, nunc vero Arckloa in Wickloæ districtu fluvius, & portus prope Dublinium ad Austrium. Arckloa vero, & Wickloa, ut obiter adnotem, exotica nomina, ut Waræus (*k*) noster censuit, non sunt, sed merè Hibernica hæc Ἀνοέλοε; illa ἀν βικ̃σε-ἐλοε. S. Adamnanus (*l*) in vita S. Columbæ (*m*) habet; *Enavigare incipit ab illa regione, quæ, ultra Modam fluvium sita, Erros-domnonn dicitur:* Quæ regio ultra idem flumen sita, ad hunc usq; diem Irrosdomhnonn vocatur, quam Irrosdamnoniam verto; in qua olim Damnonios à Galvienfi ostio ad Drobisium fluvium latè dominatos insedisse & Traditio & Historiæ confirmant.

(f) *Ab Anno* 837.

(g) *Usser. de Eccl. Brit. Primord* p. 538.

(h) *Al.* 11. *Mar.*

(i) *Septima vita S Patr. par.* 1. c. 44. *apud Colg. in Tr. Thaum & vita S. Cronani apud eundem* 10. *Febr.*

(k) *Antiquit. Hib.* p. 176.

(l) *Floruit An. Dom.* 694.

(m) Lib. 1. c. 6.

Belgis in Britanniâ finitimi erant Attrebatii, quorum primaria urbs antiquitùs Gallena: Unde Galion gens deducenda; aut nomen dudum exolevit. Utcumq; eâ ratione Gallenios in posterum usurpabo, ut & Belgas, & Domnonios. Ab his vero Galleniis Lagenia quinta Hiberniæ provincia Coiggs Galian appellatur.

(n) *Apud Ware Antiq. Hiberniæ* c. 10. p. 49.

Cæterùm Hiberniæ gentes, (*n*) quas Ptolemæus (*o*) memorat Auteros, Brigantes, Lucenos Orosii, (*p*) Caucos, Coriondos, Darnios, Eblanos, Erdinos, Ganganos,

(o) *Anno Dom.* 141 *floruit.*

(p) *Anno Dom.* 415. *floruit.*

ganos, Menapios, Nagnatas, Magnatos, Rhobogdios, Velabros, Vennicnios, Vodios, Voluntios, Uternos non minùs sono peregrinas, quàm Americani tractus gentes agnoscimus: pleraq; etiam locorum nomina Ausona, vel Ausoba, Daurona, Iernus, Isamnium, Laberus, Macolicum, Ovoca, &c, non minus nobis incognita sunt. Erdini quidem, qui prope fluvium, & lacum Erna regiones Fermanach, & utramq; Brefiniam habitabant, Nostris Ernai appellati, de Belgarum reliquiis fuere, ut & Martinei, Gamanradii, Tadenii, Partrigii, & alii, de quibus suis locis. Brigantes non abs re à Breogan, uno è Majoribus Scotorum deflecti possint; haud multùm abludunt literæ; & aliam præter Milesios propaginem genuit à filio Itho proseminatam. Pauca locorum nomina nobis nota non minùs corrupta, ac depravata sunt, quàm ipsa loca vetustate exesa. Unde non parva me subit admiratio, quare viri alioquin sagacissimi has ineptias tanti facerent, ut iis investigandis desudantes nihil secius præstiterint, quàm oleum & operam perdere, & insulsis divinationibus suam in rebus nostris prodere insciti am.

Auterorum nomen è voce Athenria. i. Ἀθηναῖς Vadum Regum; *Regiam*, vel *Riqiam* (*q*) ex Reglis ecclesiasticâ non magnæ Antiquitatis voce extorqueri; Darniorum seu, quasi propius ad rem *Darinorum* nomen ex Derry (potiùs Doire, quod rectè V. Beda Roboretum interpretatur) elici, quis Hibernus audiens à risu temperaret? Centena sunt in Hibernià loca *Dunum* dicta, quod etiam apud nos, ut apud Priscos Gallos, Britannos, & Saxones munimentum in edito loco positum denotat. Fluvius in Occidentali Connactiâ è lacu Orbsen (*r*) dilabens nunquam *Ausoba*, aut *Ausona* nomine innotuit, sed *Gaillimh*; à quo urbs celebris, Connactiæ decus, in ostio nomen Galviam mutu-

(q) *Hujus nominis est quidam fluvius in Lageniâ.*

(r) *Lacus Curb perperàm scribitur.*

mutuavit. Buvindus quidem Boindus fluvius est ab urbe Dublin. 20. passuum millibus quaquaversùm distans; & Ravius pro Samario Ernai fluvio corruptè scribitur. Birgus, vel Brigus à Bearva Baroi fluminis Hibernico nomine duriuscu'è deflectitur: Sed Modonus, utcumq; situs est apud Ptolemæum, Muadus, quem supra Adamnanus Modam vocat, antiquissimus fluvius in Connactiâ est; nec qui nunc Slanius Modono, aut alio, quàm Slanio nomine cognitus à Belgarum ingressu multis seculis ante Ptolemæi natales. Cætera diutiùs ventos venari desinam. Hoc unum pro coronide sufficiat, easdem gentes heic extitisse S. Patricii, & Sanctorum tempore, atq; vivente Ptolemæo ac plurimis ante seculis; de quibus sigillatim, earumq; distinctis regionibus varii apud Hagiographos omni exceptione majores Latinè instituti Sermones; de gentibus verò à Ptolemæo celebratis ne Jota unum. Hactenus de primis incolis, nunc restat, ut aliquid de ipsâ terrâ, regibus, & reip. formâ subijciamus.

Hibernia, Insularum veteris Orbis post Britanniam maxima, Britanniâ non ex semisse minor, utpote Angliâ quadrante minor, ut Scotiâ major ex triente, utrâq; olim Archiepiscoporum, & Episcoporum numero superior, extremus totius Europæ ad Occidentem terminus: Ab Austro, ubi dies longissima 16. horarum cum dodrante, ad Aquilonem, ubi horarum ferè 18 dies, ducenta passuum millia mensuræ Hibernicæ in rectâ lineâ protenditur: ab Ortu ad Occasum transversim 120.

Recentiores agrimensorum tabulæ longitudinis extremitates habent Australe promontorium, quod Ptolemæi Notium esse volunt, nautis Missenhead in Carbria Corcagiensi in Momonia, & Pulchrum promontorium, seu *Faire-foreland* in adverso portu Raclinæ,

seu Recraniæ Insulæ in comitatu Antrim in Orientali Ultoniâ: latitudinis verò Carnrode in comitatu Wexford in Lagenia, & Mullet in Irrasdamnonia ad Occasum æstivum Connactiæ. In Occidentali vero Ultoniâ Cloch-an-sdacain adversus Torinis Insulam portus in Tirconallià jacet, unde longitudinem Ketingus ad Carn-i-neid in Momonia metitur: latitudinem definit inter duos portus, Invermor dictos, unum prope jam dictum Mullet, alterum eundem cum Arckloâ.

Ab Arcto ex Ultoniâ Cantyream in Scotiâ, & Hebrides Insulas spectat: ab Aurorâ, quà longa est, Ultoniam, Lageniam totam, & Momoniam Scotiæ, Angliæ, & Walliæ obtendit: à Meridie è Momonia Biscaiæ in Cantabriâ promontorium (antiquitùs Scythicum denominatum) spacioso intervallo proximum respicit; Britannico mari, Britannia Armorica, & lunato Gallici littoris sinu Aquitanico ab Ortu præterlapsis: Ab Hespero objectu laterum Mominiæ, Connactiæ universæ, & Ultoniæ aperto Oceano sine terminis obversatur. Vergivio mari, priscis Britannis Morweridh dicto, undiq; circumfunditur; quod ab oris, quas pulsat, Scotiam versus, Hyperboreum, Caledonium, & Deucaledonium nuncupatur: quà Britanniam & Hiberniam interluit, mare Hibernicum, Gildæ vallis Scythica, hodie Canalis S. Georgii dicitur; postquam Edwardus 3. Anno 1350. S. Georgium Cappadocem in Anglorum Patronum ascivit: ab Austro singillatim Vergivium indigitatur, ut & ad Occasum.

Variis Nominibus vernaculis juxta, ac peregrinis innotescit. Insula Nemorosa, quòd Sylvis obsita. i. Inis na bfiodhbha, vel fiodh-inis, epioèa pzmó. i. Terra Finalis, quod nomen favet Bocharti (r) conjecturæ Hiberniam à vo-

(r) *Geogr. ph. Sacræ.* l. 1. c. 39.

ce

ce Phœnicià derivantis *Ibernae*, i. ultima habitatio; *quia ultra Hiberniam versus Occasum veteres nihil noverant præter vastum mare:* unde infert, Hiberniam Phœnicibus, navigationibus in oras remotissimas olim clarissimis, non fuisse ignotam. Simile etymon è Græco idiomate deducit Cormacus Episcopus, & Rex Momoniæ (*s*); ut Hibernia sit *Hiberoe*, i. Occasus, & *Nyaon* Insula, quasi Insula Occidentalis. Unde ob Situm Occidentalis Europa ab incolis passim vocatur. Inis-elga ab Elgnatâ Partholani uxore, vel Insula Nobilis, Belgarum dum res steterit, vocata est. Inis-fail, i. Insula Fatalis à Saxo Fatali etiamnum Westmonasterii in Coronationis throno incluso; quod nomen Danannæ, qui Saxum importarunt (è Falià suprà dictâ urbe, à qua Liag-fail, i. Lapis è Falià, ut quidam volunt, derivatur) tribuisse dicuntur. Denique non raro à Poetis patriis quorundam celebriorum Insulæ regum adjectis nominibus, hujus, vel illius Regis (expresso nomine) regio, plaga, terra, campus, regia, curia, aut quid simile cognominatur; ut in sequentibus ex Hugone O Donelli filio.

(*s*) Anno D. m. 908. *d. sit.*

Ꝺoṁṫeṗ ṫeṫ Ṫuaṫail Ꝺēṁṁ,
Cṁó cṫṁ, ıꝟ ꝓoṁ Fıṁṗeıóluṁ,
Ia ṫ Ugoine, ıꝟ Cacboıóh, Alıṫ,
Cṁıoċ Chobhthaıgh, ıꝟ cláṁ Ꝯhoṁṁaıc.

Dicta Tuathalii domus Eria, regia quinti:
Fedlimii fundus, plaga Cobthaca, & Hugonis arvum:
Arturi regio, vestrum & Cormace theatrum.

Præcipuè vero tria vulgaria sunt nomina vernacula Ere, Fodla, & Banba à tribus regiis Sororibus ultimis Danannarum Reginis, ut tradunt nostri communiter Historici. *Hæc Insula quinque vocabula tenet*, ut scripsit Fiechianus Scholiastes mille & amplius abhinc annis (*t*) *Ere, Fodla, Banba, Fail, & Elga.*

(*t*) *Colgan. Trias Thaumaturg.* p. 6. n. 28. p. 10. n. 45.

Quantùm autem distat Ortus ab Occidente, tantùm *Ere* a voce Hibernicâ *Hiar* Occasum significante; inflexione liquet; *Ere* Hibernia *Nos Erionn*, Mos Hiberniæ *in Erinn*, in Hibernia *Hiar* in Occasu; *Siar* in Occasum; *à Niar* ab Occasu. Nec propior est *Banbæ*, & *Beanaighthe*, quod beatum est, significatio. Quemadmodum verò Banba Beatum vertitur; simili licentiâ *Banbh* fœtus porcinus Beatum habetur. Est in agro Wexfordiensi prope Fethardam Sinus Maris in margine Lacus Garman Anglorum primo appulsu memorabilis *Cuan an bhainbh*, i. Succuli Portus dictus; de quo loco en interpretes! *Primi appulsus locus bono omine dicebatur Banna, sive Beatus* (*u*); nec desunt, qui existimant hoc Ptolomæi *Hieron* seu *Sacrum Promontorium* (*x*), facilè deductione à *Banbh* porcino fœtu ad *Beannaighthe* (non Banna, nec *Biaun* (*y*) beatum; & quod Beatum oportet idem, ac Sacrum esse.

u *Mar. Ant.* c. 24. p. 146. c. 1. p. 6.
x *Camd. Brit. tit. Hibernia.* p. 772.
y *Ibid.* p. 756. & 772.

O Sanctas Gentes, quibus hæc torrentur ad ignem
Numina.———— Juvenal. Satyr. 15.

Enimverò nihil his Expositoribus nasutius, nihil magis criticum, & censorium super Antiquorum traditionibus; qui tamen per conjecturarum umbras divinantes susque deque effutiunt res Lippis, & Tonsoribus patriis notissimas. Nomina vernacula, ut benè notat Plinius (*z*), ab ipsius linguæ peritis addisci debent, alioquin quomodo à Peregrinis, & linguæ ignaris poterunt explanari? Ab Eri, Hibernus Erigena dicitur; unde Joannes Scotus scriptor Seculi noni Erigena vulgò appellatur. Æria Ægypto prius nomen; quo nomine & Creta gaudebat; quæcum communem in ejiciendis venenosis sympathiam Hibernia his literatissimi Hadriani Junii versibus de se loquens vendicat.

z *lib.* 1. *Nat. Hist.*

Cuis

Cui Deus, & melior rerum nascentium origo
Jus commune dedit cum Cretâ altrice Tonantis.
Noxia ne nostris diffundant Sibila in oris
Terrificæ creti tabo Phorcynidos angues:
Et forte illati, compressis faucibus atris,
Viroso pariter vitam cum sanguine ponunt.

Britanniæ Insulæ duæ, & Britannides duæ à Græcis veteribus celebrantur Albion, & Hibernia (*a*). Atque ut Britanniæ Minoris hæc nomine ab Albione, ita Scotiæ Majoris appellatione à Scotiâ Albionensi discriminata fuit. Scotia ob insidentem Scotorum gentem à Latinis dicta fuit: deinde Scotia Major præ Scoticæ hinc coloniæ Scotiâ in Albionis parte Boreali, quæ nunc unica stat pro Scotiâ.

a *Polybius, Dicæarchus, Ptolomæus: & e Latinis Festus Avienus, Rufus, Plin. l. 4. Nat. Hist. c. 16.*

SANCTORUM Insula sicut ob innumera domi alvearia, & in mundum foras emissa Sanctorum examina dicta est; ita Soli indoles meruit, ut multis Sæculis ante Christum natum SACRA INSULA à Græcis nominaretur; ex Hieron enim, quod Sacrum est, Jerna, & Jerne provenit, quo nomine apud Orpheum Crotoniatam(*b*) de Argonautis, apud Aristotelem(*c*) Libro de Mundo ad Alexandrum, & alios passim Græcos innotescit. Hanc interpretationem sic astruit Rufus Festus Avienus (*d*) in Oris Maritimis; quem Libellum ex vetustissimis Geographis Hecateo Milesio, Hellanico Lesbio, Philæa Athenienſi, Caryandæo, Pausimacho Samio, Damasto, Euctemone, & aliis consarcinavit.

b *Anno Mund. 3390. floruit.*
c *Anno Mundi 3620. floruit.*
d *Anno Christi 280 sub Probo, & 285. sub Diocletiano, vel 482. ut alii volunt, floruit.*

Ast hinc (e) duobus in Sacram, sic Insulam
Dixere prisci, Solibus cursus rati est:
Hæc inter undas multum cespitem jacit;
Eamque latè gens Hibernorum colit.
Propinqua rursus Insula Albionum patet.

e *Ex Ostrimidibus Insulis, nunc Scilly dictis.*

Quod

Quod nomen ob beatum Soli ingenium, in quo nullum animal venenosum vitale, facile assentior attributum.

Hibernia Cæsari (*f*), Plinio, Solino, Tacito, Orosio, & omnibus communiter vocatur. Iris Diodoro Siculo (*g*) lib. 5. pag. 309. Unde in vitâ Gildæ Badonici, cap. 6. habetur; *Iren perrexit; ut & aliorum Doctorum sententias in Philosophicis, atque Divinis Literis investigator curiosus exquireret* (*h*). Hinc Irenses (*i*), & Iri (*k*) pro Hibernis. Ireland ex voce Ire, vel Eri Hibernicâ, & Anglicâ *Land* promanavit: Irlandia vero Latinè, & Irlandi, pro Hibernia & Hibernis, barbarismus est. Juverna Juvenali dicitur;

Arma quid ultra
Littora Juvernæ promovimus?

Overnia, Vernia, Bernia, Hiberione (*l*), Hiberia, Iberia, Ibernia, & Hybernia Lectionum varietate præ Librariorum incuriâ dimanasse arbitror.

Hæccine Plutarchi Ogygia, quam ille ad Britanniæ Occasum statuit in libro de facie in Orbe Lunæ, ut aliqui asserunt, alii secùs? mihi perinde est. Nam Ogygiæ titulum assumpsi, quâ ratione apud Camdenum (*m*) habetur; *Non immerito hæc Insula Ogygia, i. perantiqua Plutarcho dicta fuit. A profundissimâ enim Antiquitatis memoriâ historias suas auspicantur; adeo ut præ illis omnis omnium gentium Antiquitas sit novitas, & quodammodo infantia. Ogygium*, ait Rhodogonus (*n*), *id appellant Poetæ, tanquam pervetus dixeris, ab Ogyge* (*o*) *vetustissimo.* Ægyptum ob hanc rationem Ogygiam liquet appellatam. Nam Ægyptii feruntur populorum omnium vetustissimi, disciplinarumque complurium Inventores; à quibus Græci eas mutuati sunt: unde terrarum parens Ægyptus, & artium mater dicta. Qui

f Anno Mundi 3900. floruit.

g Anno Mundi 3867. floruit.

h Usser. de Brit. Eccl. Primord. p. 907. & Ind. Chronol. ad An. 540.

i Ordericus Vitalis Eccl. Hist. lib. 10. Anno 1098.

k Ælnothus Cantuar. de vitâ Canuti, c. 10.

l In S. Antonini Itinerario, & in S. Patricii Epistolâ ad Coroticum.

m Camd. Brit. tit. Hibernia.

n Lib. 15. c. 33.

o Thebarum rex, Anno Mundi 2855.

Qui Hiberniam Plutarchi Ogygiam negant, Ogygiæ à Britanniâ distantiam Hiberniæ non competentem tantùm pro ratione assignant; sed Plutarchus in distantiâ potiùs errare censendus est, quàm in ipsâ Insulâ, cujus situs ad Britanniæ Occasum Hiberniam, cui soli nomen competit, præcipuè indigitat. Ogygiam pro Hibernià sic usurpat in suâ Palæ-Albione Slatyrius Poeta Anglicus, Jacobi M. Britanniæ, sub quo floruit, regis originem inde deducens;

At quoniam Arctoo Scotico Rex noster ab orbe,
Nec minus Occiduis, perhibent, Scotus ortus Hibernis,
Qui Britonum parent Sceptris; mihi pauca recensens
Musa age, & Ogygios Iernes referato colonos.
Insula Vergivio circumundique cincta profundo,
Quæ fuerat Graiis olim glacialis Ierne.

Ubi obiter advertendum, non rectè illum primam in *Scotico* & *Scotus* contraxisse, quam veteres omnes ad unum producunt. Heic etiam Antiquitatum investigatoribus non spernendum datur, qualiter Æria, & Ogygia Ægypto, & Hiberniæ communia, & antiquissima illa communis Nostrorum traditio de Scotiæ Pharaonidis cum majoribus Scotorum nuptiis prodere videantur aliquod vetus Nostrorum cum Ægyptiis commercium, ac affinitatem; adeò ut, si cum Pharaone Erythræis fluctibus obruto, ut Nostri ferunt, aut Mosis tempore non consistat, tamen cum Pharaonum aliquo possit consistere. Vir Clarissimus Dudleius Loftus J. V. Doctor, multiplici veterum Linguarum cognitione præditus, mihi intimus, prodidit hanc vocem *Agus*, quæ apud nos *Atque* significat, eundem sensum referre Linguâ Copticâ seu Ægyptiorum.

Antiquissima Hiberniæ divisio, quæ diutiùs in poste-

ros

ros transmissa invaluit, fuit illa quinque filiorum Delai Belgicæ Coloniæ Ducum in totidem Provincias Australis Momoniæ, Borealis Momoniæ, Connactiæ, Ultoniæ, & Lageniæ nomina posteà sortitas. Ex his deinceps Midia omnium in medio à Sinanno Fluvio ad Mare Orientale inter Dublinii, & Pontanæ ostia extracta est.

Alia est divisio in duas partes, Leithquinniam & Leithmogam, quæ V. Bedæ divisioni convenit in Scotos Septentrionales, & Australes.

Provinciarum quæque ob quinquepartitam divisionem Cóiġeó, i. Quintana ad hunc usque diem appellatur. Quælibet quintana ex Tṙioċaḋ ċéuḃ, quas quidem ex Tṙioċaḋ Treucas, alii ex Céuḃ Centurias exprimunt, constabat. Harum singulæ ex baile, sc. villis, pagis, vel villatis; pagorum quisque è Seiġṙeċ vel Ceṫṙamaḋ, i. quarta parte pagi, quam ideo Quarterium, & Carucatam vocant. Seiġṙeċ est sex equorum ad aratrum jugum, quot arando uti solebant; unde Sesquiquadrigam voco, & 120. jugera continebat: quantum putà uno aratro coli potest per annum; sicut jugerum tantum agri, quantum pari jugo per diem. Pagum è Sesquiquadrigis octo, alii è duodecem consistere decernunt. Ego vero è quatuor tantùm sic evinco; Sesquiquadriga perinde est, ac Carucata, quæ ex nominis notione est quarta pars pagi, & eo sensu utrumque etiamnum acceptatur; item Tṙioċaḋ ċéuḃ idem est, ac triginta centenorum: centenaria vero hujusmodi mensura è Sexies vicenis constat, & Tṙioċaḋ ċéuḃ è 30 pagis omnium consensu; quare dehinc Tricenariam nominabo. Unde igitur centenarius numerus, quem etymon præ se fert, nisi ex 120. Sesquiquadrigis, quæ ex 30 quater emergunt, quarum quælibet alium centenarium numerum 120 jugerum complectitur. Prætereà Tricenaria Hundredæ, seu Cantredæ Angloſaxonicæ, quæ nunc Baronia dicitur, & Sesquiquadriga

quiquadriga Hidæ respondet. Quamobrem uti Cantredam è centum Hidis, sic Tricenariam è totidem sesquiquadrigis compleri necesse est: aliàs si Cantreda centum Pagos contineret, & Tricenaria tantùm 30, hæc illam quater superaret, quod manifestò falsum est. Tricenaria igitur è 30 Pagis, 120 Sesquiquadrigis, & 14400 Jugeribus conficitur. Singuli quoque Pagi præter agrum ad arandum sufficientem, pascua 300 vaccis abundè suppeditant; atque ita novem vaccarum millibus Tricenaria depascendis sufficit. Sed vt obiter adnotem, licèt hæ dimensiones vulgò accipiantur, ut jam definivi, tamen earum cujusque tam Anglicarum, quam Hibernicarum denominationum quantitas varia est, & incerta; quæ major, aut minor pro Soli naturâ, & qualitate, ac pro consuetudine Regionum invenitur.

Quidam Tricenarias in qualibet Quintanâ sic carmine complexus est juxta Fintani computum. In Ultonia sunt 35 Tricenariæ; in Connactia 30; in utraque Momonia 70, in Lagenia, quæ ab ostio Liffei præter Dublinium ad Boariam semiram extenditur, 31, in Midia 18, nimirum 13 in ipsa Midiâ, & 5 in Bregia, in qua Temoria Hiberniæ regia sita fuit; in toto 184 Tricenariæ.

35	
30	
70	
31	
18	
184	

Recentioribus temporibus quatuor tantùm Provinciæ numerantur: Jugera in Straffordensia, & minutiora Anglica multiplicantur. Quorum hæc singula è 21, illa è 16 cum dimidio quadratis perticis constat; adeo ut centena Straffordensia faciant 162 ferè Anglica: & 8 Hibernica superioris mensuræ 15 Straffordensia; nimirum vaccarum quinque sufficiens pabulum.

Limites antiqui novis alicubi mutantur. Midia, accisis parte antiquæ Teffiæ, & Carbriâ Gaurâ ad Longfordiam jam spectantibus, Feracalliâ Regis Comitatui additâ, & aliis Territoriis mutilata Lageniæ pars censetur. Provinciæ in Comitatus, & hi in Baronias distribuuntur,

habitâ in iis plerunque ratione ad pristinas ditiones, & Tricenarias.

Itaque Lagenia continet 12 Comitatus: Dublinium, Lugmagiam, (Anglicè Louth) Midiam, Westmidiam, Longfordiam, Kildariam, Regium, Reginalem, Catherlagham, Kilkenniam, Wexfordiam, & Wickloam.

Momonia 6; Waterfordiam, Corcagiam, Kierrigiam, Limericum, Tiperariam (cui Crux Tiperariæ annexa) & Clarensem, seu Tuamoniam, quæ olim ad Connactiam spectabat.

Connactia 5; Galviam, Mayoam, Sligoam, Roscomaniam, & Letrimam.

Ultonia 9; Ardmacham, Dunum, Monachan, Ændremiam (Anglicè Antrim) Dungallam, Cavanam, Feramanacham, Tironiam, & Londinodoriam.

Sunt præterea Urbes, quæ Comitatuum privilegiis gaudent, & suos habent Vicecomites, & Districtus distinctos à Comitatibus ab iis denominatis.

(p) *Anno Dom.* 1210. Joannes Rex Angliæ undecimo regni (*p*) suæ ditionis in Hiberniâ agros in duodecim Comitatus digessit, *viz.* Dublinium, Kildariam, Louth, Catherlagham, Kilkenniam, & Wexfordiam in Lagenia; Waterfordiam, Corcagiam, Limericum, Kierrigiam, & Tiperariam in Momonia. Sed post aliquod temporis curriculum hi Comitatus majori ex parte Leges Hibernicas iterùm subierunt; ità ut Anno 13 Henrici 8. Christi 1521. querela instituta fuerit, quòd Legum Anglicarum authoritas ultra mediocres partes Comitatuum Dubliniæ, Kildariæ, Midiæ, & Lugmagiæ, infra quas Anglicana Provincia tum stetit, non produceretur (*q*). Primorum deindè Comitatuum institutio incidit in Annum 4 Philippi & Mariæ, Christi 1556. Thoma, Sussexiæ Comite Hiberniæ Prorege, Regis & Reginæ Comitatus statuente.

(q) *Jo. Davisius in Discursu de Hibernia.*

(r) *Forte in Parl. 21 Eliz. Anno* 1568, *vel ab Anno* 1575. *ad* 1578. *Prorex.* Henricus Sidneius, Hiberniæ Prorex, (*r*) Longfordiæ Comitatum,

Comitatum, Elizabethâ Reginâ, instituit. A Joanne Perroto Prorege (*s*) sex in Connactia Comitatus Anno 1585. constituti sunt. Clarensis (qui posteà Momoniæ adjunctus est) Galvia, Sligo, Mayo, Roscoman, & Letrim.

(*s*) *Ab An.* 1584. *ad An.* 1588.

Idem Perrotus Ardmacham, Monachan, Tironiam, Colraniam (seu Culrahen, qui Londinodoriæ Comitatus, postea dictus, cum Colonia Anglica Londino, Jacobo Rege, Doriam transfretaret, Anno circitèr 1609.) Dungallam, Feramanacham, & Cavanam in Ultoniâ erexit. Wickloa Patrum memoriâ Comitatus jus induit in Lagenia.

Hæc Insula, amplissimum quondam Regum Theatrum, Reges absolutos 136 Ethnicos, & 48 Christianos, ad Annum à Partu Virginis 1022. per Annos 2314. Supremo Sceptro insignivit. Sub his erant Reges, qui Provinciis quinquepartitis præsidebant: sub illis variarum ditionum in suis Provinciis Reges; quibus suberant Tricenariarum in suis Ditionibus Dynastæ, quos Taisios dixerunt. Non absimili formâ in Hierarchiâ nostrâ Primas Archiepiscopis, illi Episcopis, hi Præsbyteris præerant. In priscâ Athelstani Angliæ Regis (*t*) Lege juxta Seldeni (*u*) expositionem Archiepiscopi, & Duces; Episcopi, & Comites; Præsbyteri, & Thani dignitate apud eos æquivalebant. Thanos in Missales, & Sœculares distinguebant: Missales Thani erant Præsbyteri, quos à Sacrosancto Missæ Sacrificio Missales vocabant. Taisius apud nos idem est sensu literali, ac Capitaneus, seu præcipuus Dux; officio, & honore convenit cum prisco Thano Anglosaxonico, cujus sensus literalis idem ac Minister, & posteà exotico nomine Baro dictus est à Normannis; ut & Hundreda, Centuria, aut Cantreda Tricenariam nostram valens Baronia vocata.

(*t*) *Anno Dom.* 925.

(*u*) *Tit Honor. par.* 2 *cap.* 5. *sect.* 2. *p.* 603, 604, *&c.*

Regis denominationem nostri duplici sensu acceptan-

tes Monarchas eâ notione strictè designabant, quos Ἀρχόρηγε, i. Supremos Reges, & Hiberniæ Reges dicebant: Proceres verò inferiores, quo sensu latè sumpto Rex à regendo derivatur, Reges appellabant; & Provinciæ, aut Ditionis, cui quisque præesset, adjectione innotescebat. Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, & alios Titulos hujusmodi in Imperio Romano primùm temporalibus Præfectuum, & Magistratuum Officiis ad vitam tantùm annexos fuisse, Historicis notum est; & deinceps ab Aquilonaribus gentibus, queis accisum imperium, sibi cum domitis Ditionibus usurpatos, & in posteros hæreditario jure transmissos. Alboinus Longobardorum primus in Italiâ Anno Dom. 568. Rex Gisulphum nepotem suum Foro-Julienſem Ducem instituit. *Atque hic primus fuit, qui perpetuam in Italiâ Ditionem Dux institutus adeptus sit* (x). Nec vetustior illius conditionis creatio alibi reperiri potest.

x *Sigonius apud Seldenum Tit. Honor. par. 2. c. 1. p 3 34.*

Verùm nullum tale inter Hibernos & Imperium, aut alios exteros intercessit commercium, quatenus similibus peregrinis potiùs quam majorum titulis insignirentur. Si verò rem ipsam his titulorum vocibus designatam perpendas, nullum invenies discrimen inter has atque eas dignitates à primâ inter nos regum institutione traductas. Quid enim aliud referunt Provinciarum Reges sub Monarcha, quàm Duces? Quid Ditionum Reges, quàm Comites, aut quid Dynastæ, quàm Barones? Comites hac ratione Ducibus (y) quibusdam subditos, & Comitibus Barones (z) antiquitùs in Imperio, & alibi non insuetum fuit.

y *Seld. ibid. & p. 3 8.*
z *Ibid. p 640. & Camd. Brit. Tit. Ordines Anglix.*

Ad hunc sensum aliquando Scriptores Subregum nostrorum Dignitates pro aliarum gentium ritu metientes alii Comites, alii Principes, alii Duces illos appellarunt. In vitâ S. Declani (qui fuit unus è 4 Episcopis S. Patricii præcursoribus in Hiberniâ popularibus suis Evangelium prædicans

prædicans Anno Christi 402.) ejus pater dicitur Ercus Dux Nan-Desi, i. Desiorum Ditionis in Waterfordiensi hod è districtu: in qua de eodem stemmate Toparchæ continuâ serie præfuerunt ad Anglorum incursum. S. Carthagi Anno 637. mortui vita habet; *Tunc gloriosus Dux Nan-Desi Mæloctride Lismoram civitatem obtulit S. Carthago.* In Officio S. Cithaldi Tarentino (Tarenti enim in Italiâ patronus est) & in vitâ ejus à Bartholomæo Morono Italo descriptâ, & Anno 1614. excusâ cap. 8. fit mentio Ducis, & Ducatus Meltridis in Hiberniâ, quem non alium a Mæloctride jam laudato ostendit Colganus (*a*) noster.

His Synchronus S. Maidocus Anno 632. vitâ functus; in cujus vitâ (*b*) ex vetustis Latinis membranis Conventus Fratrum Minorum de Kilkenniâ, cap. 47, & 48. *Quidam Comes Lageniensis Saranus nomine evertit fidem suam contra Dominum suum, & jugulavit regem Lageniensium Brandubium.*

V. Beda (*c*) tradit Colmanum Lindisfarnensem in Angliâ Episcopum in patriam Anno 665. reversum emisse à Comite, ad cujus possessionem pertinebat, partem aliquam fundi, *qui Linguâ Scotorum Muigheo nominatur*; ubi Anglicæ gentis Monachis Cœnobium paravit; à quo hodiè Comitatus Mayo in Connactiâ nomen habet.

S. Bernardus in vitâ S. Malachiæ (*d*) Anno 1148. defuncti, ait S. Malachiam cum Comite Ulidiæ Sermonem instituisse. Atque hæc est Ulidia, in quam brevi postea Anno 1177. Jo. de Curcy cum Anglis irruens Ulidiæ Princeps à Jocelino Furnessio Cambrobritanno, qui tum vixit, vitam S. Patricii adornante appellatur. Frustra igitur (ut obiter moneam) Curcæus hic Ultoniæ expugnator (*e*) audit. Licèt enim tota ea Provincia sermone patrio Ulta, & Ulaidh dicatur; unde Latinè Ultonia, &

a *In notis ad idem, c. 8. die 8 Mar. & Appendic. c. 2. p. 561.*

b *Apud C. lg. 31 Ja.*

c *Histor. Eccl. Gentis Anglor. l. 4. c. 4.*

d *Opera S. Bernard. fol. 449. E.*

e *War. Antiqu. c. 26. p. 207.*

& Ulidia formantur; ea tamen ejusdem Provinciæ Regio, quæ hodiè terminis Comitatus Dunensis pœnè concluditur, à multis ante seculis Ulidiæ nomine presse intelligitur: quomodo à Jocelino heic, & capite 31. & 194 & ab aliis vitæ Patricianæ Scriptoribus accipitur. Hugo vero de Lacy Junior in terras à Curcæo, quem captivum in Angliam transmisit, vi, & armis partas advolans, hac Ulidiæ notione dignitatem Comitis Ultoniæ ab Angliæ Rege Joanne Anno 1209. obtinuit, quæ cum Lacæi filiâ ad Burgorum Familiam, & ab his cum Elizabethæ de Burgo Ducissæ Clarenciæ filiâ ad Mortuomarios Comites, à quibus cum filiâ etiam hærede ad Duces Eboracenses Angliæ postea Reges devoluta est; iisque satus celsissimus hodiernus Dux Eboracensis, & Ultoniæ Comes, Jacobus.

Qui S. Laurentii Archiepiscopi Dublin. Anno 1180. demortui vitam literis mandavit, Comitis Kildariæ mentionem facit: cujus Comitatus titulo Joannes filius Thomæ Giraldinus, 14 Maii, 1316. ab Edwardo 2. insignitur.

Inter excerpta R. P. Francisci Brown Capucini è vetustis Patriæ indefatigabili curâ undequaque quæsitis membranis è scripto quodam pœnè vetustate exeso reperio Comitem de Muntir-moroghow cum consensu Caroli Regis Connactiæ dedisse E. D. Abbati, & Conventui de Knockmuy Lismacuan Pagum in Clonferg: :::: (*f*) Testibus præsentibus Carolo Rege Connactiæ, E. D. filio ejus, C. Archiepiscopo Tuamensi, H. Episcopo Anaghdunensi, L. Elfinensi, D. Comite Magluirg, F. O. Flanegagn, D. Maccoiraghty, & T. Cormacain cantore.

Quod Knockmoy (*g*) Cœnobium idem Carolus cognomento [illegible] Rex Connactiæ Anno 1189. vel 1190. Monachis Cistercienſibus posuit; in quo ipse Anno Dom. 1224, Monachus decessit. Quem Abbas Buelliæ

f Clanfergaile regiuncula 24 Pagorum, in qua nunc Galvia, Clare, & Roscam sita est in Anaghdunensi olim diœcesi, nunc Tuamensi.

g Knockmoy a nulla Caroli hujus victoria, ut ex voce ægre elicitur, Collis victoriæ dicitur.

elliæ Cistercienſis Bernardus O Culennain retulit (*b*) duodecim Monaſteria Cistercienſia erexiſſe, ac tam ſumptuosè dotaſſe, ut totidem Comitum, aut Marchionum dignitatibus ſuſtinendis ſat proventuum ſuppeditarent: ut non injuria ſit talem dici Imperialium titulorum ritu Ducem, & ſermone patrio talibus non aſſueto titulis Regem Provincialem.

(*b*) *h O Sulevan. in Decad. Patricianæ, l.* 10. *c.* 2.

Sua omnibus Linguis, & Nationibus aliqua peculiaris inſita eſt proprietas, cujus abſurda foret in aliis imitatio. Quare in eorum ſententiam ultrò eamus, qui falsò contendunt Regem Latinè ſupremum tantum, & nulli ſubjectum dominum denotare; ac proinde nobis inepiè illud Martialis Hemiſtichium exprobrant,

Qui Rex eſt, Regem, Maxime, non habeat.

Quid verò hoc noſtrâ intereſt? *Scoti ſumus, non Galli*; Scoticè loquimur, non Latinè, atque hoc idiomate trito adagio dicimus; ut Hemiſtichio aliud opponam:

Degener in tuguri Rex lare quiſque ſui.

Quippe nullus Paterfamilias adeò deſpicabilis & à Majoribus degenerans, quin ſuæ ſaltem domi, ut Rex imperet. Ad quod alludunt etiam Latini; uti Cicero 1. de Oratore; *Niſi in tuo regno eſſemus*: & Virgilius Ecloga 1.

Pauperis & tuguri congeſtum ceſpite culmen
Poſt aliquot (mea regna) videns mirabor ariſtas.

Deus Unitate, Simplicitate, & Majeſtate infinitè præcellit; attamen Schematicus loquendi uſus obtinuit, ut in Sacris etiam Literis Deorum nomen hominibus impertiatur; *Ego dixi, dii eſtis & filii Excelſi omnes*, Pſalm. 8. 1.

Veteres

Veteres Regis nomen tribuebant ei, qui uno oppidulo præesset: hic Ithacæ Rex Ulysses, cujus ditionem adeò exiguam nidum æstimat Cicero saxo affixum. Sic Nestor Pyli Rex. Josue 30 regibus in Palestinâ gulam fregit. Strabo testatur singulas Phœnissarum urbes regem habuisse; & Plinius strategiis, & præfecturis omnibus olim reges præfuisse: unde usitato more Divinæ Scripturæ cujusque oppidi Dominus Rex appellatur. Atque ut propius ad vicinos accedam, in Cantii partibus (qui nunc in Angliâ Comitatus) quatuor reges Cæsaris ætate regnarunt. Denique nullum modò in Europâ, præter ipsam Hiberniam, regnum, quod non pluribus regibus ibi invicem minimè subjectis antiquitus paruerit: quos tamen nostræ memoriæ Scriptores, cum in eorum mentionem incidunt, Reges dicere non hæsitant.

Nihilominus quidam in re literariâ magni nominis viri ad res Hibernicas imminuendas indefessi, reges nostros tam supremos, quam inferiores promiscue parvos reges (*i*), & regulos inscribunt: cum aliàs Provincialium nostrorum, & inferiorum regum limitibus angustiora dominia regum titulis exornent. Hoc etiam contemptu, & odio cæcutire se passi, meram Monarchiam modò plurimorum capitum Hydram, modò Pentarchiam depingunt; quot reges nostro sensu latiùs acceptos, tot diversa apud nos regna, ut præ se ferunt, arbitrati.

i Petty Kings.

Seldenus tamen Anglosaxonum Heptarchiam in septem Regna primis initiis, & conditoribus, regum successionibus, & legibus diversa distinctam pro Monarchiâ confidentiùs, quàm par est, nobis obtrudere connititur. *Regnum ita in notissimâ illâ eorum Heptarchiâ semper ejusmodi habebatur, ut penes unum aliquem Regem esset etiam ante Egberti regis tempora summum Imperium, quod cæteri omnes agnoscerent* (*k*). Verùm Seldeni pace non *semper ejusmodi habebatur*; sed violentum, rarum, desultorium imperium,

k Seldeni Mare Clausum, l.b 2. c 9. p. 132. & Tit Hon. par. 1. c 3 p. 24.

imperium, non jure hæreditario (ut iisdem verbis utar, quæ alibi in nostrum opprobrium non sine injuriâ producit) vel aliquâ proprietatis successione; sed *qui plurimum poterat*, ut agnoscit Camdenus (*l*), *Rex gentis Anglorum dicebatur.* In quo loco ubi Camdenus ex verbis V. Bedæ (*m*) extorquere nititur Monarchiam in ipsâ Heptarchiâ semper fuisse videri; atque ad eum finem *Rex gentis Anglorum* ex Beda perperam citat, Seldenus idem asseverantiùs dicere non dubitat; & Joannes Speedus, nequid assertioni desit, eorum Catalogum contexuit numero octodecim, qui ab Hengisto ad Egbertum quasi Monarchæ cæteris Regibus successivè præfuerunt; *viz.*

(*l*) *Camd. Brit. tit. Anglosaxones.*

(*m*) *Lib. 2. c. 5. Hist. Gentis Anglorum.*

1 Hengistus, Rex Cantii.
2 Ella, Australium Saxonum Rex.
3 Cherdicus,
4 Kenricus, & } Reges West-Saxonum.
5 Ceolinus,
6 Ethelbertus, Rex Cantii.
7 Redwaldus, Rex Orientalium Anglorum.
8 Edwinus,
9 Oswaldus, & } Northumbriæ RR.
10 Oswius,
11 Ulferius,
12 Ethelredus,
13 Kenredus,
14 Chelredus,
15 Ethelbaldus, } Merciorum Reges.
16 Offa,
17 Egfridus, &
18 Kenwolfus,

Bedam autem testem omni exceptione majorem, qui ad Heptarchiæ ultimum seculum pervenit prorsus refragantem habent; qui neminem ex his omnibus *Regem gentis Anglorum* absolutè vocavit, tantùm de Ethel-

berto Cantii Rege innuens; *Qui tertius quidem in regibus gentis Anglorum cunctis Australibus eorum Provinciis, qui Humbro fluvio, & contiguis ei terminis sequestrantur à Borealibus, imperavit.* Cujusmodi imperii primum recensèt Elli Regem Australium Saxonum, secundum Ceulin Regem Occidentalium, aut West-Saxonum; quâ ratione Hengistum, Cherdicum, & Kenricum Speedi Monarchas exemit: quartum, quintum, & sextum habet Redvalt Regem Orientalium Anglorum, Edvinum, & Oswaldum Northumbriæ Reges; septimum Osuvium R. Northumbriæ: nec plures, quàm septem in toto enumerat. Quinque igitur succedentes Merciorum Reges, quorum ultimi Ethelbaldi tempore vivere desiit, abreptitii illius Imperii participes non admisit. Solum inde ad Egbertum tres restant Merciorum Reges nudo Speedi testimonio pro Monarchis admittendi.

n *Par.* 1. c. 3. p. 25, & 26.

Seldenus idem in suis Honorum Titulis (*n*) Manniæ Reges, quos aliàs subditos agnoscit, aureâ, & regiâ Coronâ redimitos dici non gravatur; nec Vectæ unicum, quem producere potest Regem: utráque licèt Insula perquàm exiguo ambitu circumscripta (*o*) in iisdem Titulis de Hiberniæ Regibus non nisi semel sine honorario suo Regum parvorum; & istorum Regum parvorum Epitheto meminit; & tum etiam non honoris deferendi gratiâ, sed ut Lectori imponat, & tacitè innuat, quotquot unquam fuerant Hiberniæ Reges omnes Angliæ Regibus obnoxios.

o *Mannia* 30 *M. Italica longa; inter* 8 & 15 *lata. Vecta* 20 *M. longa,* 12 *lata.*

Regis denominationem (quemadmodum superiùs) in duas Classes distinxit; unam supremæ & absolutæ Potestatis; alteram subsitutæ. Hujusmodi in totâ Europâ vetustiora, perfectiora, & ad propositum magis apposita non in medium proferre poterat exempla, quàm in Hiberniæ Rep. ubi summa in uno Rege Potestas, & subalterna à Pentarchis ad infimos Ordines gradatim descendens

descendens Angelicam in Cœlis Hierarchiam repræsentat, quam Mitratus ille Poeta (*p*) in Carmine ad S. Michaelem Archangelum describit.

(*p*) *Hieronymus Vida, p. 96.*

Et ipse summo Civium in medio Pater
Laudavit altum Choro;
Post quem tibi omnis aula Cœli militat
Secreta cœtus in novem.
Regi ipse semper assides propinquior
Reconditorum particeps:
Quæ deinde subsequentibus tu detegis;
Mox alter aperit alteri;
Ad infimum descenderit donec gradum
Semper minor Scientia.
Nec alter alteri invidet præstantiam;
Sed sorte quisque amplus suâ est.

Quæ vero Seldenus ex Imperio Rom. & aliis Regum subditorum exempla selegit, ea plerunque de regibus erant vi & armis substitutis, & extra civile corpus eorum, qui eos substituerunt; quos Tacitus *Instrumenta servitutis* vocat.

Itaque post Manniæ, & Vectæ Subditos Reges prolatos perperam subjungit; *Tales* (i. substitutæ conditionis) *erant prisci Hiberniæ Reges sub Coronâ Angliæ.* Heic *parvulorum*, quod alibi nusquam omisit, cum *priscorum* Regum Epitheto commutavit, nequis aliquos in Hibernia Ditionum suarum principes post Anglorum appulsum Regum titulis fretos eum velle existimet, sed ab omni memoriâ priscos, & summos totius Hiberniæ Reges ab Angliæ Coronâ suspensas regendi rationes habuisse.

(*q*) *In suo de Hibernia Discursu, Anglice edito, quo nunquam Anglis subditam ante Jacobum Regem demonstrat.*

Sed de his ipsis post Anglorum incursum regibus Joannes Davisius Equ. Aur. Jacobi Magnæ Britanniæ Regis Legum in Hibernia Procurator Regius ita attestatur (*q*);

Rege Angliæ inconsulto, suas Hiberni Leges ad suæ Reip. administrationem adhibebant, Magistratus instituebant, flagitiosos in suis Ditionibus vel pœnâ, vel veniâ prosequebantur; Bellum aut Pacem ex suâ authoritate inibant. Nec solum Henrico 2. Rege ista præstabant, sed ad Elizabethæ Reginæ tempora exercebant. Quod verò post tot calamitates Gentis residuum erat Jacobo Regi Elizabethæ Anno 1603. succedenti abjurato omni priori Regii juris, aut Potestatis titulo; latifundiorum quoque plenariâ, & integrâ cessione, ac redibibitione factâ, se subditos non inviti subjecerunt; eandemque fidem, & obsequium posteris Successoribus ejus demississimè præstiterunt, donec cum ruituro Imperio in ruinæ ruderibus conciderunt.

Quo præcedentiæ ordine hi Reges ponebantur, Dominus Waræus noster (*r*) ex Henrici 2. quodam Diplomate insinuare videtur, *Henricus Rex Angliæ, &c. Archiepiscopis, Episcopis, Regibus, Comitibus; Baronibus, & omnibus fidelibus suis Hibernicis, salutem.* Sed è Regibus heic memoratis nemo Rex Hiberniæ tum erat, sed quales Duces, aut Comites aliarum gentium, ut suprà admonui. Ducibus vero, & Comitibus non tantùm Archiepiscopos, & Episcopos, sed etiam Abbates, & Priores videret prælatos, ut in Matildæ Henrici 2. matris Diplomate ad Anno 1141. in creando Milonem de Gloceſtriâ Comitem de Hereford; *Matilda Imperatrix Henrici Regis filia, & Anglorum Domina, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, &c.* In Diplomate Henrici 2. quo Albericum de Vere Oxenfordiæ Comitem creavit; *H. Rex Angliæ, &c. Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, &c.* Item in Diplomate (*s*) Henrici 5. *Rex universis & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, &c.* Imò jam citato Matildæ Imperatricis

(*r*) *Antiqu. Hib. c. 4. p. 19.*

(*s*) *Rot. Patent. Norman. 7 H. 5. membr. 35. num. 64.*

cis Diplomati David Rex Scotiæ ejusdem Matildæ avunculus post Episcopos testis subscripsit. Ita etiam Johannes Rex Castellæ, & Legionis, Dux Lancastriæ, Edmundus Eborum, & Thomas Gloucestriæ Duces Richardi 2. Regis Angliæ tres Patrui Episcopis postponuntur testes quo Diplomate (*t*) Thomas Mowbray Comes Nottingham Comitis Marescalli titulo ab eodem Richardo Rege honoratus est, Anno 1386.

(*t*) *Cart. 9 R. 2. n. 17.*

Verùm Anno 1366. in consignatione quorundam privilegiorum, quæ Petrus Castellæ, & Legionis Rex Edwardo 3. Angliæ Regi, ejusque primogenito Edwardo Aquitaniæ, & Walliæ Principi in suis Dominiis impertiit, idem Joannes tum Dux Lancastriæ tantùm Regis Angliæ filius, ac frater dicti Principis Archiepiscopo Burdegalensi testis præponitur. In suprà citatâ consignatione Caroli Regis Connactiæ, ipse & filius suus ante Archiepiscopum Tuamensem, & Episcopos locantur: inferior autem Rex titulo Comitis Moylurg Episcopis postponitur. Sic Dermitius Moriarti Regis Hiberniæ frater, & Illustrissimæ O Brianorum familiæ fator in literis ad Anselmum Archiepiscopum Cantuarensem, Anno 1096. proximè post Regem, & ante omnes Episcopos subscripsit *Ego Dermeth Dux frater Regis* (*u*).

(*u*) *Usserii Sylloge, p. 93.*

Meminisset potiùs Dominus Waræus præcedentiæ, quam ibidem cap. 7. pag. 40. tacitè innuit, de quâ concivis suus doctissimus Usserius in honorem patriæ meminit (*x*), quam Henrici 5. Regis Angliæ Oratores Alberti Magni, & Bartholomæi Anglici authoritate ex Hiberniæ jure vendicarunt, dum Anno 1417. in Concilio Constantiensi (*y*) Angliæ & Franciæ Legati de præcedentiâ coram Concilio altercarentur. Quod *Europa in quatuor dividatur Regna; primum, viz. Romanum; 2. Constantinopolitanum; 3. Regnum Hiberniæ, quod jam translatum est in Anglicos; & quartum, Regnum Hispaniæ.*

(*x*) *In tractatu de Religione veterum Hibernorum, cap. ult.*

(*y*) *Sessione 28. M. S. in Bibliotheca Cottoniana Londini, & apud Selden. Tit. Honor. par. 1. c. 8. n. 11.*

Ex

Ex quo patet, quod Rex Angliæ, & Regnum suum sunt de eminentioribus, & antiquioribus Regibus, & Regnis Europæ, quam Prærogativam Regnum Franciæ non fertur obtinere.

Metropolitanæ quoque dignitatis Hibernicæ antecedentiam sic innuit vir undequaque doctissimus Joannes Azorius Occidentis Primates recensens; *In Provinciis verò Occidentis sunt Primates; totius quidem Hispaniæ Primas est Toletanus; Hiberniæ Armachanus; Angliæ Cantuariensis; Africæ Carthaginensis; Hungariæ Strigoniensis; in Germania olim Magdeburgensis, nunc Salisburgensis: & in Galliarum Provinciis, viz. in Aquitania, & Celtica, & alii Primates se appellant Bituricensis, Rhemensis, Lugdunensis, Arelatensis, Viennensis, Archiepiscopi; de quibus statim. Poloniæ Primas sine controversiâ est Archiepiscopus Gnesnensis; Scotiæ Archiepiscopus S. Andreæ.* Unde perspici liquet Hiberniæ Monarchiam pariter, ac Hierarchiam inter priores Europæ recensitas: nimirum, ut benè animadvertit Bodinus (z); *Inter Principes quædam dignitatis Prærogativa antiquioribus Principibus, ac Rebuspub. deberi videtur, tametsi opibus, ac potentiâ inferiores sint.*

z *De Rep. l. 1. c. 9.*

Sed ut ad refellendum Seldenum orationis stylum convertam, qui priscos Hiberniæ, non minùs quàm Manniæ, aut Vectæ Reges Coronæ Angliæ subditos pronunciavit. Ut omittam Manniam ipsam longè priùs Hiberniæ Regibus, quàm Angliæ Rex esset, vectigalem. Sicut post Roderici ultimi Regis cum Henrico 2. Anno 1175. transactionem nemo Hibernus Rex Hiberniæ declaratus, ita nullus antè Rex Hiberniæ post Hispanicam immigrationem externo jugo succubuit. Quod imprimis duo Scriptores æquo in Hibernos odio, ac in suos studio inflammati ita contestantur; *Est igitur numerus Regum, qui à primo hujus Gentis Rege Herimone usque ad hunc*

hunc ultimum Rothericum Hiberniam rexerunt 181. (*a*) *Gens* (*b*) *igitur Hibernica à primo adventus sui tempore, & primi illius Herimonis Regno usque ad Gurmundi, & Turgesii tempora* (*quibus & turbata quies, & interrupta aliquamdiu fuit ejus tranquillitas*) *iterumque ab eorum obitu usque ad hæc nostra tempora* (*c*) *ab omni alienarum Gentium incursu libera permansit, & inconcussa.* Item, *Hibernia Romanis etiam Orcadum Insularum dominium tenentibus inaccessa nunquam externæ subjacuit Ditioni* (*d*). Non secùs Polydorus Virgilius in Anglica Historia; *Henricus Rex destinavit animo domare Hiberniam; tum quod Angliæ proxima est, tum quia Gallis inde administrata sæpius auxilia intelligebat; ideóque è re suâ maximè fore ducebat, si Insulam nunquam ferè antea externis armis vexatam subigeret.* Clarissimus Vernulæus Catholicæ, ac Cæsareæ Majestatis Historiographus in suo Opusculo de Propagatione Fidei per Hibernos in Belgio, cap. 12. *Hibernia nec Francorum, nec ullum externum Imperium unquam est passa.*

a *Girald. Cambrens. in Topogr. Hiberniæ, dist. 3. cap. 45.*

b *Ibid. cap. 46.*

c *Ad An. 1169.*

d *Gulielm. Neubrigensis, lib. 2. cap. 26. Rerum Anglicarum.*

Nec me plurimum movet adulantis Cancellarii ostentatio, & inanis histrionia; qui Edgari Anglorum Regis Diploma (*e*) summâ cum assentatione Anno Dominicæ Incarnationis 964. & Regni ejus 6. hoc proœmio adornavit.

Altitonantis Dei largiflua clementia, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, Ego Edgarus Anglorum Basileus, omniumque Regum Insularum Oceani, quæ Britanniam circumjacent, cunctarumque Nationum, quæ infra eam includuntur Imperator, & Dominus Gratias ago ipsi Deo Omnipotenti Regi meo, qui meum Imperium sic ampliavit, & exaltavit super Regnum patrum meorum, qui licèt Monarchiam totius Angliæ adepti sunt à tempore Athelstani, qui primus Regum Anglorum omnes Nationes, quæ Britanniam incolunt, sibi armis subegit, nullus tamen eorum

e *Quod habetur inter Wigorniensis Ecclesiæ monumenta: ejusque exemplum inter Archiva Regia Londini in Arce asservatur.*

rum ultra ejus fines Imperium suum dilatare aggressus est. Mihi autem concessit propitia Divinitas cum Anglorum Imperio omnia Regna Insularum Oceani cum suis ferocissimis regibus usque Norvegiam, maximamque partem Hiberniæ cum suâ nobilissimâ Civitate Dublinià Anglorum Regno subjugare. Quos etiam omnes meis Imperiis colla subdere, Dei favente gratiâ, coegi.

Quid tanto dignum feret hic promissor hiatu? *Imperator*, & *Dominus omnium Regum Insularum Oceani, quæ Britanniam circumjacent* definitè: *cui concessit Deus omnia Regna Insularum Oceani* indefinitè; tandem contentus est ultra Britanniæ fines parte unius Insulæ cum Civitate. Si universæ Hiberniæ, quæ ex Insulis Oceani est, quæ Britanniam etiam circumjacent, Imperator, & Dominus fuerit, omnem certè Hiberniæ partem complexus est; sin partis qualiscunque tantummodo, reliquum Insulæ imperio Insularum Domini non subjacuit, sed ex Diplomate eximendum fuit. Cujus Diplomatis authoritate sicut Edgarum Dublinii, maximæque partis Hiberniæ subactorem, ita Athelstanum unum è patribus Edgari, & primum Monarchiæ totius Angliæ conditorem fuisse credendum est contra omnes rerum Anglicarum Scriptores, qui uno ore Athelstanum non è patribus, sed patruum Edgari fuisse, & Athelstani abavum Egbertum Anglorum Heptarchiam primùm Monarchiam feciſſe; nec longiorem patrum seriem, quàm ipsum Edgari patrem à tempore Athelstani ad Diploma datum interveniſſe fatentur. Porrò Athelstanus non *primus Regum Anglorum omnes Nationes, quæ Britanniam incolunt, sibi armis subegit:* nec Edgarus primus *ultra Britanniæ fines Imperium suum dilatare aggressus est*, aut malæ fidei V. Beda, qui ducentis prope annis ante Athelstanum defunctus ita in septem *Regibus Gentis Anglorum* habet (*f*); *Quintus Edwinus Rex Nordhumbrorum, &c.*

majore

f Histor. Eccl. Gentis Anglorum, l. 2. c. 5.

majore potentia cunctis, qui Britanniam incolunt Anglorum pariter, & Britonum populis præfuit (præter Cantuariis tantùm) nec non & Mevanias Britonum Insulas, quæ inter Hyberniam, & Britanniam sitæ sunt, Anglorum subjecit Imperio. Sextus Oswaldus & ipse Nordhumbrorum Rex Christianissimus iisdem finibus Regnum tenuit. Septimus Oswi frater ejus æqualibus penè terminis Regnum nonnullo tempore coercens, Pictorum quoque, ac Scottorum Gentes, quæ Septentrionales Britanniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac tributarias fecit.

Ostmanni tantæ fuerunt potentiæ his temporibus Dublinii, ut Congalium Hiberniæ Regem Anno 956. acie prostraverint; & Anno 959. partem Britanniæ classe sua diripuerint. Donaldus O Neill Rex Hiberniæ Congalium Annos 24. excipiens Anno 921. Hiberniam totam copiis suis peragravit, & apud Binnedain prope Dublinium tres noctes in castris fuit. Item Anno 967. Ostmannos, & Lagenios bimestri bello afflixit. Interea ne leviusculus quidem rumor de Edgari Regis irruptionè ex Anglia, qua partem Hiberniæ ullam subigeret. Quod & omnes Historias tam Angliæ, quam Hiberniæ tacere Usserius testatur (*g*). Egfridus Rex Nordhumbrorum Anno 684. ex Angliâ transmisit classem in Hiberniam deprædandi gratiâ, & nulla interposita mora, mox domum reversa est spoliis, & captivis onusta. Hoc utriusque Gentis Monumentis accuratè consignatum est; de Edgari verò Regis in maximam Hiberniæ partem dominio altum est silentium.

g *Sylloge Epist. Hib. p.* 163.

Domini Waræi in Hibernia Pentarchiam vix capio; qua durante, ait (*h*), *Qui Regum potentissimus dominium totius Insulæ sibi arripiebat; vulgò Rex Hiberniæ dicebatur:* & paulò infra; *Quando cœperit Pentarchia non liquet.* Si per Pentarchiam 5. Regna ab invicem discreta intelligit, qualis fuit Anglosaxonum Heptarchia, in

h *Antiqu. Hib. c.* 4. *p.* 16.

qua Regum potentissimus supra reliquos subinde dominium arripiebat, Regum supremorum perpetua, & continua series talem regiminis formam non admittit: si verò modò 5. modò 4. Regum in una Rep. & sub uno capite suis cujusq; Provinciis Presidentium, Pentarchiam vult, liquet, quando cœperit; nimirum cum Originali Regiminis Regii forma, & primo Insulæ Monarcha Slangio. Tunc enim in quinque portiones Regio divisa, & cuilibet portioni Præses cum Regis titulo suæ Provinciæ assignatus.

Pentarcharum vero nemo eo nomine *dominium totius Insulæ sibi arripiebat*, ut vult ille, quia *Pentarcha* aut *Potentissimus*. Plurimi fuerunt cujusque Provinciæ Pentarchæ à Regio Monarcharum sanguine natalibus alieni, eorum autem nullus quantocunque potentissimus ad supremum Thronum aspiravit.

Pergit ille ibidem Giraldi Cambrensis in Regum nostrorum opprobrium verba repetere (*i*). *Prædicti vero Reges non alicujus Coronationis solennitate, nec Unctionis Sacramento, nec etiam jure Hæreditario, vel aliqua Successionis proprietate, sed vi tantùm, & armis totius Insulæ Monarchiam obtinuerunt, & suo more Regni gubernacula susceperunt.* Eadem è Giraldo in Librum nigrum Ecclesiæ S. Trinitatis Dublinii congesta sensu non variant, nec verbis nisi tantùm his; *Isti Reges non fuerunt ordinati solemnitate alicujus ordinis* pro Coronationis solennitate; & *aliqua proprietatis Successione* pro Successionis proprietate. Hæc Davisius inde deprompsit, & Seldeno (*k*) reiterando communicavit, ista inferens, *Nullam Hibernis justam conquerendi causam fuisse, si fortior Rex superveniens Imperium in illos sibi per vim arripuerit.*

i *Topogr. Hiberniæ, dist. 3. cap. 45.*

k *Tit. Honor. par. 1. c. 4. p. 38.*

Ex isto nigro Libro aliud mihi videre non contigit, quàm illud Doctoris Usseri (*l*); *Fornices, seu voltæ* illius, sc. Ecclesiæ, à qua Liber nominatur *fuerunt per Danos fundatæ*

l *De Primord. Eccl. p. 863.*

fundatæ ante adventum S. Patricii ad Hiberniam. Danorum vero nomen orbi non innotuit ante Justini Junioris tempora circa Ann. Salutis 570. unde colligere est cætera illius Libri ejusdem esse farinæ. Cùm neque Hibernos & multo minùs Danos tum Christianos, nec ante 400 annos post Patricii adventum Danos ullos in Hibernia pedem fixisse notissimum sit. Anno 832. ut Annales nostri referunt, *Ardmacha nunquam antè exterorum insultibus concussa ter uno mense Danorum facta est præda:* & Anno 838. *Normanni* 120 *navium classe ad Dublinii, & Pontanæ ostia appulsi, & ad Inver-na-mbarc conserto prælio victores, postquam omnes terras à mari ad Sinannum* Athlonam versus *devastaverant, Dublinium tandem adorti herbam porrigere compulerunt.*

Giraldum porro Cambrensem harum calumniarum primum cusorem sic improbat ipse Waræus(*m*); *Non possum non mirari viros aliquos hujus seculi alioqui graves, & doctos figmenta ea Giraldi mundo iterùm pro veris obtrusisse:* & ibidem, *Multa heic observari possent fabulosa, quæ de Hibernia accumulavit Giraldus Cambrensis in Topographiâ Hiberniæ seb aliis ea discutienda relinquimus; siquidem exacta eorum discussio justum requirit tractatum.* Id muneris fœliciter obiit sub Gratiani Lucii nomine piissimus Lyncæus Archidiaconus Tuamensis de patria suâ optimè meritus, qui convitiorum maculas eluens justo volumine omnem historicam fidem Giraldo derogavit.

(*m*) *Ant. Hib. c. 23. p. 119.*

Quid verò aliud intelligit per Reges non alicujus Coronationis solennitate, quam quòd Libri nigri excriptor clarius explicat; non ordinatos solemnitate alicujus ordinis. Nam plurimarum nationum Reges olim non *Coronam*, sed *Diadema* Regium capitis insigne gestabant; quod è fascia, vitta, aut tænia gemmis ab aliquibus intertexta fiebat; & à Baccho inventum, ut vult Plinius, oportet esse vetustius Corona: alii Coronam

gestabant, alii utrumque; unde jam pro Synonymis Diadema, & Corona: alii neutrum. Ex Imperatoribus primus Aurelianus (*n*) Diadematis, Constantinus Magnus Coronæ frequentem usum introduxit: primusque in Inaugurationibus Coronâ insignitus Justinus Junior (*o*). Lewigildus West-Gothorum Regum in Hispania Coronâ primus inter Regia insignia usus est Ann. Salvatoris circiter 580. *Nam ante eum*, ut habet Isidorus, *& habitus, & consessus communis ut Genti, ita & Regibus erat.* Non desunt hodie maximi Imperatores, quibus Inaugurandis consuetudo Coronas non patitur. *Nulli Principes Musulmanni Coronam capiti suo imponunt* (*p*). Russiæ Imperatoribus solenne non est Coronæ decus.

n *Anno* 269. *capit.*

o *Anno* 565.

p *Bodinus de Turcarum Imp. l.1.c.9. de Rep.*

Itaque non Coronam sed Coronationis alicujus, aut Ordinationis solennitatem denegat. *Inaugurationem*, omnibus Gentibus communem, qua Rex, aut Magistratus quispiam populo præpositus declaratur cum mutua illius in populum, & populi in illum observantia; *Ordinationem*, qua ordine quodam, & eminentiæ gradu initiatus reliquis præluceat, nullam concedit: sed quemadmodum fungus è terra repentè enatus, aut trabs Æsopica ranis è cœlo demissa Rex trabeatus apparet in Scena; quasi Cometa crinitus in aëre, quem mortales suspiciunt, unde venerit, ignari. Sed Regum Hiberniæ ita Lex tulit, non unus omnium Rex ex utero egressus est; nemo Rex natus, nullus nisi matura ætate ad Regium fastigium evectus. Contra vero idem Giraldus in creando Tirconalliæ Rege tot barbaras, & inconditas cæremonias ipsi abominabiles, & domesticis Scriptoribus inauditas refert (*q*), ut mireris, qua calumniandi bulimiâ agitatus hunc minorum Gentium Regem plurimis Cæremoniis oneraverit, & supremis Regibus ne unas inaugurandis agnoverit; contra omnem Dialecticam, quod in genere inficiatus est id in specie admittens.

q *Top Hib dist.* 3. c. 25.

Verum

Verum cæremoniarum in Inaugurationibus adhibitarum imaginem referunt ipsa insignia Hiberniæ Regis, quæ sic delineat Bartholomæus Cassanæus; (r) *Rex Hiberniæ habet regem aureum tenentem lilium in Majestate in campo nigro.* Extat hodie in throno regio Westmonasterii lapis ab Anglis Jacobi patriarchæ nomine *Jacobs-stone*, nescio unde dictus: super hoc Monumento Hiberniæ Reges investituræ suæ auspicia olim solenniter recipiebant. Vetus traditio est multis vetustis historiis confirmata, ideò fatalem dictum, quod regii sanguinis principes gentilismi tempore super eo sistentes, utrum regnaturi essent experiri in more habebant: si enim sub sessore sonitum ederet, certum erat regnandi augurium, sin obmutesceret, omnem spem præscindebat: sed ex quo Salvator in terris apparuit, nullum tale protulit oraculum. De lapide vocali, qui fuit statua Regis Ægypti post dirupta ad medium usq; pectus à Cambyse Authores meminerunt: (s) & de orbis universi falsis oraculis, nato Christo, plerumq; obmutescentibus vide quæ habent Eusebius præparat: Evangel. lib. 5. Suidas in Augusto, & Nicephorus Calistus Eccl. Histor. l. 1. cap. 17. Aliud huic lapidi fatum districho hoc, quod Hector Boetius citat, adscribitur.

r *In Catalogo Gloriæ Mundi par* 1. *consid.* 38. *conclusione* 17.

s *Strabo l.* 17. *Plin. l.* 36. *Paus. Attic. Philostratus in vita Apollon.* & *Lucian. in Toxari, & Philopseude, &c.*

Ni fallat fatum, Scotì quocunq; locatum,
Invenient lapidem, regnare tenentur ibidem.

Quando ex Hibernià in Scotorum Britanniæ manus devenerit, incertum est; si conjecturæ locus detur, censeo Kinethi Regis tempore, qui Pictorum gentem Scotorum imperio subjecit, (t) lapidemq; illum Sconæ in regione Pictorum, quo Regiam transtulit, Monasterio collocavit, ab Aido Finnliath Kinethi genero, & rege postea (u) Hiberniæ in auspicium

t *Anno Dom.* 850.

u *Anno.* 863.

diademate coronati incederent omnes Hiberniæ Reges, atq; in pleriſq; Actis ſolemnibus & *publicis*. Brianus Rex Hiberniæ in Cluantarbenſi prœlio, viſa coronâ regia, ab hoſtibus agnitus occubuit Anno Dom. 1014. De cujus ſemine aliquos admodum ſolenniter reges fuiſſe creatos, ac coronâ aurea redimitos Scriptores tradunt. Donnchadus ejus filius Majorum ſuorum Coronam ſecum detuliſſe Romam legitur Anno 1064. Quod Subregibus coronæ uſum innuit; ſiquidem nemo ex Majoribus illius Chriſtianis Rex Hiberniæ præter patrem.

Ut autem de Unctione, quæ in regum inauguratio-nibus per olei ad id operis ſacrati infuſionem uſuve-nit, quod ſentio edicam; quanquam hodie omnes, vel certè pleriq; Chriſtiani reges paſſim illam uſurparint, aliam conſtat olim fuiſſe conſuetudinem, & praxim. Unde Robertus Lincolnienſis Epiſcopus ſuo tempore (*b*) ait; (*c*) *Multi ſunt reges, qui nullatenus unctionis munere decorantur.* Et Henricus Cardinalis Hoſtien-ſis celebris canonicæ legis Doctor. (*d*) *Siquis Rex in-ungi nova conſuetudine velit, uſus, & mos obtinuit, ut id à Rom. Pontifice petat; ſicut fecit Rex Arragonum.* Nullum domeſticum monumentum, quod ſciam, ex-tare de regia noſtrorum regum Unctione ingenuè fa-teor; ſed & idem de unctione Sacramentali poſſit dici, quam tamen regibus cum populo Chriſtiano communem nemo impertitam ambiget, qui Chriſtia-nos non diffitebitur. Nôrunt enim fideles omnes in Baptiſmo per quemlibet ſacerdotem, qui miniſterium illud obit, Unctionem ſacram, ſeu Chriſmationem peragi. Nôrunt etiam ubi Confirmationis Sacramentum, quod per ſolos Pontifices conferri licet, fideli populo mini-ſtratur, oluem Sanctum, Unctionemq; utrobiq; adhiberi. Liber de numero Cardinalium, Archiepiſcoporum, & Epiſco-

b *Sedit ab Anno* 1235 *ad Annum* 1253.
c *Epiſt.* 127. *ad Henr.* 3. *Anglix Regem.* M. S.
d *Anno* 1261. *clarust.*

Episcoporum Romæ Anno 1533, impressus fol. 49. habet; *Inungi reges Castellæ, Arragoniæ, Iberniæ, Scotiæ, Poloniæ, Hungariæ,* &c.

Ritus ille per Orientis populos non apud Dei cultores tantùm, sed etiam apud gentes adeò frequens, & vulgaris fuit, ut regem constituere, atq; eundem inungere idem planè significent. Ita Judicum 9. Abimelech ducentis non minus annis priusquam in populo Dei Rex ordinatus, cum regnum affectaret, Joathan reluctans quo apologo usus est; *Ierunt ligna, ut ungerent super se regem,* eo ungendi morem nationibus, quibus tum reges præerant, familiarem detexit. Hazael in regem Syriæ, ut & Jehu in regem Israel ungendos ita præcepit Dominus Eliæ; (e) *Reuertere in viam tuam per desertum in Damascum, cùmq; perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam, & Jehu filium Namsi unges regem super Israel.* De Cyro rege Persarum Christo, hoc est, Chrismate uncto ait Isaias Propheta; (f) *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* David Regem, & posteros eodem, quo Sacerdotes oleo Sacratos Theologorum plæriq; tenent: idem Rabini ad unum tuentur. Adduntq; ex traditionibus, quas illi ut sacras venerantur, oleum Sanctum, quo Aaron sacerdos inunctus, id ipsum ad extinctos reges Davidicæ stirpis divinitùs sine imminutione servatum; nongentorum ut pote annorum non minus decursu.

e 3. Regum. 19. 15.

f Isai. 45. 1;

Christiani reges non quamprimùm ab his sacræ Scripturæ exemplis Unctionis suæ cæremonias receperunt; sed post multa elapsa secula ab una, aliave gente usus summi Pontificis aut collatione, aut indulto, à quo fonte omnes sacri ritus, & institutiones Christianorum originem ducunt, introductus paulatim inolevit, & ab unius imitatione de gente in gentem dimanavit, ita ut jam Principi initiando desiderari, religioni

ligioni duceretur, & Majestatis imminutionem argueret.

In Orientis citiùs, quàm in Occidentis Imperio hunc morem a Justiniano, vel statim post ejus obitum (*g*) à Justino inchoatum Onuphrius (*h*), & Seldenus (*i*), cum aliis volunt. Insuper Onuphrius regiæ unctionis usum ad Occidentale Imperium Orientalium Cæsarum imitatione traductum opinatur (*k*). Carolo Magno autem, qui primus in Occidente Imperator à Leone 3. Anno Dom. 800. exituro consecratus, opus non erat exemplum ejusmodi à Græcis haurire, cùm priùs quàm axioma Imperii ad ipsum devenerit, ipse regia unctione, & ipsius frater Carolomannus, ut & ante eos pater Pipinus reges Francorum initiati fuerint. Non temerè heic annotanda occurrunt, quæ Manasses sub Emanuele Comneno * Imperatore Orientis circa Ann. 1160. Constantinopoli florens de Caroli Magni per Leonem in Imperatorem renunciati Coronatione in hunc sensum Græcè cecinit.

g *Anno Dom.* 565.
h *De Comitiis Imperatoriis, cap.* 2.
i *Tit. Honor.*
k *Loc. cit. c.* 5.

* 1142. *cœpit.* 1180. *obiit.*

——*Quod mos Romanus habebat.*
Imo quod Hebræis fuerat solemne Tyrannis,
Signatum infundens à summo vertice totum
Usque pedes unxit. Sed quid hæc sacra, quid ipse
Sacrorum Antistes voluit? nescimus.

Quo loco Græcus Author Unctionis cæremoniam, quasi rem insolitam, & Græcorum Cæsarum Inaugurationibus sua ipsius ætate insuetum memorat. Si enim ante Manassem, vel illius memoriâ ejusmodi mos esset, quomodo hominem latuisset, qui Aulæ assueverat? unde illi ista admiratio de unctione Carolo adhibitâ? unde stupor, ut putaverit morem illum à Judæis traductum, & solis Latinis usurpatum? Nicephoras quidem Gre-

b *Lib. 2. Hist. pag. 18.*

goras (*b*) Græcus Alexii Angeli inaugurationem Anno 1194. celebratam memorans unctionis Imperialis usum

* *Anno 527. capit.*

Justiniani* temporibus apud Græcos innuit, quatenus inungendi Imperatores ministerium Bulgariæ Archiepiscopo non competere asserit ob priorem Legem, qua Prærogativa ista, ante Justiniani in Bulgariæ sedem collata privilegia, alteri sedi concessa fuerat. Quæ altera, non alia potest intelligi, quàm Constantinopolitana. Sed nullum ejusmodi decretum ante Justinianum concessum, vel sub eo firmatum, aut cautum; aliàs Constantinopolitani Patriarchæ, qui passim sedis suæ Prærogativas recensent, deprædicant, & in immensum augent, id non prætermisissent. Proinde deficiunt sufficientia testimonia unctionis Imperatoribus Orientis initiandis ante Emanuelem Comnenum, & Alexium filium, & Succes-

l *Anno 1180.*

sorem (*l*), quos prodit Nicetas Choniata inunctos; supremis, ut verosimile est, Emanuelis temporibus, cùm Pontificum Romanorum gratiam sibi affectata pietate, omnibusque aliis officiis conciliandam putasset.

Verùm de Imperio Occidentali certa res est, unctionem regiam ibi cum ipso Imperio natam (*m*), & à Cæsa-

m *Anno 800. exeunte.*

ribus, qui Carolo Magno successerunt, nunquam intermissam ad nostra usque tempora.

Unctionem regiam apud Francos cum ipsis Christianæ Fidei principiis usitatam, & divino miraculo honestatam plerique jam persuasum habent. Oleum quippe, ampullamque oleum ipsum continentem columbæ è cœlo descendentis ministerio delatum, quo S. Remigius Rhemensis Episcopus Clodovæum primum in illa gente regem Christianum circa Ann. Dom. 499. & Regni 16. inunxit: aiuntque. oleum illud nunquam imminutum sed in hunc usque diem Rhemis perdurare, & liquorem, quo omnes Francorum Reges à Clodovæo ad nostra hæc tempora unguntur, ministrare. Ita etiam passim Gallicorum

corum è vulgo Scriptorum consensus conspirat, ut opinio hæc è chartis prorepserit in nummos, monetamque Francicam; nec enim aliò respicit nummus à Ludovico 13. inter imperii sui initia cusus; ubi manus è nubibus protensa ampullam tenet Epigraphe incinctam,

——*Francis data munera cœli.*

His se adjungunt S. Thomas Aquinas, seu verius Ægidius Romanus de Regimine Principum (*n*), S. Antoninus (*o*), Baronius (*p*), & alii (*q*). Multitudo quidem hæc est, non tamen tanta, & tam irrefragabilis, ut non in eos meritò inquiri possit, unde hæc hauriant? Nempe è vulgari Francorum traditione, quæ non ita vetus, nec bene fundata, sed in vulgo nata, & per vulgus difamata. Habent, inquam, Franci exemplum (*r*), quòd oleum virtute divina per secula aliquot sine diminutione suppetat. Sed revera non habent rationem credibilem, qua persuadeant, quòd oleum ipsorum è cœlo venerit, aut (quod multo magis in dubio est) quod oleum illud è cœlo veniens ad Clodovæum in Regem ungendum usurpatum sit.

n *Lib. 2. cap. 16.*
o *Histor. par. 2. cap. 2. tit. 11. sect. 7.*
p *Tom. 6. Anno 499.*
q *Azor. Institut. Moral. par. 2. l. 10. c. 3. Coulben. Politic. l. 7. c. 3.*
r *De quo supra e Traditionibus Hebræorum.*

Scriptores plerique antiquiores, qui Clodovæi Historiam attingunt, memorant quidem eum à S. Remigio baptisatum. De oleo vero cœlitùs missò altum apud eos est silentium. Aimoinus* verò & Hincmarus, qui in vitâ S. Remigii (*s*) ampullæ meminit, & olei, ad Baptismum circa Clodovæum perficiendum, non ad eum regno initiandum adhibitum tradunt. Est enim, ut dixi (*t*), antiquissimus Ecclesiæ Catholicæ ritus, ut tum fons Baptismalis, tum persona ipsa, quæ baptisatur, infuso sancto oleo sacrentur. Sexcentis jam prope effluxis annis acris exorta est contentio inter Rhemensis, & Senonensis sedis Episcopos circa Ludovici Crassi Franco-

* *De Gest. Franc. l. 1 c. 16.*
s *Apud Surium 13 Ja.*
t *Supr. p. 41.*

rum Regis (*u*) coronationem, utri eorum jure debitum inaugurationis ministerium. Nihil ibi Rhemensis de ampulla movebat, nec causæ suæ præsidium inde quærebat. Et tamen, si vera sunt, quæ posteriores Scriptores de ampulla tradunt, hinc Rhemensi suppetebat argumentum, quod per se solum posset causam evincere. Extat hæc Historia tam in ejus seculi Annalibus (*x*), quàm in Scriptis Ivonis Carnotensis Episcopi, qui Senonensis Provinciæ suffraganeorum unus Dainberto Senonensi Archiepiscopo adstabat. Nihil tunc omittebatur eorum, quæ possint hujus, vel illius sedis Prærogativas illustrare: & tamen de Ampulla olei sancti è cœlo S. Remigio transmissi, vel quod ille Clodovæum ex eo in regem unxerit, verbum nullum Rhemensis interposuit, nullum Senonensis reposuit. Hoc argumentum nequaquam enervat, imo magis magisque corroborat, quod quinquaginta circiter ab hac lite retro annis Guilelmus Brito Philippi (*y*) i. Coronationi applaudens, oleum illud, quo Franciæ reges inungi soleant è cœlo delapsum canat, modum describat, quo è nubibus delatum fuerit: ubi ulteriùs prosequitur Poeta, quomodo fregerit Diabolus olei ampullam, quam S. Remigius manibus tenebat mox unctурus Regem Clodovæum baptismo admotum; sed S. Episcopus diabolicæ malitiæ citiùs occurrens suppletionem, restitutionemque olei ita effusi è cœlo precibus impetraverit. Quid enim ex hac næniâ aliud inferendum, quàm illa ætate apud vulgus opinionem aliquam viguisse de oleo, & ampullâ è cœlo dimissâ, sed levem illam, & infirmam; non dignam, quæ Episcopis, aliisve viris gravibus in Rhemensis controversiæ quæ nuperrimè post contigerat, decisione in medium proferretur; sed qualis Poetis per Enthusiasmos, vulgo per levitatem illabitur. Unde Francorum aliqui, iique gravissimi Scriptores (*z*) palam fatentur se animum

u *Anno* 1109 *capit.*

x *Aimon. de Gest. Reg. Franc. l.* 2. *c.* 50.

y *Anno* 1060. *capit.*

z *Du Hillan des us de la France, liv.* 1. *Till. de rebus Gallicis, lib.* 2. *p.* 100. *Videsis Valdesium de Dignitat. Reg. Hisp c.* 14. *sect.* 22.

animum inducere non posse, ut istis fidem habeant.

Primus igitur è Franciæ Regibus, qui Unctionem regalem susceperit, fuit Pipinus Caroli Magni pater, quem ut veteres fide digni testes (*a*) tradunt, S. Bonifacius Martyr Moguntiæ Archiepiscopus, & Germaniæ Legatus Apostolicus, genere Anglus, (*b*) Anno 752, apud Senonas Coronatum solemniter inunxit. Et Anno circirer 753. idem ille Pipinus, filiique ejus Carolus, & Carolomannus per Stephanum, 3. S. P. *in Reges Francorum inuncti sunt*, ut ipse Stephanus, (*c*) & Ludovicus Imp. Caroli M. filius, (*d*) apud Baronium (*e*) testatur. Ut omittam subsequentem imperatoriam ejusdem Caroli Unctionem à Leone 3, adhibitam, de qua Siffridus Anastasius, Manasses Græcus, aliiq; veteres expressè meminerunt. Nullus itaq; ex Merovingianâ Regum Francicorum serie per Unctionem sacratus fuisse videtur; sed ille ungendi mos in Carolinâ domo cœpit, & per omnes insequentes reges hucusq perduravit.

a *Regino, Sigebertus, Siffredus, & alii veterum plures.*

b *Winfridus in patria dictus anno 723, Episcopus a Gregor. 2. factus, 745, Archiepiscopus Moguntinus à Zacharia. Anno 755. occisus à Frisiis*

c *In Epist. ad Reginonem sub annum 754.*

d *Anno. 814. successit.*

e *Epist. Ludovici Tom. 9. Anno. 754.*

Hujusmodi Cœremonias regibus constituendis apud veteres Britannos diu ante alias Christianas gentes invaluisse ægrè quidam colligunt è Gildæ de Excidio Britaniæ libelli Anno 564, editi his verbis, quibus suæ ætatis Britannicorum regum impios, ac crudeles mores percellit; *Ungebantur reges non per Deum, sed qui cæteris crudeliores extarent: & paulò post ab Unctoribus non pro veri examinatione trucidabantur, aliis electis tructoribus*: & ad Metaphoricum sensum verba flecti nullatenus admittunt. Nam Gildas, ut dicunt, floruit seculo, quod nondum receperat in usum Synonimiam istarum vocum *regem constitui*, & *in regem ungi* locutionis phrasi, modoq; seculis recentioribus usurpato; sed pressius, simpliciusq; sine omni Tropologiâ memorat

rat Reges unctos, homines unctores, & Deum unctionis gratiam denegantem. Alii, (*f*) quos hæc urgent, omnem difficultatem uno ictu amovere conantur, negando ea Gildæ genuina fuisse, sed falsò illi à Galfrido Monemuthensi adscripta. (*g*) Irritus autem is ictus: Nam ita ex ipsius Gildæ M. S. exemplaribus apud Vsserium (*h*) habetur. Qui vero Gildæ stylum advertet, Tropos multo minùs frequentiores è Sacris literis translatos apud eum offendet, quàm ungi pro inaugurari, aut regem instituì usurpare familiari Scripturæ Phrasi. Nec alius conciliandæ veritati, quàm schematicus potuit heic esse sensus. Eodem enim locutionis sensu unctis regibus, atq; unctoribus ministris usus est; sed unctionis sacræ realis ministros non alios posse esse quàm Episcopos nemo sanæ mentis inficiabitur. Episcopos autem suæ patriæ Gildas licèt plurimis maculis inustos ibidem fugillaverit, nullum tamen ex iis regicidii incusavit, ut verè, & realiter dicatur, *qui ungebantur Reges, ab Unctoribus trucidabantur.* Cæterum, ut nullus de hac re suspicioni locus relinquatur, notandum, non tam Unctionem Sacram regibus heic defuisse, quàm Reges Unctioni. Nam ut Galfridi Monemuthensis, (*i*) qui fictitios Britannici imperii Monarchas contexuit, ejusq; sequacium ineptiis non auscultem, quem mox ac prodiit Guilielmus Neubrigensis, & nuper Camdenus, ac Usserius passim cum aliis convellerunt, compertum est ex Diodoro Siculo, (*k*) Cæsare, (*m*) Strabone, (*n*) Pomponio Mela, (*o*) Tacito, (*p*) Suetonio, (*q*) Dione Cassio, (*r*) ipsoq; Gilda Antiquos Britones nulli uni subjectos Regi, sed pluribus simul paruisse. E quibus post redactam in Provinciam meliorem Insulæ partem, quidam sub Romanis ditionum suarum Reges dicebantur; ita Neronis tempore Icenorum Rex Prasutagus; ita imperante M. Aurelio Lucius

f Gr. Lucius. p. 313.

g Lib. 9. c. 3.

h De Brit. Ec. Primord. p. 373. & 448.

i Seculi 12. initio flor.

k Lib. 5. c. 8.

m Cæs. de bello Gallico. l. 5.

n Strab. Geograph. lib. 4.

o Mela de situ Orbis. l. 3. c. 6.

p Tacit. Annal. l. 12, & 14 & in vita Agricolæ.

q Suet. in Claudio. c. 21.

r Dio Cass. l. 60. Qui omnes a seculo ante Christum natum ad 3. sec. Christi floruerunt.

cius primus Christianus, qui, ut ait Camdenus, (s) *alicubi Romanorum permissu hèic regnavit.* Qui etiam è talibus dignior, aut potentior habitus belli dux contra Romanos, Pictos, Scotos, aut Anglosaxones communi consilio subinde præficiebatur eo sensu Britonum Rex appellatus. Præsertim qua scripsit Gildas *contpestate* Reges, de quibus apud eum sermo, ut ex ipso liquet, non Britanniæ, Britonum, aut tantæ in Britannia partis, quanta pro regno censeretur, Reges erant; sed Britannici quarumdam in Britannia ditionum principes: Nec sibi invicem succedentes, sed suis quisq; Provinciis simul tum præsidentes; nimirùm Constantinus Damnoniæ, (t) Aurelius Conanus Powisiæ, aut alteri Provinciæ, Vortiporius Demetiæ, Cuneglasus (non constat cui,) & Maglocunus Venedotiæ.

s Brita. Tit. Romani.

t De quo. supra p. 13.

Anglosaxonum quidem Reges Sacræ oleo Unctionis sub Coronationem delibutos etiam ante Normannicam Dynastiam cæremoniæ, rituſq;, qui in coronandis, ungendisq; corum regibus, & reginis observandi, accuratè descripti, & in Chartophylaciis adhuc servati palam ostendunt; licèt tempus, quo cœperant, incertum. Nam Seldeno facilè assentior Guilielmum Malmsburiensem monachum, cùm diceret Egfertum, (u) in Merciorum Regem circa annum, 790. inunctum, morem loquendi suo tempore familiarem ad anteriora retulisse: & Aluredum (x) Angliæ Regem, (qui Leonis 4. manu Romæ Confirmationis Sacramento initiatus fuit, ut expressè Asserius, plureſq; alii memorant) Confirmationis oleo à Leone oblitum, & non oleo regum Inaugurationibus adhiberi solito; contrà quàm Asserius, Aluredo intimus, plureſq; eum secuti Historici (y) senserunt. Aluredus enim ab Ethelulpho patre suo circa annum, 854. Romam missus, 5. tantum annos ætatis habebat; nec pater

u *Alias Egfridum Offæ regis filium.*

x *Alias Alfredum.*

y *Malmsbur. Flor. Wigorn. Hovedon, Robertus Gloccstr. permite Anglico, Harpisfeldius & alii.*

pater se regno abdicabat; erantq; insuper Ethelulpho tres alii filii Aluredo natu majores, qui à patris morte Anno 857, sibi invicem successerunt ad annum 872, quo eorum sine masculâ prole ultimi interitu regnum ad Aluredum devenit. Sicut autem in Clodovæi Baptismo, cùm ex Baptismalium Ceremoniarum legibus S. Remigius Unctionem, seu Chrismationem adhibuisset, in Unctionem regiam leviter id homines vertere: ita Aluredus cum olei, Unctionisq; sacræ Ministerium in ipsius Confirmatione Leo Papa exerceret, putatus est errore populari regiam Unctionem de Pontificis manu recepisse.

In quibusdam Provincialis Romani Apographis inter reges Unctione, dum inaugurantur, oblini solitos Reges Hiberniæ enumerantur. Unde desumptum non ambigimus, quod suprà ex libro de numero Cardinalium etiam citatum. Varia quidem sunt de hac re Provincialis Rom. exemplaria, nec minùs in diversa abeunt auctores, qui ex eo, vel aliunde cum numero, tum ordine designando hujusmodi Catalogum describunt. Sed in hoc maximè Jurisconsultis, (z) ubi de regibus, quibus sacra Unctio competit, meminisse contigerit, inter se, & cum Provinciali Romano convenit, quòd. xcepto Imperatore, non fuerint nisi quatuor, iiq;

Rex Hierosolymæ,
Rex Franciæ,
Rex Angliæ, &
Rex Siciliæ.

Ex his Symphorianus Champerius, (a) observavit Hierosolymitanum, & Siculum omissos in editione Provincialis Romani suo tempore facta: non aliam, ut reor, ob causam, quam quod in iis reges nativi jampridem defierint. Sed Hibernorum Monarchia prius extincta est, Anno 1022, quam hæc regna, unum

Anno

z *Alberic. ad tit. de statu hom. lib. 1. Castaldus de Imp. qux. 18. & 19. Anto. Corset. de Potest. Reg. p. 4. sect. 16. Alvarot. ad Feud. c. Quis dicatur. M. Anton. Surgens in Neap. illust. lib 1. cap. 22. Videsis Hostiens. sum. tit. de sac. unct. & Azor. Moral. Institut. par. 2. lib. 10. cap. 5.*

a *Mirabi. divin. & hum. vel. 4. Lugdun. editionis.*

Anno 1099. à Godfrido Bullionæo, alterum Anno 1129. à Rogerio Normanno condita. Adeò dudùm inter Reges inunctos in desuetudinem possit abire eorum enumeratio. Cæterùm in hoc, quod omnium unctionum caput est, Hiberniæ reges præ omnibus omnium gentium Monarchis post Romanos imperatores, & Gothorum in Hispania, sed Arianos reges gloriari possunt, quòd primi sacramentalis olei unctione Christianitati fuerint initiati. Atque hinc Hiberniam ab Alberto Magno, & Bartholomæo Anglico Oratorum Henrici V. fide (*b*) aliis regnis prælatam existimandum.

b *Supr. p. 32.*

Jus hæreditarium, & successionis proprietatem in regibus nostris desideratam Giraldus calumniosè convitiatur. A summo Monarchâ ad infimum Dynastarum ordinem nullum erat dominium, cujus principatus non ad certam aliquam familiam spectabat, ex qua unus eligeretur, qui Monarcha, Pentarcha, aut alius Subrex, aut Dynasta dominio sibi hæreditario jure, præclaris actionibus simul, ac populi suffragiis subjecto, dum vixerit, præesset. Duo itaque erant spectanda, viz. jus hæreditarium, & populi electio: jure hæreditario quivis masculus decessoris propinquus capax erat summi magistratus illius ditionis, cujus aliquis è majoribus primus erat conditor: sed electione ea dignitas uni astringebatur ad vitæ terminum. Nec penes quos eligendi arbitrium erat, licebat undecunque oriundum eligere, sed ultimi possessoris patruum, fratrem, filium, aut alium è familia propinquum; hac servata communitèr lege, ut esset ætate Senior, simul atque conditione dignior, in quem potestas conferebatur.

Quod ut supremorum regum exemplo manifestiùs perspicias, nemo ab adventu filiorum Milesii ad eam dignitatem aspiravit, nisi qui ex uno è tribus ipsius filiis originem duxerit, præter tres ex cognato Lugadii filii

Ithi sanguine, & unum è plebe per annos 1447. ad S. Patricii appulsum. Christiani deinde reges è solo Nicelli Regis semine regnarunt 46. per annos 590. ad An. Christi 1022. quatuor præcipuis ejusdem stemmatis familiis alternatim succedentibus. Nonnunquam verò ex his aliqui præ nimia dominandi libidine (cujusmodi millena sunt apud omnes veteres nationes tam Christianas, quàm Ethnicas exempla) debitam sibi potius rati, bello, & violentiæ subsidio regiam dignitatem præriperent. Sed sine armorum potentiâ, electorum suffragiis, & avitæ hæreditatis prosapiâ omnis ad supremum cujuslibet familiæ magistratum præclusus fuit aditus.

Quod ad successionem attinet; superstiti Principi Successor designabatur, qui è vivis sublatum exciperet, esto filius, aut frater, aut alius dignior è familia agnatus. Hunc Tanistæ dixere vocabulo ab annulari digito translato; qui sicut medium & loco, & longitudine propiùs attingit, ita Tanista loco, & authoritate à Principe secundus. Atque hinc Tanistriæ legis titulus à Davisio (*c*), & Waræo (*d*) derivatur. Quisque è reliquis familiæ candidatis Rioġ damna dictus est; quod est regia materies; nimirùm materies apta ad recipiendam regiam formam suæ familiæ. Si vero liberæ, aut mechanicæ artis alumnus fuerit, dóbar tantùm, quod materiem etiam denotat, vocatur; quippe materies dispositа, ut tali professione informetur.

c *In casu Tanistriæ.*
d *Antiqu. Hiberniæ, c.* 8.

Siquidem tres erant olim in hac Rep. Ordines: unus Regum, alius Druidum, & literatorum, ac tertius Opificum, & plebeiorum; & in singulis Ordinibus septem gradus, & dignitates, suis quæque obligationibus, & immunitatibus ordinatæ. Posteriorum Ordinum quisque in sua arte professor Ollamh vocatur.

Evangelii quoque post legem amplexam, sicuti Monarcha, & Primas in toto regno, & Pentarcha cum Archiepiscopo

chiepiscopo in qualibet provincia, ita in singulis Ditionibus præter Ditionis Regem, cui suberant Taisii, seu Barones, erat Episcopus, & Abbas cum administrandæ legis Judice, & cujusvis alterius professionis Ollamh, qui superiores habuit in provincia, & supremos in regno ejusdem artis Professores.

His ita strictim prænotatis, Deo duce, & auspice Virginis Filio propositum Chronologiæ scopum prosequar, temporum exordia à Feria prima post mundi creationem, Æquinoctio Autumnali, & die 26 Octobris proleptici deducens in Anno Periodi Julianæ 764. Cyclo Solis 8. Lunæ 4. Indictione 14. & Litera Dominicali E.

OGYGIÆ EXTERA:

SEU

Exterorum temporum, ac generationum cum Hibernicis collatio.

PARS II.

Anno Mundi.

1657. Diluvium universale cœpit die 17 Novembris proleptici. Anno Mundi 1657. ad 13 Octobris præcedentis cum Æquinoctio Autumnali ineunte juxta Josephi Scaligeri rationes. Anno Periodi Julianæ 2420. cum ultimo die proximi Decembris exeunte. Unde ad Kalendas Januarii, quibuscum inchoavit æra nostra vulgaris Christiana sunt anni 2293.

1658. Diluvium cessavit die 27 Novembris.

1717. Belus

1717. Belus gentibus dictus, qui sacris literis Nembrodus[13], seu Nimrod Noemi[10] pronepos, avo Cham[11], patre Chus[12], primus potens in terris, & Babylonis conditor Assyriorum Monarchiæ fundamenta hoc anno jecit, à quo Chaldæorum æra fluxit, cujus annus 1903. cum Æquinoctio vernali surgens fuit, quo Alexander Babylonem cepit, ut Callisthenes tum ad Aristotelem inde rescripsit. Ab hac etiam Epocha ad casum Sardanapali hæc Monarchia stetit annos 1360. quot annos Diodorus Siculus è Ctesia duraſſe testatur. A quo casu ad Babylonem ab Alexandro captam anni colliguntur 543.

1360
543
1903

Bel tine etiamnum ab Hibernis vocantur Kalendæ Maiæ; quasi Beli ignis: quòd eo die Paganismi tempore, ut ferunt, Belo quot annis victimas adolerent.

1724. Heber[14] Noemi[10] ex Semo[11] abnepos; ex Sale[13] filio Arphaxad[12] 30 annos natò genitus est.

1758. Phalegus[15] Hebero[14] natus est; cui Phaleg, seu Peleg nomen inditum, *eò quòd in diebus ejus divisa fit terra* (*a*). Sub ejus enim exortum facta est terrarum divisio post Linguarum confusionem. Cùm enim populorum multitudinem Oriens non caperet, in latissimos, & fœcundissimos campos Senaar procedendo devenerunt. Ubi, auctore Nembrodo, urbem, & turrim, quæ fastigio cœlum attingeret, moliti sunt exeitare. Annorum 22. spacio opus processerat, cùm Deus ventorum vi, & turbine, ut canit Sibylla, turrē dīsjecta, & linguâ humanâ in duas, & septuaginta, quot tum aderant familiæ, divinitùs dispertita, illos per omnes terras dissipaverit. Ex Linguarum confusione Babel primùm, deinde Babylon est appellata. Urbem longò post tempore Nabuchodonosor amplificavit, & cinxit triplici muro, ut author est Berosus Babylonius, Græcos vanitatis arguens, qui à Semiramide constructam scriptis suis falsò prodiderunt.

a Gen. 10. 25. Euseb. l. 19.

Itaque

1758 Itaque hoc Anno nativitatis Phaleg, qui nomen ab eâ divisione sortitus est, terrarum divisio cœpta est, & brevi posteà familiarum principes juxta suam cujusque linguam, in quas sors dederat, regiones secessérunt, & variæ propagatæ sunt nationes.

Nembrodus [13], (cujus imperii fundamenta ab Anno Mundi 1717, æræ sc. Chaldæorum Anno primo exordimur) non diu post gentium dispersionem, bello finitimis illato, quod Justinus, aliique Historici Nino imperitè tribuunt, Assyriam, quæ Assur Semi filio obtigerat, invasit.

Heber [14], Phalegi pater à superbis mortalium ausis in campo Senaar abstinens linguam priùs omnibus communem sibi, & posteris Hebræis sartam tectam meruit propriam ascíscere.

Fenisius, [14], * Fenius Farsaidh (Giraldo Cambrensi, (*b*) Phenius, authori vitæ S. Cadroæ (*c*) Æneas) Japheti [11], ex Magog filio pronepos Scoto-hibernorum progenitor, à quo Fenii, Fenisii, Phoeni, & Fenisiadæ patronymicè vocantur; (*d*) literarum Scoticarum primus inventor.

Linguam Hibernicam, habitâ in campo Sennaar 72, in linguis peritorum schola (ope Gaideli filii Ethoris de Gomeri filii Japheti sobole, à quo lingua Gaidelica appellatur, & Hiari filii Nema) dicitur de novo creasse, seu ex linguis recèns distinctis excerpsisse. Idcò *Beupla Tebiòe*, i. idioma excerptum, ut quibusdam placet, vocatur, *quasi ex omnibus linguis collecta*, (*e*) *Beupla Tebiòe*, enimvero species solummodo est è variis sermonis Hibernici dialectis; quæ sunt dialectus legum, seu Jurisconsultorum, (*f*) dialectus poetica, (*g*) dialectus excerpta (*h*) (quia ex reliquis ejusdem linguæ excerpta dialectis), & dialectus vulgaris, (*i*).

b Girald. Camb. Top. Hib. distinct. 3. c. 7. Stanihurst. Append. c. 17.
c Colgan. 6. Mar. cap. 5.
11 Japhath f. 10 Nemi.
12 Magog.
13 Baath.
14 Fenius.
* Fenius Fárrsaidh.
d Hymnus S. Fiacci Slept. n. 20. ejus scholiastes num. 23. apud Colganum in Tr. Thaum. p. 2. 5. & 6. num. 13. Dr. Mcara in Cronico. Cod. Lecan. f. 25. b.
e Girald. Camb. Topogr. Hib. distinct. 3. c. 7. & Stanihurst. Append. c. 17.
f Beupla Fenn.
g beupla File.
h beuplæ Tebiòe.
i Znaiè-beupla.

1758 Ve-

1758 Veterum quidem Mythologiis monemur, hinc duntaxat colligere Fenium [14], unum ex principibus fuisse, qui in linguarum distractione familiis præerant; & linguam, quæ sibi, & posteris obvenerat ad literarum methodum ab eo redactam. In idem sanè tempus eum, & Heberum [14], Hebraicæ linguæ servatorem incidisse, siquidem utrique abavus Noemus, ratio genealogica suffragatur. Linguam autem in tanta linguarum confusione ex aliis componere confusionem potiùs multiplicaret, nec esset minus ad præstandum difficile, quàm supervacuum. Sed ideò dicitur composuisse, quòd literarum dono perennem fecerit, & grammatices legibus excoluerit. Sic enim Mythici, quæ vera sunt, commentis obnubunt; quemadmodùm de Prometheo dicitur homines ab eo factos; & de Orpheo, & Amphione fingitur eorum cantus dulcedine arbores delinitas suis se locis exeruisse, scopulos lyra captos ad condendos Thebarum muros confluxisse, feras posuisse feritatem, & alia id genus incredenda, quia sapientiâ suâ, & oris facundiâ homines, id ætatis, rudes, & belluino prope ritu degentes ad humaniorem vitæ cultum redegissent, ut exponit Horatius, (*k*).

k *De Arte Poetica.*

Sylvestres homines sacer interpresque deorum
Cædibus, & victu fœdos deterruit Orpheus.
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones:
Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere, quò vellet.———

1777 Ninus, positis à patre Belo imperii initiis, Assyriorum Monarcha cæpit. Patris simulachrum pro deo coli mandavit. Hinc idolorum deorumq; origo deducitur.

1777 Assy-

1777 Assyriorum quidem Monarchiæ initium Historici omnes tum Ethnici, tum Christiani ad Ninum referunt; à cujus initio ad exitium Sardanapali, & Arbacis initium Annos 1300, intervenisse Justinus è Trogo Pompeio statuit; eademque summa ex Velleio Paterculo infertur.

1949 Abraham [10] Patriarcha Heberi [14] trinepos nascitur.

1969 Partholanus, [19], cujus proavus Noemi ex Japheto [11], trinepos primam in Hiberniam adduxit coloniam à Diluvio annis 311 expiratis, & ætatis Abrahæ Anno 21.

Annum Mundi 1969, & ætatis Abrahæ 21. Signanter habet codex Cluanensis: à Diluvio verò annos 313, hoc est ab annis 1656, ante Diluvium absolutis. Sed annos à Diluvio 311, enumerat G. Coemanus (*l*); qui Anno 1658, quo Diluvium cessavit, adjiciendi annum eundem 1969 pertingunt, quo Abraham annum ætatis 21 attigit.

2024 Abraham Anno ætatis 75 Dei jussu, & amplissimis benedictionum promissionibus excîtus in Cananæorum regionem semini suo promissam pervenit, statimque Ægyptum famis causa petiit, ubi cum Pharaone congressus; & ex Ægypto paulo pòst in Cananæam rediit. Hinc ad migrationem nepotis ejus Jacobi in Ægyptum, regnante Josephi Pharaone, anni 215, totidemque inde ad Pharaonem Mari rubro submersum, Israelitarum transitum, & legem in monte Sinai Mosi divinitùs revelatam.

2029 Nemethus [22], seu Nemedus, (*m*) cujus proavus Tatius [19], & Partholanus [19] fratres secundam in Hiberniam coloniam advexit; quæ 216, annos duravit. G. Coemanus in poemate ἐπὶ ἀρὸ: Dungall. Annales è libro Migrationum.

Δαπεάλόη.
11 *Japhet.*
12 *Gomer.*
13 *Riphat.*
14 *Fathacl.*
15 *Bramint.*
16 *Asruth.*
17 *Sruth.*
18 *Sera.*
19 *Partholan.*
l *In Prom.*
ἐπὶ ἀρὸ.

m *In Ita Gir. Camb. & recte vocat.*
Neimedh.
18 *Sera.*
da An. 1969.
19 *Tatius.*
20 *Pamp.*
21 *Agnoman.*
22 *Nemetb.*

2109 Jacobus [23] nascitur (cujus pater Isaac [21] Abrahæ [20] centenario genitus posset esse aliàs ad minus avus) ex Rebecca [22] Bathuelis [21] filiâ, matre pronepos Nachoris [20] fratris Abrahæ.

2196 Levi [24] filius Jacobi [23] ex Lia [23] nascitur Anno 10, servitutis, quam Jacobus Labano [22] avunculo, & socero serviebat.

2200 Joseph [24] ex Rachele [23] Liæ [23] sorore nascitur, Jacobo patre annos 91 agente; ut colligitur Gen. c. 41. 46. c. 45. 6. c. 47. 9. Anno servitutis paternæ 14. Gen. 30. 25.

2218 Joseph à fratribus venditur in Ægyptum Gen. 37. 27.

2230 Kahath [25] filius Levi [24] nascitur Anno 34 ætatis Levi. Epiphan. in Ancor.

Primus annus fertilitatis à Joseph prædictæ Gen 41. 29. Joseph exaltatus à Pharaone Ibidem v. 41. duxit uxorem Aseneth filiam sacerdotis Heliopoleos Ibidem v. 45. annos 30. natus Ibidem v. 46.

Clañ Nemith.
22 *Nemeth ad an.* 2029.
23 *Fergus Latus rubrum.*
24 *Britannus Britonum sator.*
22 *Nemeth Idem*
23 *Hiarbanel vates.*
24 *Beothac.*
25 *Ibathes.*

2239 Jacob cum universâ familiâ descendit in Ægyptum. Gen. 46. 1. annos 130 habens, Gen. 47. 9. biennio sterilitatis exacto Gen 45. v. 6. & v. 11. Hinc ad exitum filiorum Israel 215 anni decurrerunt.

2245 Nemethiorum ex Hibernia fuga post excidium Torconang Anno ætatis Joseph [24] 45.

Britannus [24], Nemethi nepos in Magnam Britanniam: Ibathes [25] pronepos in Scandiam (*n*) transfretavit.

Circa hæc tempora ordo genealogicus docet Lamfinnum [24] à Fenisio [14] decimum ex Scoto-hibernorum Majoribus cum patre Agnomanio è Scythiâ prodiisse.

n Germaniæ pars Aquilonaris; quâ Dania, Suecia, Norvegia.

Lamfinnus igitur è Scythiâ profectus, demortuo in itinere genitore, sedem fixit apud Ꝺꝛ̀ꞇꞇꝛ̀ꝺ ubi in lucem editus est ei filius Heber [25], Ꝺꞇꝛ̀ꝼꝛ̀oꝛ̃ i. Genu-candidus; de cujus hoc nativitate ita Antiquarius (*p*) cecinit.

p G. Ceeman.

Ꝺaeꝺel Ꝺlaꝼ6 ttáio Ꝺꝺoiꝺil.

2245 Ꝺꝛ̀ꝺ

2245

Ꞅɼn̄ ꝺo noıꝓóꝺnc an ꝸın:
Oo láınꝓıoñ mıc Agnomaın:
Ebeꝛ ɢlnꝼꝼıoñ ɢlán a bꝛıꝺ:
Sɼnáꝺ ꝓoltꝺaıꝸ ꝼebꝛıꝺ.

14 *Fenifius. ad An.* 1758.
15 *Nulus.*
16 *Gaidelus.*
17 *Afruth.*
18. *Sruth.*
19 *Heber Scot.*
20 *Beogamon.*
21 *Ogamon.*
22 *Tatius.*
23 *Agnoman.*
24 *Lamfinnus.*
25 *Heber* Glunfionn.

Lamfinno Agnomanis nato illic natus Heberus Glunfinnus Febrici Glas memorandus avus. Hanc terram, quæ noſtris paſſim Gæthluighe ſcribitur, quidam Gothiam vertunt; ſed Gothia vocem non omnino refert, & Hiſtoriæ Ordinem invertit, ut & Gothlandia nullius antiquitatis Inſula in Mari Baltico: Nec hæc Inſula fuit, ſed pars Continentis. Galatia quidem non abludit; ſed ea Aſiatica his temporibus multò poſterior eſt. Galli ſunt, qui Galatæ dicti, & in varias terras ob exundantem domi ſobolem ſæpè colonos effuderunt. Livius tradit Tarquinii Priſci (*q*) tempore eos Alpes tranſjiſſe, & Mediolanum in Italia condidiſſe: alios, jubente ſorte in Hercynios ſaltus contendiſſe, & poſtea alios frequentibus migrationibus bonam partem Italiæ occupaſſe. Alii deinde per Illyricum emiſſi Macedoniam, & Græciam afflixerunt, donec inde ſe in Aſiam effuderunt, & Galatiæ inter Paphlagonas nomen dederunt. Longè vetuſtiores etiam ad exonerandam multitudinem è Gallia factas irruptiones veroſimile eſt. Hibernorum majores ſinus Illyricos attigiſſe, & inde in Hiſpaniam profectos, tradit Author vitæ S. Cadroæ (*r*).

q *Anno Mundi,* 3334. *Rex Romanorum.*

r *Apud Colgan.* 6. *Mar.*

Ego ſanè quos Noſtri Gæthluige ſermone patrio dixerunt, Getulos eſſe arbitror è primis Africæ indigenis, (*s*) quorum poſtmodùm rex Jarbas Byrſam Carthaginis fundum Didoni profugæ, & Phœnicibus ceſſit: literæ minimè abſonant, favet Gaditanum Herculis fretum, per quod unum in Oceanum navigatur è Ponto Euxino,

s *Saluſt. Bellum Jugurth.*

2245 Bosphoro Thracio, Hellesponto, Mari Ægæo, Cretico, Siculo, & Africo; de quibus vetustæ nostræ gentis historiæ in Majorum migrationibus è Scythia meminerunt, (*t*) invitat opportunus in Hispaniam trajectus, unde emensō Gaditano Mari à Carthaginensibus & longo post tempore à Saracenis fuit subacta.

(*t*) *Videsis vitam S. Cadroe apud Colganum 6. Mar.*

Lamsinnus itaque inter Getulos nactus dominium in posteros ad nonam generationem transmisit.

2304 Amram [26] filius Kahath [25] nascitur Anno Jacobi in Ægypto 65 Epiphan. ibidem.

2310 Joseph moritur annorum 110. Gen. 50. 25. annis 92. postquàm venumdatus in Ægyptum: annis 80. postquàm à Pharaone exaltatus.

Elapsis aliquot annis à morte Joseph, extinctisque universis fratribus ejus *filii Israel creverunt, ac roborati nimis impleverunt terram. Surrexit interea rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph.* Exod. 1. v. 7. 8. Alius sc. Pharao, qui afflixit eos, nimiùm invidens multiplicantibus.

2374 Moses [27], nascitur Anno 70. patris Amram, Euseb. Nicephor. tempore duræ afflictionis, qua Pharao premebat Israelitas; 64. annis à morte Joseph: tribus annis Aarone fratre minor. Exod. 7. 7. à filia Pharaonis educatus. Exod. 2. 8.

2414 Moses quadragenarius Act. Apost. 7. 23 occîdit Ægyptium; propter quod Pharao voluit eum occidere; unde fugit in terram Madian in Arabia Petræa, duxitque uxorem filiam Sacerdotis Madian. Exod. 2. 12. *Post multum verò temporis mortuus est Rex Ægypti. Ibid. v.* 23.

2437 Deucalionis (regis Thessaliæ) Diluvium in Græcia 737. annis ante primam Olympiada Iphiti. (*w*)

(*w*) *Clem. Alexandr. Strom. 1. ex veteris Auctoris Chronographia.*

2453 Mo-

2453 Moſes dum paſceret oves ſoceri, ad montem Dei Horeb in Arabia, apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, miſertus laborum populi ſui in Ægypto; præcepitque ut educeret eos de manu Pharaonis, addens, *mortui ſunt enim omnes, qui quærebant animam tuam.* Exod. 4. 19.

Itaque egreſſi ſunt Iſraelitæ ex Ægypto, duce Moſe tum octogenario. Exod. 7. 7. ſiccis pedibus per Mare rubrum, & Pharao inſecutus fluctibus periit. Nahaſſon [29] Jacobi [23] ex Juda trinepos tum ſuæ familiæ princeps fuit. Num. c. 1. v. 7. c. 2. v. 3. cap. 7. v. 12.

Anno abhinc 480. jacta ſunt fundamenta Templi Salomonis. 3. Reg. 6. 1.

Quamprimùm ſacra Hiſtoria noſtris Hibernicarum literarum tantùm eatenus peritis cum fide Chriſtianâ innotuit, aliqui Sacrarum Antiquitatum avidi, ideoq; patriis minimè contenti, niſi ſacris, & Ægyptiis miſcerentur facili negotio poſterorum non temporum, nec generationum rationes expendentium animos in ſuam ſententiam traxerunt, ut communi traditione in vulgus abiret Niulum [15] Feniſiii, [14], diditis linguis, familiæ ſuæ principis filium poſt idem linguarum tempus in lucem editum, atque adeò Heberi [14] filio Phaleg [15] æqualem, uxorum duxiſſe Pharaonis Mari rubro perditi filiam, & ex ea ſuſcepiſſe Gathelum, ſeu rectiùs Gaidelum, (*u*) à quo Majores noſtri ſtirps Gaidelica, & Gaidelii ſicut & nati, ſic & Scoticè nominati: eundemque Niulum, Gaidelum [16] filium, Aſrum [17] nepotem, Sruum [18] pronepotem, & Heberum [19] Scotum abnepotem, Moſe [27] Jacobi per Levi abnepote, & Nahaſſon [29] per Judam trinepote Ægypto exeuntibus, omnes ætate vegetos, & Pharaonem illum Niuli quaſi ſocerum cum his omnibus vitalem auram hauſiſſe, non ſecùs, quàm ſi ſtatutum eſſet; *Mors ultra non dominabitur.*

(*u*) *Gir. Cambr. ſupr. cit.*

14 *Feniſius. ad An.* 2245.
15 *Niulus.*
16 *Gaidelus.*
17 *Aſrutb.*
18 *Sruth.*
19 *Heber Scoti*
20 *Beogamon.*
21 *Ogamon.*
22 *Tatius.*
23 *Agnoman.*
24 *Lamfinnus.*
25 *Heber.*

Non

2453 Non desunt, qui vitæ longitudinem primis patribus concessam obtendunt, qua persuadeant credibile posse, ut Niulus, sexaginta annis post Babylonicam confusionem natus, vitam ad Mosis per Mare transitum pertraheret. Transeat quidem vitæ quantocumque diuturnæ suppositum. Sicut autem à Phaleg,[15], cui Niulus[15] generationum ordine suppar, Moses duodecim, & Nahasson[29] quatuordecim generationibus distat, vitæ longitudo in Niulo non impediret, quin quartadecima ab eo generatio Mosis ætati responderet. Nam à nato Phaleg ad Mosen octogenarium 695, annorum spacium intercedit; è quibus demus Niulum 60. annis, ut volunt, imò toto centum annorum seculo, & septennio natu minorem; attamen quod excurrit 588, annorum curriculum singulis è quatuordecim generationibus post natum Niulum 42, ætatis annos ad procreandum sobolem supplebit: quatuor verò generationum, quas tantum assignant, quælibet annos ad generandum 147. exigit.

Sed Niulum fingamus, juxta idiotarum scita, qui primævorum longævitatem ad omnes difficultatum nodos solvendos prætexunt, quingentorum fuisse annorum à Pharaone ad filiæ nuptias accersitum, & 88. annis sobolem ad quartam generationem propagasse. Abraham quidem Mosaicis hisce temporibus quadringentis annis superior innuit, jam tum rarescere cœpisse grandævorum generantium exempla, dum hæsitaret sibi centenario nasciturum esse filium dicens; *putasne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* (x) Sed consultius fortasse Niulo quingenario ad suscitandum Gaidelicum semen prospexit Deus. Ulteriùs igitur urgeo; Si Niuli semen 588, annorum spacio quartam tantùm generationem attigit, quomodo quingentorum sterilium annorum jacturam tam

x Gen. 17. 17.

2453 bene

2453 bene in posteris resarcivit, ut ab Hebero [19] Scoto quarta generatione Mosis Mare rubrum transvadantis tempore, ut aiunt, superstite ad Milesii [36] filios, Salomone rege, Hiberniam aggressos octodecim generationes prætereant annis 480 ? Cum Sadoc [37] Salomonis templi sacrificus decimus ab Aarone [27], Mosis fratre, & Salomon [35] ipse tantùm sextus à Nahasson [29] eodem temporis intervallo existat.

Quod autem hujus quæstionis omnem scrupulum penitùs discutit; è Sacris literis liquet, nullum Pharaonem in Ægypto dominatum à linguarum dispersione, aut à seculo proximo ad maris rubri cladem vitam protelâsse. Primus enim occurrit Pharao, ad quem Abraham 75. annis major accessit: Secundus Josephi fautor, coram quo Jacob 215, exinde annis sistitur, novennio post exaltatum ab eo Joseph : à quo alius videtur fuisse, qui regnavit moriente Joseph anno exaltationis octogesimo; sed alium fuisse manifestum est Scripturæ rotundis verbis, qui aliquot annis à morte Josephi surrexit Rex novus iniquo in Israelitas animo; quo sæviente, natus est Moses 64. annis à morte Joseph: ab hoc diversus, ut credibile, Pharao, qui Mosen quadragenarium cogitavit è medio tollere: à quo disertis Scripturæ verbis distinguitur Pharao Maris rubri fluctibus obrutus, ad quem legatus à Deo octogenarius Moses; post multum sc. temporis, ex quo mortuus est Rex Ægypti, & omnes, qui quærebant animam quadragenarii.

Ex hac igitur inveteratâ traditione Antiquarii fluctuare fecerunt tempus commorationis Scoticæ gentis in Getulorum regione. Dum enim ex Pharaonidis nuptiis falsò supponerent Heberum [19] Scotum cum patre Sruo ob benevolentiam erga Mosen post Israelitarum Exodum ex Ægypto pulsum solvisse, necessariò infe-

2453 rebant,

2453 rebant, Lamfinnum [24] ab eo quintum, non niſi ſeculi circiter interjecto tempore ſedem inter Getulos fixiſſe. Quam ob cauſam poſterorum ibidem per novem generationes incolatui alii trecentos, alii ſeſquicentum, alii tantùm 30, annos tribuunt; ſed 150. Anni vix ſufficiunt od octo generationes proferendas; ac 30. ne vix quidem: unde 30, apud G. Coemanum 300, legendum ex Auctoris mente perſpicuum eſt. Sed cùm juxta Veterum placita ab Exodo ad Scotorum in Hiberniam irruptionem tot circiter fluerent, quot ab Exodo ad Templi fundamenta jacta (quippe anni 480.) & juxta alios minùs probatos ab Exodo ad eundem Scotorum huc incurſum anni tantùm 283, nimium videbatur ter centum annorum in Getulia commoratio.

Verùm exactiſſima Noſtratium gencalogica ratio, ſimulac temporum cum aliis collatio hos errores conciliat, & Niuli cum Pharaone ſubmerſo affinitatem, cum Moſe familiaritatem reſellit, quatenus ſtatuunt Feniſium [14] quartum à Noemo linguarum tempore, & conſequenter Heberi æqualem claruiſſe, Mileſii [36] à Feniſio vigeſimi ſecundi filiorum in Hiberniam appulſum, Salomone [35] rege, qui erat ab Hebero [14], ſupra viginti primus; & Sirnam [50] Longævum quartum-decimum à Mileſio Sedechiæ [51], coævum à Salomone decimo ſexto. Proinde ſtatuendum, Niulum [15] Feniſiii, & Phaleg Heberi filium contemporaneos extitiſſe, & Lamfinnum [24], à Niulo nonum, Joſephi in Ægypto coævum è Scythia multò priùs inter Getulos inſediſſe, quàm Ægyptum egreſſos Iſraelitas.

Ducentis annis à Maris rubri hinc indulgentis, illinc indignantis prodigio, Amazonum initia, & Belgarum in Hiberniam adventum refert Poema Hibernicum Cronologicum, quod incipit;

y dñalaiġ a nall ŋle.

Sæclorum Annales deducti ab origine primâ. (y)

2657 Belgæ

2657 Belgæ ex Australi Magnæ Britanniæ parte Hiberniam 412. annis post Nemethiorum excessum desolatam cum tertiâ coloniâ intrarunt. Primi reges Insulæ imposuerunt. Octoginta (y) annos eorum imperium duravit per novem reges. Firbolg.

y Nalairg anall rle.

2688 Expeditio Argonautarum in Colchidem Armeniæ majoris regionem ad Pontum Euxinum sitam ad referendum vellus aureum; quod Phryxus cum Helle sorore novercales Inûs, Cadmi filiæ, insidias fugiens ad Colchorum regem Aeton perduxit è Thessalia Pelasgorum sede, qui erant Deucalione orti. Navis in qua Phryxus vectus Arietem pro insigni habuit, cujus vellus Phryxi gaza, quam apud Aeton deposuit. A Phryxo Phrygia, ab Helle, quæ è navi decidit, Hellespontus fertur appellari.

Deucalionis filio Helleno, filii erant Æolus Æolidûm Sator; Dorus, ex quo gens Dorica; & Xuthus, qui ex Creusa, Erichthei Athenarum regis filia, genuit Achæum, à quo Achaia & Achivi, ac Jonem Jônum patrem. Æoli è filiis erant Cretheus Jolchi conditor in Thessalia, Sisyphus Corinthius, Athamas, & Salmoneus. Athamantis filius Phryxus, de quo suprà: Sisyphi filius Glaucus, pater Bellerophontis, qui navigium comparavit, cujus insigne Equus alatus, Pegasus dictus, quo longè latèque maritimis locis prædatus fuit. Interfecit Chimeram, & Amazones debellavit. Bellerophon is nepotem habuit ex Hippolicho filio Glaucum bello Trojano perditum: Salmonei filia Tirrho dicta Peliam & Neleum Neptuno peperit: Neleus per filios Periclimenum & Nestorem Nelîdarum Sator. Nestor bello Trojano valdè senex erat, sed non adeò senex, ut tria sæcula tum vixisse dicatur, cujus undecim fratres omnes natu majores Herculis manu occubuerunt: Et a diluvio Deucalionis, cui Nestor trinepos, tria tantùm sæcula tran-

2688 fierunt ad Trojam everſam. Tirrho deinde Cretheo patruonupta Æſonem Jaſonis patrem edidit. Pelias poſt Crethei vitrici obitum, expulſo fratre ſuo Æſone, regnum invaſit (Theſſaliam poſtea dictam) & Jaſona fratris filium, nequid moliretur, ad auferendum Aeotum ſeni vellus aureum in Cholchidem amandavit, pollicitus cùm redierit (ſed reducem propter ſubeundas difficultates minimè veritus eſt) ſe ſeniorem juveni regni onus conceſſurum. Quare Jaſon, accepta hac lege, non obſtantibus innumeris, ac propè inſuperabilibus periculis, quæ è Theſſalia iſtuc navigandi adhuc imperitis erant ſuſcipienda, èo contendit, ac duorum menſium ſpacio Medeæ Aeti filiæ conſilio, & ope, cum vellere aureo incolumis rediit. Theſſalus Jaſonis, & Medeæ filius Theſſaliæ nomen fecit.

Argo (ob velocitatem, aut ab Argo fabricatore dicta) prima Longa navis memoratur: Cùm tamen alii primam longam navem factam à Danao fuiſſe dicant, cum illum Ægyptus frater inſequeretur. Ab hac Argonautæ appellati, qui & Minyæ etiam dicti à Mynia Theſſaliæ oppido; de quo Ovid. lib. 6. Metamorph. ad finem,

Vellera cum Myniæ nitido radiantia villo
Per mare non notum primâ petiere carinâ.

Expeditionis famâ Græciam pervagata, præſtantiſſimi quique, quibus eâ tempeſtate ſatis inſtructa, heroes gloriæ avidi ultrò ſe periculi ſocios Jaſoni obſtrinxerunt. Quorum nomina numero quinquaginta quatuor diligenter recenſent Sophocles, & Æſchylus. Inter quos eminebant Hercules Amphitryonis, & Alcmenæ filius Argivorum, & Mycenæorum per utrumque parentem regibus ſatus, ſatorque Heraclidûm Spartæ, ac Macedoniæ regum: Caſtor, & Pollux Tyndari Lacedæmonum,

2688 ac

2688 ac Spartæ regis filii, fratres Clytemneſtræ, & Helenæ; quarum hæc Agamemnonis Mycenarum regis, & ſummi Trojani belli ducis; illa Menelai uxor, & belli fax: Peleus, Telamon, & Oileus; quorum filii Achilles, & uterque Ajax bello Trojano periere: Lynceus Apharei filius mortalium perſpicaciſſimus, Alcmenæ conſobrinus: Orpheus Threicius muſæ Lyricæ princeps: Tres erant vates Mopſus, Idmon, & Amphiaraus bello Thebano poſteà perditus: Argus navis artifex, & Tiphys rector; de quo Virgil. Eclog. 4.

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas.——

Navigationis curſum tenuerunt primùm in Lemnum, mox in Marſiam, & Cium; deinde in Iberiam, hinc in Bebriciam: atque cùm ad Syrtem Lybiæ applicuiſſent & ob Syrtium naturam navigare non poſſent, dicuntur navim ſupra humeros duodecim dies per Lybiæ deſerta comportaſſe, donec mare invenientes illam dejecerunt: Tum navigium ad Theram fluctuavit. Deinde ad Phineum vatem pervenerunt, qui erat cæcus; eiſque explicat rationem, curſum, & difficultates navigationis. Quòd primùm petræ Cyaneæ eſſent adeundæ, quas Symplegadas, (*a*) ſeu concurrentia ſaxa vocant. Hinc abeundum eſſe procul à Bithynia monet, quæ non multùm diſtat à Boſphoro, quoniam Thraces illi qui Salmydeſſum incolebant, in omnes præternavigantes eſſent atroces, & crudeles. Tum ad Thyniadem inſulam eos venire oportere docet: Hinc eſſe ad Maryandinos accedendum, & ad Achetuſiam, monteſque Paphlagonum. Præternavigandam urbem eſſe monet Enetorum, & Caramhim, & Halym, & Irim: Themiſcyram, quam Amazones poſſidebant, agrum Dæan-

(*a*) *Duæ inſulæ in Ponti Euxini oſtio.*

2688 tem, Cappadociam, Chalybes, Tibarenos, Moſtynes, Aretiaden, Stymphalidum inſulam, Macrones, Philyres, Bechiros, Saphires, Byzeres, ac Phaſim fluvium, qui per terram Circeam defluëret. Inde prætereundam eſſe demonſtrat urbem Cyraidem, antequàm ad aureum vellus accederetur. Quæ loca omnia ex Jolcho in Colchidem navigantibus neceſſariò erant prætereunda. Hæc autem navigatio, adeò Poetarum præconiis decantata, præ noſtri temporis navigationibus breviſſima fuit. Hac vice Phaſianæ aves à Phaſi illo Cholcorum fluvio, qui in mare Euxinum defluit, primùm in Græciam ſunt delatæ.

Argoâ primùm ſum deportata carinâ,
Ante mihi notum nil, niſi Phaſis, erat. (*b*)

b *Martial. lib. 13. Epigram. 72.*

Colchi erant ex Ægypto colonia, qui non procul ab Abaſgis, ſeu Maſſagetis in Aſia inter Scythas inſederant juxta Phaſim, nunc Colchi, ſeu Lazi, nunc Scythæ, nunc Aſiani, nunc Leucoſyri vocati. Eſt & alia Scythia Europæ, quæ Mæotidi, & Tanai finitima, unde Amazones prodierunt: Interque Scythiæ populos Alani numerantur, ubi ingreſſus in Hyrcaniam, & in Caſpiorum regionem. Colchi ad inſectandum Argonautas miſſi, re inſectâ, veriti domum redire in ſinu Illyrico ſedem fixerunt.

Argonautæ quà in patriam regreſſi, diverſæ ſunt ſententiæ, quæ videntur nonnihil deliræ, parúmque peritæ navigationum. Nos communiorem, & probabiliorem ſequemur. Iſter, fluviorum Europæ maximus, nunc Danubius dictus, biſariam in mare fertur, hinc in Euxinum, illinc in Adriaticum. Argonautæ igitur, peractis omnibus, ſuperatiſque periculis in Colchorum regione, Iſtrum, quà in Euxinum mare delabitur, ingreſſi

2688 ſunt,

2688 sunt, & per illum navigantes ad Illyricum sinum devenerunt, & inde in Adriam navigarunt; hinc in mare Sardoum vocatum. Sirenibus deinde transmissis, ad Drepanum incolumes evaserant, quæ posteà Corcyra vocata fuit. Inde abnavigantes Mopsum, Canthumque mortuos desiderarunt: Sed per stagnum Tritonidem in Cretam navigarunt, unde in Æginam, ac tandem inde in Thessaliam appulerunt.

Hercules verò Argonautas in Colchidem tendentes, ubi in Mysiam Phrygiæ regionem perventum est, deseruit ob casum Hylæ alumni, qui ad Ascanium fluvium aquatum missus nunquam posteà comparuit; quare Hercules ad eum exquirendum discessit. Sed pluribus post elapsis annis perpetuam sibi gloriam ob præclara facinora comparavit: Iberiam, nunc Hispaniam, exin Celtarum regionem Galliam, & hinc per Alpes Italiam victoriis peragravit, pervenitque ad Tiberim, ubi posteà condita fuit Roma. In Latio Latinum Æneæ soccrum tum ex Lavinia genuit, Fauni filium creditum quòd ab Hercule impregnatam Faunus duxerit. Columnas posuit, laborum suorum terminos, ac Continentis metas in finibus Lybiæ & Europæ, Calpen prope Tartesam urbem apud Gades in Hispania, & Abilam è regione in Mauritania. Ad Amazonas mari trajiciens Themiscyram applicuit, easque, cæsis insignioribus, penitùs delevit; quarum reginam Hippolytam Theseo expeditionis socio concessit. Pretiosus Baltheus Hyppolytæ ademptus inter 12. Labores Herculis sexto loco refertur.

Threiciam sextò spoliavit Amazona baltheo.

Mox ut domum rediit adversus Laomedonta Trojæ regem bellum suscepit, quo ex Argonautis quidam cum eo se socios junxerunt. Trojam cepit, regem obtrun-

2688 cavit,

2688 cavit, Heſionemque regis filiam Telamoni, qui prior murum conſcenderat, largitur; ex qua ille Ajacem genuit, qui poſtremo Trojano bello claruit. Poſt hæc Amazones collectis multis viribus per Thraciam ad Cimmerium Boſphorum penetrarunt, multamque Europæ partem pervagatæ caſtra poſuerunt denique in loco, Amazonio ab illis vocato, qui fuit agri Athenienſis. Theſeus collectis ſatis validis urbanis viribus habens ſecum uxorem ſuam Hippolytam, aliis Antiopam dictam, quam priùs inter Amazonum ſpolia ab Hercule accepit, prœlium, collatis ſignis, commiſit, & poſt diuturnum conflictum, ſuſis Amazonibus, palmam retulit menſe Bondromione.

Theſeus, cùm adhuc puer eſſet, quo tempore Hercules Trœzenem ad Pittheum Theſei avum maternum venit, leonis pellem, quam geſtabat Hercules, conſpicatus fertur ſecurim è manu cujuſdam extorſiſſe illam belluam cæſurus, quia leonem eſſe putaſſet, cum reliqui Trœſeniorum pueri, viſa illa pelle, aufugiſſent. Hic poſtea cùm adoleviſſet, æmulatione laudum Herculis, quem incredibili amore proſecutus eſt, magna geſſit, & ardua. Ambo in Amazonas, & Trojanos armati ſunt in Scythiam, Phrygiamque unà profecti, iiſdem armis inſtructi, & eodem telorum genere: Herculis demortui ſobolem ab Euryſthei perſequentis armis ſingulari fide Athenis ſervavit. Patriam à Minois Cretenſium regis ſervitute liberavit, cum Minotaurum Ariadnæ Minois filiæ beneficio in Labyrintho occiderit. Sed Ariadnæ ingratus Phædram Minois ex Deucalione filio neptem ſuperinduxit. Hippolitus ex Hippolitâ genitus fœdis Phædræ calumniis periit, quem inhoneſtè noverca deperiit. Theſeus poſtea Helenam virginem decennem Tyndari Lacedæmonum regis filiam quinquagenarius (c) rapuit. Quocirca Tyndaridæ fratres Caſtor, &

c Strab. lib. 9.

2688 Pollux

2688. Pollux illum bello petierunt, & Mneſthei factione, qui ſuccedens bello Trojano poſtea militavit, Athenarum throno ejectum Scyrus inſula excepit, in qua mærore elanguit.

Priamus Podarces Laomedontis Filius Phrygiæ ſupra quadraginta jam Annos à cæde patris rex, ſtabilito undique regno, per Antenorem cum Græcis expoſtulat de bello ab Hercule illato, & Heſionis ſororis raptu, ſed fruſtrà. Quamobrem Paris Alexander Priami filius mittitur, qui vel fraude Græcis noceat. Menelaus Helenæ maritus poſt Caſtorem & Pollucem mortuos Spartæ, ac Lacedæmone tum imperabat; ad quem divertens cum claſſe Paris hoſpitis ſui uxorem pellexit, & clanculùm ſurripuit, neglecto jure hoſpitii. Unde ſecutum ultimum Trojæ exitium. Ut in his autem omnibus temporum ſeries percipiatur, ſequentia occurrunt obſervanda.

Argonauticæ expeditionis tempus ducentis, quinquaginta uno anno poſt Deucalionis eluviem; uno minus octoginta ante Trojæ caſum; bis totidem ante reditum Heraclidarum in Peloponneſum; 486. Annis ante Iphiteas Olympiadas; atque ideo Anno Mundi ſecundum Scaligeri ſententiam 2688. indubitabile reddit veteris Chronographii authoritas apud Clementem Alexandrinum (*d*) ſequentibus intervallis diſtincta.

d. *Stromat.* 1.

Deucalionis à diluvio ad incendium Idæ in Creta, quo Idæi Dactyli, metallis ferri vi ignis liquefactis, ferrariam didicerunt, ſunt anni. —— 73.
Hinc ad raptum Ganymedis anni —— 65.
Hinc ad Perſei expeditionem, & Iſthmia Glauci filii Siſyphi in Corinthi Iſthmo, qui Ægeum mare ab Ionio in Achaia ſeparat, anni —— 15.
Hinc ad Ilium (vulgò Trojam) in Phrygia conditum anni. —— 34.
Hinc ad Argonautarum expeditionem in Colchos

2688. Anni ——— 64.
Hinc ad Minotaurum in Cretâ à Theseo occisum, anni ——— 32.
Hinc ad bellum Thebanum inter Eteoclem & Polynicem fratres, Cadmi adnepotes, toti Græciæ calamitosum, anni ——— 10.
Hinc ad primum Agonem Olympicum Herculis, anni 3
Hinc ad Helenam à Theseo raptam, anni ——— 09.
Hinc ad Herculis Apotheôsin deorum in numerum post mortem relati, anni ——— 11.
Hinc ad Helenam à Paride raptam, anni ——— 04.
Hinc ad Trojam à Græcis captam, anni ——— 10.
Hinc ad Lavinium ab Æneâ in Latio conditum, an: — 10
Hinc ad Ascanii regnum, anni ——— 08
Hinc ad Heraclidarum reditum in Peloponnesum, anni ——— 61.
Hinc ad primam Olympiada Iphiteam, anni — 328.

Theseus igitur viginti quinque annis ante Trojam captam quinquagenarius quadriennio post repetitum ab Argonautis vellus Phryxeum natus est. Idem confirmat historia de Theseo puero, cùm Hercules vir esset: Hercules anno Mundi circiter 2713. Hispaniam, Galliam, & Italiam quà mari, quà terra emensus est, nam 54 annis ante Trojæ casum, ut ex Dionysio colligitur, in Italia fuit. Anno sequenti Amazonas devicit, & Theseus Antiopam duxit 22. annos natus: nam brevi post uterque in Phrygiam contendit, & Priamus à patris nece 52 annos regnavit, cæpit igitur Anno M. 2715. Theseus infra quinquennium pòst Amazonas fudit; sc. antequàm Cretam adivit Antiopam uxorem habens. Anno M. 2720. patri Athenis successit. Cùm enim Ægeus Thesei in Minotauri escam missi navem nigro velo revertentem vidisset, ratus filium periisse in mare Ægeum se præcipitem dedit (*e*). Helena 25. an-

e Plutarch.

2688. norum

2688. norum erat, cum à Paride raperetur. Quod autem Castor, & Pollux Argonautæ illius fratres fuerint, unicum est, quod in toto non consonum videtur.

Argonauticis rebus idcirco hactenus adeo minutim insistitur, quia in ea expeditione (Jernæ nomine) mentio fit Hiberniæ quasi incolis tunc temporis non destitutæ. Ad quod alludit Hadrianus Junius eam ita de se loquentem introducens;

Illa ego sum Graiis olim glacialis Ierne
Dicta; & Jasoniæ puppis bene cognita nautis.

Idem liquet historiis patriis perquam conforme; quarum chronicis rationibus à Belgis tum in Hibernia regnatum esse probatur. Amazonum quoque variæ supra productæ mentiones veteris Hibernici poematis chronologici fidem confirmant; in quo Belgarum in Hibernia & Amazonum se exerentium coeuntia eâdem ætate initia quam congruè demonstrantur. (*f*)

f *Supra ad finem anni* 2453. Tuatha Dee Danonn.

2737. Danannæ Nemethiorum desertam Hiberniam olim linquentium soboles ex Aquilonari Britannia illam ab Aquilone catervatim repetentes, devictâ Moy-turensi prælio Belgarum gente, quartam in Hibernia coloniam plantarunt, duce Nuado [33] Argentimano, cujus pater Achaius [32] septimus ab Ibathe [25] Nemethi pronepote.

25. *Ibathes. ad an.* 2245.
26. *Ennius.*
27. *Taburn.*
28. *Tatius.*
29. *Allanus.*
30. *Ordon.*
31 *Atarlam.*
32. *Ecthac, seu Achaius.*
33. *Nuadus Argentimanus.*

Centum, nonaginta, septem annis communi domesticorum suffragio per novem regnantium seriem à Danannis in Hibernia regnatur.

2767. Troja à Græcis post decennale obsidium Antenoris, & Æneæ proditionibus capta, & eversa (die 23. Thargelionis Attici in anteriora por-

g *Scaliger lib. 3 Canon. Isagog. vb. Emm'us chronolog. lib. 2 p. 45.*

2767. recti (g) juxta veterum, & recentium calculos: anno Periodi Julianæ 3531. Junii nostri die 22. pridie plenilunii, quod contigit 23. Junii horâ circiter tertiâ à meridie, Epocha certissima, ac Gentilium celeberrima: à qua ad Olympiada primam Iphiteam Anni 407. absoluti, ad caput æræ Christianæ 1182. effluxerunt.

In eandem ætatem citatum poema Chronologicum Scotos Getuliam egressos, Prælium Moy-turense & Trojæ excidium incidisse commemorat. Quod cum Trojani excidii rationibus triginta sc. post prælium Moy-turense annis, & cum Nuadi [33] Argentimani, & Brathai [33] Scotorum è Getulia ducis genealogicâ serie quàm accuratè congruit.

24 *Lamfinnus ad an. 2245.*
25 *Heber.*
26 *Agnoman.*
27 *Febrick Glas.*
28 *Nennual.*
29 *Nuadus.*
30 *Alladius.*
31 *Arcadius.*
32 *Deagus.*
33 *Bratha.*

Sub hoc igitur temporis Scoti auspiciis Brathai, [33] qui à Lamfinno [24] nonus est, gens Scythica è Getulorum finibus in Hispaniam commigrarunt.

Scythas in Hispaniâ fuisse non solùm Scythicum apud Cantabros in Biscaiâ promontorium Hiberniæ proximum innuit, sed etiam Silius Italicus, & ipse ortu Hispanus Concanos Cantabriæ incolas Massagetis, i. Scythis oriundos libro 3. his versibus testatur.

Et qui Massagetam monstras feritate parentem
Cornipedis fusâ satiaris Concane venâ.

Paulo inferius Susanam Hispaniæ urbem à Sarmatis, quos Scythas omnes agnoscunt, conditam docet hoc versu—— Sarmaticos attollens Susana Muros. Huc spectat Iberum (nunc Ebro) amnem, unde quibusdam placet Hiberniam dictam, in Cantabria ortum habere, qui per 400 milliaria fluit, per 260 milliaria navium capax, & Hispaniam pene mediam secat in citeriorem ad Pyrenæos montes Galliæ conterminos, & ulteriorem ad fretum Herculeum; quæ ulterior dicta, quasi à Romani imperii terris remotior.

2889 David [34] Rex Hebræorum Nahaſſon [29] tribus ——
Judæ ex Ægypto Principis adnepos regnare 1656
cœpit. Cujus anno duodecimo, & à Diluvio Anno 1245. 1245
(ut utramque æram non male copulat codex Cluanenſis ex Goghagani verſione) Golam [36] Miles Hiſpa- 2901
nicus Mileſiorum regum Hiberniæ Sator floruit, Brathai [33], qui è Getulia in Hiſpaniam trajecit, pronepos. Golam. i. Miles Ægypti.

2933 Salomon [35] Davidis [34] regis filius Hebræorum Rex Templi ædificium occepit hoc 4 regni anno; ab Iſraelitarum Exodo 480. elapſis annis. Quod ad faſtigium evectum Sadoc [37] Summus Sacerdos ab Aarone Moſis fratre decimus conſecravit.

33 *Brathaus ad an. 2767.*
34 *Breogan.*
35 *Bile.*
36 *Mileſius.*

Salomone Solymis regnante, optimi quique ſcriptores patrii concordi calamo referunt Scotorum ex Hiſpania in Hiberniam appulſum. Idem Mileſiorum, [37] & Sadoc [37] ſacerdotis genealogicus docet conſenſus. Inſuper dominus Calvacus o Morra (*h*) ex veterum ſine dubio authoritate annum ipſum Mundi 2934. huic expeditioni ſignanter affixit. Accedit præterea alius memorabilis Character; ſeu plurium potius characterum irrefragabilis concurſus, quo tempus hoc ea certitudine innititur, ac ſi ipſa veritas oculis foret conſpicua: ſicut enim ſupra ad an. 2767. Græci ſcriptores Trojæ exciſæ diem 23 menſis Attici per prolepſin conſignarunt: ſic noſtri veteres in anteriora calculando Scotici appulſus tempus à Majoribus eo ipſo tempore, ut credibile eſt, conſignatum, ita anni Romani rationibus, & hebdomadum ſyſtemati aptarunt, ut memoriæ proditum reliquerint Scotos ad Hiberniæ littora applicuiſſe Kalendis Maii, die Jovis, & ætatis Lunæ ſeptimo, nulla habita ratione Salomonis regni, aut æræ mundanæ; ut in Hibernico poemate de diverſis Hiberniæ expugnationibus (*i*) ita cecinit Achaius O Floim author perquam vetuſtus.

h *Goghagan; in verſione Anglica codicis Cluan.*

i *Quod incipit* Cirrgo. deſgna aibio.

2933

Seachtmad Deurg Dia Dardaine:
No fris fechtmad fene:
Gabrad Itallaintiri:
I Calon Mai a mirbne.

Septima Luna, Jovi Sacra Lux, Maiæque Kalendæ
Appulsus annum Symbola certa notant.

Anno quidem periodi Julianæ 3698. qui est juxta Scaligerum Salomonis regnantis quintus, & mundi 2934. Cyclo Solis 2. Lunæ 12. litera feriali E. Kalendæ Maiæ concurrebant cum Septimo Lunæ die, & quintâ hebdomadis feriâ. Nec toto Salomonis regno, imò nec toto Sæculo ab David patris ortu ad Salomonis obitum ea connexio diei mensis, hebdomadis, ac Lunaris ætatis accidere potuit, nisi solo hoc ipso anno; uti cuivis calculos retro supputandi perito etiam hodie quasi digito monstrare integrum est.

2934 Igitur à Diluvii universalis recessu annis---1277.
A nativitate Phaleg, Terrarum divisione & Linguarum confusione---1176.
Ad' adventu Partholani.---c965.
A Nemethiorum migratione---905.
A Torconaing excidio, & Nemethiorum exterminio---689.
A Belgarum è Britannia appulsu---277.
A Danannarum Nemethiorum reditu, & prælio Moyturensi---197.
Item à natali Abraam---985.
Ab ejus è Charris Mesopotamiæ primo egressu in Cananæam, & rerum Hebraicarum initiis.---910.
Ab Exodo Israelitarum ex Ægypto---481.
Ab eorum ingressu, defuncto Mose, in Cananæam 441.

2934 Ab anno Jubilæi primi Sabbatico; quo ab armis conquierunt, & terram per tribus distribuêre——435.

Periodi hebdomadum annalium ex heptaeteride confectæ anno primo, & periodi Jubilæorum heptaeteridum Septem anno 43.

Ab initio David regis annis——045
Regni Salomonis anno——005
A Templi jactis fundamentis anno——001.
Item in literis profanis exteris anno Epochæ Chaldæorum antiquissimæ——1217.
A Nini Idololatriæ auctoris initio——1157.
Ab Inachi Argivorum regis initio in Græcia——0841.
Ab Ogygis in Bœotia regnantis initio——0780.
Ab Ogygis diluvio, quo periit——0745.
A Diluvio Deucalionis——0497.
A Jani in Latio primordiis——308.
Ab Argonautarum Expeditione in Colchos——246.
A Theseo Athenarum rege nato——242.
Ab Hercule in Hispania, Gallia, & Italia——221.
Ab Herculis & Thesei victoriâ de Amazonibus——220.
Ab Herculis expeditione in Phrygiam, & Priami initium——219.
A Trojæ incendio——167.
Ab Ænea Latinum socerum defunctum excipiente 158
Item ante Carthaginem inter Getulos in Africæ ora à Didone, & Phœnicibus fundatam——133.
Ante Romæ cunabula ex Varronianis Palilib——263.
Ante caput æræ Christianæ vulgaris——1015.
Ante S. Patricii Apostolatum——1447.

Scoti, qui & Gaidelii, Scythica gens è Cantabria citerioris Hispaniæ provinciâ Biscaiam Hiberniæ proximam, & Lepiscam Navarræ, & Pyrenæis montibus contiguam complexâ Hiberniam parte Australi, qua Gens Cingi Scoti Gaidil.

2934 Kierrigia

2933

Seachtmad Deurg Dia Dardaine :
No frit fechtmad fene:
Gabrad Itallamtiri:
I Calon Mai a mirgne.

Septima Luna, Jovi Sacra Lux, Maiæque Kalendæ
Appulsus annum Symbola certa notant.

Anno quidem periodi Julianæ 3698. qui est juxta Scaligerum Salomonis regnantis quintus, & mundi 2934. Cyclo Solis 2. Lunæ 12. litera feriali E. Kalendæ Maiæ concurrebant cum Septimo Lunæ die, & quintâ hebdomadis feriâ. Nec toto Salomonis regno, imò nec toto Sæculo ab David patris ortu ad Salomonis obitum ea connexio diei mensis, hebdomadis, ac Lunaris ætatis accidere potuit, nisi solo hoc ipso anno; uti cuivis calculos retro supputandi perito etiam hodie quasi digito monstrare integrum est.

2934 Igitur à Diluvii universalis recessu annis--- 1277.
A nativitate Phaleg, Terrarum divisione & Linguarum confusione——————1176.
Ad' adventu Partholani.——————c965.
A Nemethiorum migratione——————905.
A Torconaing excidio, & Nemethiorum exterminio——————689.
A Belgarum è Britannia appulsu——————277.
A Danannarum Nemethiorum reditu, & prælio Moyturensi——————197.
Item à natali Abraam——————985.
Ab ejus è Charris Mesopotamiæ primo egressu in Cananæam, & rerum Hebraicarum initiis.——910.
Ab Exodo Israelitarum ex Ægypto——————481.
Ab eorum ingressu, defuncto Mose, in Cananæam 441.

2934 Ab

2934 Ab anno Jubilæi primi Sabbatico; quo ab armis conquierunt, & terram per tribus distribuêre——435.

Periodi hebdomadum annalium ex heptaeteride confectæ anno primo, & periodi Jubilæorum heptaeteridum Septem anno 43.

Ab initio David regis annis——045
Regni Salomonis anno——005
A Templi jactis fundamentis anno——001.
Item in literis profanis exteris anno Epochæ Chaldæorum antiquissimæ——1217.
A Nini Idololatriæ auctoris initio——1157.
Ab Inachi Argivorum regis initio in Græcia——0841.
Ab Ogygis in Bœotia regnantis initio——0780.
Ab Ogygis diluvio, quo periit——0745.
A Diluvio Deucalionis——0497.
A Jani in Latio primordiis——308.
Ab Argonautarum Expeditione in Colchos——246.
A Thesco Athenarum rege nato——242.
Ab Hercule in Hispania, Gallia, & Italia——221.
Ab Herculis & Thesei victoriâ de Amazonibus——220.
Ab Herculis expeditione in Phrygiam, & Priami initium——219.
A Trojæ incendio——167.
Ab Ænea Latinum socerum defunctum excipiente 158
Item ante Carthaginem inter Getulos in Africæ ora à Didone, & Phœnicibus fundatam——133.
Ante Romæ cunabula ex Varronianis Palilib——263.
Ante caput æræ Christianæ vulgaris——1015.
Ante S. Patricii Apostolatum——1447.

Scoti, qui & Gaidelii, Scythica gens è Cantabria citerioris Hispaniæ provinciâ Biscaiam Hiberniæ proximam, & Lepiscam Navarræ, & Pyrenæis montibus contiguam complexâ Hiberniam parte Australi, qua Scoti Cinge. Scoti Gaidil.

2934 Kierrigia

2934 Kierrigia in Occidentali Momonia oceano adjacet, armatâ classe primò aggressi Danannarum vires tandem Taltenio prælio contriverunt; Insula exinde longissima posterorum serie potiti.

Quinque gentes præcesserunt; utpote Partholani, & Nemethi coloniæ, Belgarum, & Danannarum dynastiæ, ac Fomariorum infestationes.

Clañ Mile. Scotorum dynastiæ reges è tribus Militis Hispanici seu Milesii [36] filiis Hebero [37], Hiro [37], & Herimone [37] præter tres è Milesii patruo Itho, atque unum è populo descenderunt.

Ab hac epocha æræ Scotorum ad Tigernmasii regis Hiberniæ finem centum annos, ad Æneæ Olmacad regis Hiberniæ de Pictis triumphum ducentos & triginta Antiquarii observarunt.

Herimon.

2935 13 Herimon [37] Rex Hiberniæ *de Scotis primus* (*g*), post Belgas, & Danannas decimus nonus per tredecim annos regnavit (*g*).

(*g*) *Ængus Colideus in Psaltairna-rann apud War. Antiquit. Hib. cap. 2. p. 8.*

Herimone rege, Picti è Scythia citeriori (*h*) in Hiberniam & inde in Britanniæ Borealia transmiserunt.

(*h*) *Dania Daniam, Sueciam, & Norvegiam complexa.*

2948 3 Mumneus [38], Lugneus, & Lagneus Herimonis filii triennium patri Successerunt Reges Hiberniæ.

Nota ubi omnes aut plures in annis regum consentiunt, ibi me nullum de iis citare authorem.

2951 10 Euryalus [38] decessorum frater decem annos Rex Hiberniæ.

2961 20 Ethrialus patri sufficitur viginti (*i*) annos Rex Hiberniæ.

2969 Roboas [36] Salomonis [35] filius Rex Juda.

(*i*) *Dungal. annales ex G. Cormani poemate.*

2981 30 Conmalius [38] Heberi [37] filius, Milesii nepos primus è Momonia Rex Hiberniæ annos triginta (*i*).

Epe ago.

2986 Abias [37] post Roboam patrem Rex Juda.

2988 Assa

2988 Asſa [38] filius Abiæ [37] Rex Juda.

3011 Tigernmaſius [41] Ethriali [39] regis nepos Rex
23 Hiberniæ.

Tigernmar.

39 *Ethrialus R. H. ad 2961.*
40 *Follocius.*
41 *Tigernmas.*

Huic viginti tres tantum anni ſuppetunt ad Centeſimum annum æræ adventus Scotorum, quibus additis ſeptem annis interregni, quos Antiquarii aſſignant, 30 annorum numerus complebitur, quos ei codex Cluanenſis, omiſſo interregno, aſſignat. Qui vero 70 (*k*) annos cum Septennii interregno, aut 77 (*i*) addito inſuper interregni Septennio ex apographis depravatis tribuunt, næ illi fidem ſuam liberent.

k *Dr. Keting.*

3029 Joſaphat [39] filius Aſſæ [38] Rex Juda.

3034 Septenne interregnum anno centeſimo æræ
7 Scotorum; à quo ad annum 230. ejuſdem æræ, quo Æneas Olmucad Rex Hib. de Pictis triumphavit, anni intercurrunt 130.

Cocaid Cuchacar.

3041 Achaius [41] Edgathach Lugadii [36]
4 Itho Mileſii patruo prognati adnepos quatuor annos Rex Hiberniæ.

36 *Mileſius ad ann. 2889.*
37 *Hirus.*
38 *Heberus.*
39 *Ebricus.*

34 *Breogan ad ann. 2889.*
35 *Ithus.*
36 *Lugadius.*
37 *Malius.*
38 *Adnaman.*
39 *Congalius.*
40 *Darius.*
41 *Achaius Edgathach.*

3045 Kermnaus, [40] & Sobarchius Heberi [38] filii Hiri [37] nepotes primi ex Ultonia, & Hiri domo Reges
40 Hiberniæ quadraginta (*i*) annis corregnarunt.

40 *Kermnas & Sobarch fratres.*

3054 Joram [40] filius Joſaphat [39] Rex Juda.

3062 Ochozias [41] filius Joram [40] Rex Juda.

3062 Athalia [40] Ochoziæ [41] mater Regina Juda.

3068 Joas [42] Ochoziæ [41] filius Septennis Rex Juda.

3077 Mo-

i *Dung. annal. præcitati.*

3077 Monarchiæ Assyriorum finis Sardanapali casu.

Eachaidh Faobarglas. 3085 20 Achaius [39] Faobarglas ex Heberi domo Conmalii [38] regis filius Rex Hiberniæ viginti (*i*) annos.

Fiacha labrain 3105 24 Fiachus [44] Labrannius Tigernmasii [41] regis ex Herimonis Stemmate pronepos Rex Hiberniæ viginti quatuor (*i*) annos.

41 *Tigernmas ad ann.* 3011.
42 *Enbath.*
43 *Smirgal.*

3108 Amazias [43] filius Joæ [42] Rex Juda.

3129 21 Achaius [41] Mumo ex Heberi semine Achaii Faobarglas ex Mogfebe filio nepos unum & viginti (*i*) annos Rex Hib.

44 *Fiachus.*

3137 Ozias [44], qui & Azarias filius Amasiæ [43] Rex Juda.

Æneas 3150 18 Æneas [45] Olmucadius ex Herimoniis Fiachi [44] regis filius annis Octodecim (*i*) Rex Hiberniæ.

3164 Trigesimo supra ducentos ab adventu Scotorum in Hiberniam anno à Chronologis patriis (*l*) memoriæ proditum est Æneam hunc, variis præliis consertis, primum ex Hiberniæ regibus (quibus tamen ab Herimonis tempore Picti ex pacto vectigales erant) Septentrionalem Britanniam invasisse. Quod huic quartodecimo regni anno competit. Quare illorum rationes à recto alienæ censendæ sunt, quorum 230 annus hujus Æneæ initium nullatenus pertingit. Hinc ad initium Sirnæ Longævi, & ad incensam à Nabuchodonosore Hierosolymam centum, nonaginta, sex annos statuo.

l *Gratian. Lucius adversus Giraldum Cambrensem, cap.* 12. p. 115. & *Keting. in regno Fiachi Labrann. & in regno Niellii.*

3168 24 Ennius [42] Airgtheach Achaii [41] Mumo regis de Momonia filius annis viginti quatuor (*m*) Rex Hiberniæ.

m *Codex Clusanensis.*

3174 Olympiadum Iphitearum initia quas Iphitus rex Elidis instauravit anno Per. Jul. 3938. perpetua exinde serie post singulos 4 annos celebratas.

3189 Joa-

3189 Joathas [45] filius Oziæ [44] Rex Juda.

3192 Rotheactus [47] ex Herimonis stirpe Æneæ [45] re- Roiţeţaţ.
11 gis ex Maino filio nepos undecim annos (*m*) Rex Hiberniæ.

3197 Romæ urbis initia 21 Aprilis, quo die urbis prima palilia. Olympiadis 6 anno 3 ad proximum Solstitium exituro juxta Varronis, Taciti, Censorini, & Plinii, quam nos sequimur, sententiam: anno autem sequenti Olympiade 7 Julio insturâ statuunt Dionysius Halicarnass. Solinus, & M. Porcius Cato. Perinde est utram sententiam amplectaris, modo discrimen auctorum in applicatione advertas. Idem annus Ezechiæ [47] Joathæ [45] regis Juda nepoti natalis; nempe 25 annorum erat, cum regnare cœpisset, 4 Reg. 18. 2.

3203 Sednaus [47] Artrii filius è domo Hiri quinquen- Seuona mac
5 nio (*i*) Rex Hiberniæ. Ciptri.

Kermnai, & Sobarchii regum ex fratre (ut aiunt) nepos esse non potest, cujus initium ab eorum fine annos 118 per me, aut 135 per alios (*i*) distare in confesso est. Quare Septimum ab eorum fratre, eodem cum antecessore Rotheacto [47] generationum gradu suppono. i *Dungal. annal.*

3203 Æra Nabonassarea à die 26 Feb. incipit. Inde per singulos annos nostros bissextiles ob omissam diei intercalationem uno die regressus fit in hunc modum, viz. anno 3206, annus quartus cœpit 25 Febr. Anno 3210, annus 8. die 24, & sic de cæteris. Anni 1460 nostri Juliani faciunt 1461. Nabonassareos. Familiaris hæc æra Ptolomæo Alexandrino, & Censorino.

3205 Achaz [46] filius Joathæ Rex Juda. m *Cod. Clarendonsis.*

3208 Fiachus [48] Finnscothach filius Sednai [47] regis qua- Fiaċa Fiaṅ-
14 tuor decim (*m*) annis Rex Hiberniæ. ṡcoṫaċ.

3221 Ezechias 47 filius Achas 46 Rex Juda.

39 *Achaius Faobarglas ad an.* 3085. 40. *Nuadus*

3224 Munemonius 48 ab Achaio 39 Faobarglas rege 5 septimus Heberi è semine per quinquennium Rex Hiberniæ.

Oggiam. 41 *Glassius.* 42 *Rossus.* 43 *Rotheasl.* 44 *Firard.* 45 *Casslet.* 46 *Munemon. R. H. n. 4. Reg. 18, 10.*

3227 Faldergodius 47 Munemonii Filius novennio (*m*) 9 Rex Hiberniæ.

3227 Ezechiæ regis sexto (*n*) Samaria à Salmanassaro Assyriorum rege expugnatur, & decem tribus Israelis in captivitatem perpetuum abducuntur.

3235 Sennacherib Assyriorum & Arabum rex, cæcis manu divina 185000. suis militibus Hierosolymorum obsidium solvit, & fugit: paulo post à suis filiis occiditur.

Ezechias anno regni 14 à Sennacherib metu solutus, ægrotat & ob ardentes preces ipsi quindecim anni vitæ adjiciuntur solis retrogrado prodigio promissum contellante.

Ollam fodla. 3236 40 Olamfodlaus 49 è domo Hiri Fiachi 48 regis filius annis quadraginta Rex Hiberniæ.

3250 Manasses 48 fil. Ezechiæ 47 Rex Juda.

Finsneacta. 3276 20 Finnacta 50 Ollamfodlai 49 regis filius viginti annis Rex Hiberniæ.

Slanoll. i *Dungall. annal.* 3296 17 Slanollus 50 Finnactæ regis frater Rex Hiberniæ 17 annis (*i*).

3305 Amon 49 Manasse 48 filius R. Juda.

3307 Josias 50 filius Amon 49 R. Juda.

Gede Ollgothach. 3313 12 Gedius 50 Granchvocus Slanolli 50 frater 12 annos (*i*) Rex Hiberniæ.

Fiacha finnailech. m *Cod Cluan.* 3325 8 Fiachus 51 Finalcheas Finactæ 50 regis filius octo annos (*m*) Rex Hiberniæ.

3315 Nabopollasar 50 Babyloniorum rex Josiæ 49 regi Juda coævus.

Deagngall. 3333 12 Berngalius 51 Gedii 50 Regis filius duodecim annis Rex Hiberniæ.

3338 Joachas.

3338 Joachas [51] filius Josiæ [50] Rex Juda 3. Menses.

3338 Joachimus [51], antè Eliachim dictus Joachæ [51] fratri regi trimestri succedit Rex Juda.

3342 Nabuchodonosor [52] Nabopollasari [50] filius Joachæ, [51] Joachimo, & Sedechiæ fratribus æqualis, vivente patre, in Syria regnat.

3345 15 Olillus [51] regis Slanolli [50] filius quindecim annos Rex Hiberniæ. Sedecim regni annos poema G. Coemani, & ex eo Dungall. annales: annos quatuordecim aliud exemplar ejusdem poematis habet: numerum medium codicis Cluanensis authoritate selegimus. Oiliolla.

3349 Jechonias [52] (Joachimus etiam dictus) Joachimo [51] patri captivo sufficitur Rex Juda tres menses.

3349 Sedechias [52] Jechoniæ [52] patruus Babylonem abducto surrogatur Rex Juda.

3354 Nabuchodonosor Syriæ hactenus præfectus patri defuncto in Chaldæa succedit. Unde initium regni ejus, cujus annus secundus Cap. 2 Danielis.

3360 Hierosolyma à Nabuchodonosore capta: Templum incensum 427 annis à primo posito lapide: Sedechias stirpis Davidicæ ultimus rex, excæcatus, & Babylonem abductus.

3360 21 Sirna [50] Longævus Herimone satus Rotheacti [47] regis pronepos unum, & viginti (*m*) annos Rex Hiberniæ. Siorna Saoglach.

Hunc Solymorum eversori Nabuchodonosori, & Astyagi Medorum postremo contemporaneum facit Poema sæpe citatum Chronologicum Hibernicum. Quam appositè præ oculis habes, siquidem Nebuchodonosor,

47 *Rothacius ad an.* 3192.
48 *Demanus.*
49 *Denius.*
50 *Sirna Longævus.*

3360 & Astyages hoc tempore floruerunt per Nitocrem Astyagis sororem, Nabuchodonosoris reginam affinitate conjuncti.

Hinc ad Hugonii Magni regis Hiberniæ initium annos 259 statuimus; quatenus idem poema Hugonii initium refert in annum, quo Alexander Darium debellavit.

Qui Sirnæo annos sesquicentum regnando ascribunt, annos vitæ pro regni annis usurpant: Nec G. Coemani regum Hiberniæ Ethnicorum tempora recensens poema suffragatur. Nam etsi quibusdam exemplaribus ter quinquaginta annorum numerus malâ fide irrepsit, id adulterinum fuisse vetustiora ejusdem poematis exemplaria, (*n*) in quibus ter septem tantum anni Sirnæ regnanti leguntur adscripti, contestantur. Item aliis codicis Lecani locis, ubi de Sirna sermo est, passim habetur; *Sirna rex Hiberniæ ter septem, Sirna rex Hiberniæ* 21 *annos.* (*o*) Aliud extat poema incerti authoris, & habetur in eodem codice Lecano (*p*) incipiens Ēιmon ψεεδη ἀηδ. i. Herimon, excelsúsque Heber. 72. disticha continens, quæ referunt nomina, & annos regum Hiberniæ, ab Herimone ad Achaium Fedloch (*q*), inter quos Sirnæ duo decennia, & annus tantum assignantur. Idem tamen distichon neoterici fœdè adulterarunt; adeo ut pro bis decennio, & uno annoter quinquagenos contineat. (*r*)

Flannus à Monasterio celeberrimus suo tempore Hiberniæ Antiquarius, & Poeta, cujus obitum anno 1056. 7. Kal. Decembris, & Lunæ decimo sexto die annales signarunt, synchronismum concinnavit regum nostratium cum exteris (*s*), in quo Sirnæ initium cum Deiocis Medorum regis anno 35. copulat, & Deioci 52 annos admittens Sirnæ finem Phraortis, qui Deiocem excepit, anno quarto constituit. Utrum vero Deioces, & Phraortes unquam in vivis fuerint, an plus minusve,

3360 regnaverint

n *Codex Lecanfol* 303. a. *Cod.* o *Duvegani fol.* 11. b. *Liber Nabuschonghbala. distichon ex eodem poemate à Ketingo recitatum in regno Sirnæ.*

o *Cod. Lecan. fol.* 62. *a col.* 2. *fol.* 178. *a. col.* 2. *fol.* 23. *b.*

p *Fol.* 42. *a. col.* 1.

q *Rex. Hiberniæ ad an.* 3922.

r *In libro Migrationum Michaelis O clery.*

s *Apud O Duvegnum à folio* 104.

3360 regnaverint, aut Sirnæ coævi necne ? ad propoſitum perinde eſt. Solum enim luculenter oſtendimus, vetuſtum ſynchroniſmi concinnator em eà ratione nonplures, quam annum & viginti Sirnæ in regno conceſſiſſe: idque cum aliorum veterum conſenſu.

Porro qui volunt eum ſeſquicentum annos regnaſſe, ceterorum regum ad initium Hugonii, queis ego 238. illi 397. annos ultro concedunt, neceſſe eſt, ut tempora intra 109. annos coarctent, vel Hieroſolymæ, & Alexandri terminos ad 547 annos dilatent, ſin minus, ut Hugonium 288 annis Alexandro poſteriorem, Sirnamve totidem Solymorum incendio ſuperiorem evincant.

r *In Libro Migrationum, Michaelis O clery,*

Sirnæ vero ætatem 50 ſupra centum annorum ſic indicat primum è decem diſtichis incerti authoris in codice Lecano. (*t*).

t *Fol.* 30. *b. & fol.* 292. *a.*

Sioṁna Sōglaċ ɣóṁ an ṗlaiṫ: Caogа ḋ ċéuḋ mbliaḋain mbioṫmaiṫ
Ar ɣóḋal roċaṁṫain eaṁ: go ttoṁéḋ la Roiṫeaṫaiḃ.

Quindecies vixit repetita decennia Sirna
Longævus, donec Rotheacti perditus armis.

Hoc etiam diſtichon expoſtulo contra triſecliſenis * codicis fidem iiſdem adulterationibus depravatum, ut cogatur pro *vixit* regnavit effutire (*r*).

* *Sic Nevius apud Jellium l.* 9. *cap.* 7. *vocat Neſtorem triſecliſenem.*

3381 Rotheactus [51] Faldergodii [47] regis ex Heberi ſan-
7 guine abnepos ſeptennio Rex Hiberniæ.

Roiṫeaṫaċ.

47 *Faldergodius ad an.* 3227.

3386 Evilmerodach [52] filius Nabuchodonoſoris, anno regni primo Jechoniam [53] regem Juda anno captivitatis 37 è carcere liberavit, & ſummo honore affecit. (*u*)

48 *Caſſius.*
49 *Failbeus.*
50 *Roanus.*
51 *Roth. oſſus.*
u *4 Reg.* 25. 27. *Jerem.* 52. 31.

3388 Elimius [52] patri Rotheacto [51] ſucceſ-
Elim ollſiaḋaċta. 1 ſit unum annum Rex Hiberniæ.

3389 Gilchadius [53] Sirnæ [50] Longævi regis
Ḟiallchaḋ 9 ex Ollillo olċaoin filio nepos novem annis Rex Hiberniæ. 3390 Cy-

3390 Cyrus [53] Aſtyagis [51] ex filiâ Mandane nepos Olympiadis 55 Anno primo communi chronologorum conſenſu incipit in Perſiâ.

3392 Balthaſar [52] Nabuchodonoſoris [50] è filia nepos à Dario Medo everſus Darius exinde Babyloniorum regnum ſuſcipit Xerxis, quem Aſſuerum Daniel (z) vocat filius.

3398 Arturus [53] Imleach Elimii [52] regis filius duodecim annis
12 Rex Hiberniæ.

3410 Nuadus [53] Finnſail Gillchadii regis filius tredecim annis
13 (y) Rex Hiberniæ.

y *Cod. Clon.*
z *Daniel 9*
a *Dungall. annal.*
Aint. Imlig

Heic conferre incipiam veterem ſupracitatum Flanni à Monaſterio ſynchroniſmum, omiſſis, quæ hactenus habet de Aſſyriis, & Medis propter temporum incertitudinem, & authorum diſcrepantiam huc uſque in rebus Orientis: à Cyri autem tempore crebeſcere cœperunt bonæ literæ, ac certa ex literis temporum notitia poſteris tranſmiſſa eſt. Conſentaneum erat, ut ubi nos literæ ſacræ excidio domus Davidicæ deſerunt, è gentilium tabulis temporum notiones eliciamus. Itaque ut in illo ſynchroniſmo proditum eſt; *Nuado Finſalio in Hibernia regnante, Cyrus Chaldæorum ultimum devicit*; nimirum Darium Medum, ut ſequitur.

3411 Cyrus Dario Medo biennio ante devicto, & Carmaniæ præfecto, hoc anno Babylonem expugnavit. Atque ita Chaldeorum regnum ad Perſas tranſlatum.

3420 Zorobabel [54] Jechoniæ [52] regis Juda (ex Salathiele [53] filio cum fratribus in captivitate genito) nepos, elapſis Septuaginta captivitatis annis populo in Patriam revertenti princeps præfuit.

Cyri & laxatæ ſub eo Judaicæ Captivitatis tempore

3420 Athenis

3420 Athenis Claruit Pisistrato tyranno familiaris Orpheus Crotoniata, Vossio * & aliis Onomatritus Dictus, Argonauticæ expeditionis carmine Græco Scriptor, qui Hiberniam Jernæ nomine in illa expeditione memoratam celebrat. *Cujusmodi antiquitatis ne ipse quidem populus Romanus nominis sui testem proferre poterit auctorem*; ait clarissimus Usserius (x). * *Vos. de Poetis Græcis. Lloid. Bochartus.*

x *Prim. Ec. Brit. pag. 724.*

3423 Breasus [54] Regius Arturi [53] Imleach regis filius 9 novem annis (a) Rex Hiberniæ. Ogygius.

a *Dungall. Annal.*

Cambyses, & Breasus regius unà regnarunt. Synchronismus.

Cambyses Anno 3420 cœpit, ut ad ann. 3427 videas.

3427 Cambysis [54] filii Cyri [53] annus Septimus, quo juxta Ptolemæum (b) Lunæ Eclipsis contigit die 17. Phamenoth mensis septimi in anno Nabonassari 225. Qui à Kalendis Januarii tum incipiens diem 17 mensis Septimi conjicit in diem 16 Julii nostri, & feriam 4 in anno Per. Jul. 4191. Ab anno igitur 3390 ad annum 3427 sunt anni 30 quibus Cyrus imperavit, & Septem Cambysis.

b *Lib. 5. cap. 14.*

3429 Darius [54] Hystaspis filius Rex Persarum cujus uxores duæ Cambysis [54] sorores Artossa, & Artystona: hæc germani etiam prius uxor; illa intacta Dario nupta. Coɔaiɔ Optac.

35 *Lugadius ad ann. 3041.*

3432 Achaius Optach de semine Lugadii filii Ithi; à 1 quo decimus ponitur; sed plures desiderari generationes coævos conferenti liquet. Uno anno (a) Rex Hiberniæ. 37 Eoin-bhrec. 38 Riaghan 39 Siotcion 40 Fion.

d *Aa ann. 3236.*

Dario Hystaspidi coævi Achaius Optach, Finnius, Sednæus Innarradh Reges Hiberniæ. Synchronismus.

3433 Finnius [53] filius Brathai [52] (Blathai, ut aliqui habent) filii Labradii [51], Ollamfodlai [49] regis (d) è 20 Carbreo filio abnepos viginti (e) annis Rex Hiberniæ.

e *Codex Clonm.* 41 Aingen 42 Roctan.

3433 Hinc

43 Flañ- luat. 44 Oilioll. 45 Fion. 46 Eocaiò Optaċ.

3433 Huic 22 annos Dungal. annales ex G. Coemani poemate tribuunt; & 21 aliud ejusdem poematis exemplar in codice Lecano: Cluanensis vero, quem sequor 20 annos ascribit.

3441 Urbis conditæ 245. Romani regiam potestatem binis annuis consulibus commutarunt anno Urbis conditæ 244. 21 Aprilis exituro; Olympiadis 67 Anno 3 currente, & Darii Histaspidis 12. Primi consules L. Junius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus. Tarquinio abdicare coacto, in ejus Locum factus est P. Valerius in hoc honore Poplicola appellatus: & Bruto in prælio cadenti Sp. Lucretius Tricipitinus, eique in consulatu mortuo M. Horatius Pulvillus substituitur primo Libertatis anno. Valerium [54] igitur Dario [54] Histaspidi coævum in 54 ab Adamo generationem conjicio.

Seubna Iorrach.

3453 Sednæus [51] Innarradh Breasi [54] regis filius ex 14 Heberi sanguine quatuordecim annis (*e*) Rex Hiberniæ.

3459 Darius ad Marathonem ingenti clade victus ab Anathemensibus, duce Miltiade (Plutarc.) Anno regni 31. Nabonassareo 257. quo Luna defecit die 3 Tybi mensis 5 (Ptolem.) 25 April. feria 4.

3465 Xerxes [55] Darii ex Atossa [54] filius patri succedit. Assuerus, seu Oxyares dictus, maritus Estheræ, repudiatâ Vasthi.

e Codex Cluan.

3466 V. C. 270 K. Fabius [55] Vibulanus, & L. Æmilius [55] Mamercus Consules.

3467 V. C. 271. M. Fabius [55] Vibulanus, & L. Valerius [55] Potitus Volusus consules: hic frater K. Fabii [55]; ille Valerii [54] Poplicolæ primi consulis filius.

3467 Simon

3467 Simon [55] Breac Nuadi [53] regis Herimonii ne- Simon Briec.
6 pos per Sexennium Rex Hiberniæ.

[53] *Nuadus ad ann.* 3410.

Xerxe rege Sednæus vivere desiit, Simon Breac succeſſit, atque huic Duachus Fionn. Synchron.

[54] *Aldanus Glas.*

[55] *Simon Breac.*

3473 Duachus [56] Fionn ex Heberiis Sednai [55] regis fi-
8 lius per annos (*e*) octo Rex Hiberniæ.

3475 V. C. 279. P. Valerius [55] Poplicola Valerii [55] Potiti frater, & C. Nautius Rutilus Coſſ.

3480 V. C. 284. L. Valerius [55] Potitus, & T. Æmilius [56] Mamercinus L. Æmilii [55] filius Coſſ.

3481 Muredachus [56] Bolgra Simonis regis filius unum Muredach
1 annum Rex Hiberniæ. Bolgrach.

3482 Ennius [57] Ruber Duachi [56] regis filius quinquen- Eunadergg.
5 nium (*e*) Rex Hiberniæ.

3483 V. C. 287. T. Æmilius [56] Mamercinus, & Q. Fabius [56] Vibulanus M. Fabii [55] filius Coſſ.

3486 Artaxerxes [56] Longimanus Xerxis [55] filius Rex Perſarum.

3487 Lugadius Hiardon ex Heberi proſapiâ Ennii re- Lugadh
5 gis filius (vel agnatus) ei ſucceſſit Rex Hiberniæ Iardonn.
quinquennio (*e*).

Artaxerxe rege Longimano, Duachus mortuus eſt, & quinque in Hiberniæ throno ſe invicem exceperunt, viz. Muredachus Bolgra, Ennius Ruber, Lugadios Hiardon, Sirlam Longimanus, Achaius Fuarchis, Achaius Venator, & Conangus. Synchron. Si calculos rite inieris pro quinque invenies ſeptem, è quibus ſi duos priores poſt Duachi mortem, ſc. Muredachum, & Ennium mecum ante Artaxerxem Statueris, rectè reliqui quinque Artaxerxis tempore cœperunt.

Sirlám idem ac Longimanus. e Cod. Cluan. 3492 16 Sirlam [55] Longimanus Hiro ſatus Finii [23] regis filius, ſeu potius nepos ſedecim annis Rex Hiberniæ.

3501 V. C. 305. L. Valerius [56] P. Valerii [55] filius & M. Horatius Barbatus Coſſ.

Eochaid Ardéer. 3508 12 Achaius Fuarchis Lugadii Hiardon filius (vel agnatus) ex Heberi domo Rex Hiberniæ annis duodecim.

3508 V. C. 312. M. Fabius [57] Vibulanus Q. Fabii [56] filius, & Poſthumius Æbutius Helva Cornicen Coſſ.

Eochaid Fiadmuine. 3520 Conaing Bedglac. 5 Achaius [58] Venator, & Conangus Impavidus fratres Congalio filio, Muredachi [56] regis geniti Herimonii reges Hiberniæ annis quinque.

Lugaid Láimderg. 3525 4 Lugadius Rubrimanus Achaii Fuarchis filius (vel agnatus) Hebero oriundus Rex Hiberniæ quadriennio (*e*).

3525 V. C. 329. M. Æmilius [57] Mamercinus L. Æmilii [55] Mameri: nepos jam tertiò Dictator.

3527 Darius [57] Nothus decimo poſt Artaxerxem [56] patrem menſe Rex Perſarum. Cujus annus ſecundus (3528) Aggæi, & Zachariæ prophetiis, ac Darii edicto, ut inſtauretur Templum, celebris. Unde initium Hebdomadum Danielis cum excidio Templi ſecundo ſub Veſpaſiano deſinentium.

3529 7 Conangus [58] Impavidus ſecunda vice Rex Hiberniæ Septennio (*e*).

Darii Nothi regnantis tempore Lugadius Rubrimanus, Conangus, Arturus, & Fiachus filius Muredachi regnandi initia auſpicati ſunt. Synchron. Lu-

3529 gadius

3529 gadius meis rationibus paulo ante Darium cœpit: Arturum Fiachus extinxit, Dario in Perside regnante.

3530 V. C. 334. Cn. Fabius 57 Vibulanus filius Q. Fabii 56, & T. Quinctius Capitolinus Barbatus Coss.

3532 Darii Sexto Templum absolutum, & Encænia ejus 3 mensis Adar in Februario nostro celebrata.

3536 6 Arturus Lugadii Rubrimani regis filius (vel agnatus) ex Heberiis Rex Hiberniæ Sexennio. Artur.

3542 9 Olillus Fin antecessoris filius (vel agnatus) Rex Hiberniæ novem annos. Oilioll Finn.

3542 V. C. 346. M. Æmilius 58 Mamercinus Æmilii 57 Mamerc. Dictatoris filius & C. Valerius 57 Potitus volusus L. Valerii 55 Potiti per L. Valerium 56 filium nepos Consules.

3543 V. C. 347. C. Fabius 58 Ambustus filius M. Fabii 57 Vibulani Quæstor.

3545 Artaxerxes 58 Mnemon filius Darii 57 Rex Persarum.

3546 V. C. 350. L. Valerius 57 Potitus C. Valerii 57 frater ex quinis vicib. 2 Tribunus Militum consulari potestate.

3551 7 Achaius Olilli Finn regis filius Heberi è semine patri successit Rex Hiberniæ septem annos. Eochaid mac Oilill Finn.

Artaxerxes Mnemon contemporaneos habuit Olil-

3551 *lum Finn*, (ab anno 3545, ad anno 3551) *Achaium filium* (ad ann. 3558) & *Argetmarum* (ad ann. 3568.) Addo ego Duachum Ladgar, Lugadium Laigde, & Aidum Rufum ad ann. 3587. Quos tres Synchroniſmus Artaxerxi Ocho Mnemonis filio ab anno 3587, ad anno 3610, regnanti coævos facit.

Synchron.

Chronologiam heic maxime turbat æmulorum principum de imperio dimicantium diſcordia. Ab Arturi enim regis interritu Olillus Finn, & poſt eum Achaius Heberii, Fiachus Tolgraus, ejuſque filius poſt eum Duachus Herimonii, & Argetmarus de domo Hiri Singuli ad Supremos faſces aſpirabant. Itaque Argetmarus, Fiachus, & Duachus adverſus Olillum regem conjurationem facientes eum hoc anno (3551) apud Odhbha prœlio congreſſi proſtraverant. Mox in ſe invicem pro diademate Fiachus, & Argetmarus arma convertunt. Fiachum de Argetmaro acie fuſo ovantem. Achaius Olilli regis filius in Bregmagia (*f*) aggreſſus vitâ ſpoliavit inde Rex Hiberniæ Salutatus. Duachus ita patre orbatus Achaio victori ſe ſubmiſit, ac ſuorum Herimoniorum viribus Argetmarum ex Hibernia eliminavit.

f Weſtmidiæ regio Athlonæ proxima.

Hinc aliqui Fiachum Hiberniæ regum catalogo adſcribunt, & regnanti alii ſeptem, alii decem, aut octo annos immediatè poſt Arturi cædem aſſignant, & poſt eum Olillo alii novem, alii undecim. Verumenimvero non potuit aliis annis regnare, quam iiſdem, quibus Olillus rerum potitus eſt; extemplo enim poſt Arturum ab eo cæſum continuum pro imperio bellum geſſit, donec Olillum occidit & ipſe viciſſim occidit. Rectius igitur Codex Cluanenſis Olillum immediatè Arturo patri ſuccedentem habet, nullum in regno diem Fiacho, quamvis Arturum, & Olillum deturbaverit, admittens.

3551 G. Coema-

3551 G. Coemanus (g) quoque, & G. Modudius (h) in ſuis de regibus Hiberniæ poematis centum triginta ſex tantum Ethnicos reges abſolutos fuiſſe conſentiunt; & aliud G. Coemani poema (i) eorundem 136 genus, & nomina recenſens Fiacho Magno filio Muredachi, de quo loquimur, regis Hiberniæ titulum ab Antiquariis denegatum expreſſis verbis declarat. Unde liquet diſtichon de Decenni, vel juxta varias lectiones Octenni ejus imperio in priori jam laudato G. Coemani poemate (g) non genuinum authoris, ſed inſititium fuiſſe. Inſuper patrum memoria Lugadius O Clery inter præcipuos hujus ſeculi Hiberniæ Antiquarios in diſceptatione cum Bruodino non inferiori Antiquario, poemate, quod incipit, Ἀ Θαιὸς ná τατaoιμ τόμνα, centum & ſex Hiberniæ regum de Herimonis (ipſo excluſo) progenie numerum recenſet, è quibus quadraginta ſex Nelîdas, ſeu Nielli Magni è ſemine teſtatur. De utroque numero nulla eſt controverſia; ſed deductis 46. Nelîdis è 106. in toto, remanent 60 Herimonii: Olillus ſc. Vervecinus Chriſtianus, & 59 Ethnici, de quorum nominibus ſine Fiachi adjectione compertum eſt:

g Eiſe ápò.
h Eiſe oiꝫ.
i Colchṫó eṁoñ aiṁe.

3558 Argetmarus 57 Sirlami 55 regis filius (aut potius nepos) ex Hiri ſtirpe Rex Hiberniæ decennio. 10

Ծիրգեաmայր.

Huic alii 23 alii 26 alii 30, annos regni tribuunt. Nos Cluanenſis codicis fidem ſecuti annos quidem 26 concedimus: Sed hoc pacto; quippe à regiæ dignitatis titulo, quem ſibi, ut credibile eſt, poſt Arturum regem arrogavit, per annos novem, quibus regnavit Olillus & per ſeptennium, quo ipſe, regnante Achaio, exulabat, uſquedum decem alios annos ſine controverſiâ regnavit.

3561 V. C.

3561 V. C. 365. L. Valerius [53] Potitus L. Valerii [57] Potiti filius consulatu cum M. Manlio capitolino exiens fit Magister equitum sub M. Camillo Dictatore Romam à Gallis liberante.

3562 V. C. 366. C. Fabius [58] Ambustus Tribunus militum consulari potestate.

3564 Artaxerxis Anno 20. Nehemias Hierosolimam permissu Artaxerxis venit, murosque per annos 12 refecit.

3565 V. C. 369. L. L. Æmilius [59] Mamercinus M. Æmilii [58] filius Tribunus militum cons. potest.

Duaċ laġnaċ. 3568 10 Duachus [58] Ladgar Fiacho [57] Tolgrao Herimonio Muredachi [56] regis filio prognatus Rex Hiberniæ decennio.

3575 V. C. 379. L. Æmilius [59] Mamer. 5. Tribunus militum consulari potestate.

Luġaiḋ Ríġe. k Lod. Ciuan. 3578. 4 Lugadius Victulinus Achaii Hiberniæ regis ex Heberi domo filius (imo agnatus, & Darii Doimṫeċ filius) Rex Hiberniæ quadriennio (*k*).

In hac Heberiorum prosapiâ inter Duachum Finn. ab Anno 3473, ad an. 3481. regem Hiberniæ, & Lugadium hunc genealogicam seriem adeo ultra modum laxatam video, ut fratres, vel agnatos summum imperium assecutos pro decessorum ejusdem domus filiis in rectâ lineâ (ubinde incertos exploratum sit. Quatenus centum minus annorum spacio (*l*) illum ab hoc octo generationum gradibus (quotquot interceserant reges) distare traditum sit. Ennium (*m*) quidem Duachi filium, & A-

l *A morte Duach: Anno 3481. ad initium Lugadii Anno. 3578.*

m *Supra ad an. 3482.*

3578 chaium

3578 chaium Olilli regis (*n*) filium inter alios reperi desertè nominatos. Sed ubi conjecturæ locus non esset, quos fratres, aut agnatos, & quos decessorum filios pro certo dicerem, in eorum genealogiâ fidem auctorum (cum mea additione per parenthesin) secutus sum; genealogicos tamen numeros contemporaneis non congruos intermisi. Hunc Lugadium Ketingus (*o*) Darii Δοιμὲὲ filium legit, sed non ausus torrenti vulgaris erroris reniti Achaii regis filium, & octavum à Duacho potius dici judicavit.

n *Supr. ad ann.* 3551.

o *In regno ejus.*

3582 Aidus ♥ Rufus Argetmari [57] regis Hiriadæ ex
7 Badorno filio nepos R. H. septem annos. Αιοδ. ρυαδ mac Badoirn.

3585 V.C.389. L. Æmilius [60] Mamerc. L. Æmilii [59] filius Consul. cum L. Sextio Laterano primo è plebe.

3587 Artaxerxes [59] Ochus Artaxerxis [58] Mnemonis ex Statira uxore filius

3589 Rex Persarum. Dithorbus [59] Argetmari [57] regis Hi-
7 riadæ ex Dimano Filio nepos R. H. septem annos. Διοτορβ.

3596 Kimbathus [59] Argetmari regis Hiriadæ ex Fin-
7 tano filio nepos Rex Hiberniæ septem annos. Cιομβοὲ

Qui annos mundi ad sententiam suam plus æquo extendere conantur, horum trium patruelium Aidi, Dithorbi, & Kimbaithi singulis tria alternatim septennia concedere non dubitant; nimirum Aido rege post tertium septennium submerso, aliisque duobus post tertium cujusque septennium circumactum superstitibus; Kimbaitho regi Aidi filiæ copulato quartum septennium, ejusque viduæ quintum assignant. Unde infertur Aidum ad 49 annos, Dithorbum, & Kimbaithum ad 63. annos, denique Kimbaithum insuper ad 70 annos ab Aidi initio ad suum exitum sociale illud imperium produxisse. Qualem ordinem, prolixumque, ac securum imperandi spacium in tribus regni consortibus

3596 Mille

3596 Mille casibus inter se, & ab æmulis obnoxiis non facile patitur humanæ vicissitudinis conditio, nec similem eventum aliud exemplum confirmat. Quamobrem omnibus tribus per vices suas tria tantum septennia Codicis Cluanensis authoritate innixi admittimus.

A Kimbaithi initio ad Emaniæ, quam regum Ultoniæ regiam condidit, eversæ casum, regnantium in Ultima temporibus simul sumptis, annos absolutè 684. regnatum est; insigne rationum mearum per id temporis singulorum Emaniæ regnantium initia, & exitus statuendo firmamentum. Diversorum enim authorum fortuito conspirantia cum Emaniæ regnantium temporibus suffragia omnem in iis certitudinem quasi funiculo triplici constrictam edocent. Nam poema chronologicum (*p*) centum annos retro à S. Patricii apostolatu, atque ita ab anno Christiano 432 ad Emaniæ excidium numerat. Idem annales Dungall. confirmant, quatenus eundem casum in annum 331 qui est æræ vulgaris 332 & mundi secundum meas rationes 4281. conjiciunt. Citatum etiam poema (*p*) Conquovari Nessani regis Ultoniæ obitum 47 annos post Christum natum, hoc est anno 48 æræ Christianæ, qui est mundi per me 3997. ponunt alterum vetus distichon è codice Lecano (*q*) quadringentos annos inter Kimbaithi initium, & Conquovari illius finem ita recenset.

p Annales Dungallenses.

q *Fol.* 293 *b.*

Ceiċre ċéuḋ bliaḋain briaġa : aḋ ṙeaḋ ġaḋ ġaoi ġṙeiṁiġa :
Ṙaḋ flaiṫiġa na bṙeṙ ngóṫ : ó Chonċobaṙ go Ciombóṫ.

Inter Conquovarum sunt, Kimbaithumque monarcham
Quatuor, ut doctis, seculalapsa liquet.

Pari ratione si Emaniæ regnantium tempora à Kimbai-

3596 thi

3596 thi initio, & anno mundi hoc 3596. ad Conquovari finem ſummatim colligas ad quadringentos exactos annos emergent anno mundi 3997. Chriſti 48. à Conquovari etiam obitu ad Emaniæ incendium, ſimul aggregatis Emaniæ regnantium temporibus, anni emergent 284 quibus Anno mundi 3997. adjectis pervenies ad an. mundi 4281. æræ Chriſtianæ 332. excidio Emaniæ memorabilem.

		3997
	284	
		4281

3598 V. C. 402 M. Fabius [59] Ambuſtus filius C. Fabii [58] tertiò conſul.

3603 Macha [60] Aidi [59] Rufi Hiriadæ regis filia Regi-
7 na Hiberniæ 7 annis (*r*).

3610 Reactus [60] Carporuber Heberio è ſemine Ennii [57]
9 Rubri regis pronepos Rex Hiberniæ per novennium (*s*).

Supra ad annum 3578. oſtendi genealogos (*t*) noſtros malè ſenſiſſe octo reges Heberiæ familiæ à Duacho Finn ad Lugadium Vitulinum totidem generationibus in rectâ lineâ ſupputandos. Ubi meæ ſententiæ apprimè favet Reacti Carporubri è codice Lecano (*u*) genealogiâ: qui quidem Reactus Lugadii filius, non tamen Lugadii Vitulini regis Hiberniæ & nonus à Duacho Finn, ut illi tradunt, ſed per Ennium Rubrum quartus à Duacho.

3610 Achaius [60] Eolachair Argetmari [57] regis, Fotha-
20 dio [59] filio Fomarii [58] patre, pronepos ex Hiri proſapiâ Machæ Reginæ ſucceſſit Rex Ultoniæ apud Emaniam viginti annos Aliâ lectione Achaius Faobhar filius Fedachi filius Fomarii filius Argetmari.

3610 Arſames [60] Artaxerxis [59] Ochi filius Rex Perſarum.

3610 V. C. 414. L. Æmilius [61] Mamercinus L. Æmilii [60] filius ma-

r *Emaniæ Regum ætas.*
Macha Mongruad.
Nectan Nigoeng
s *Geneal. Cluan.*
t *Duvegandta ſuñ rgneuſ Nioḃ Erioñ.*
Brudines.
Cruſſec Cumcom ꝛ eloiñ Tail.
u *Fol. 204. b. ex Monumentis Tabulis.*
57 *Ennius Ruber ad* 3482.
58 Æneaſ Oimbnelan.
59 *Lugadius.*
60 *Reactus Carporuber.*

3610 gister equitum sub M. Valerio [59] Corvo dictatore M. Valerii [54] Volusi, cui P. Valerius [54] primus Consul frater, adnepote.

3614 Darius [60] Codomannus Artaxerxis [58] Mnemonis ex Arsame filio, & Sygambe filia (utroque concubina genito) nepos postremus è Cyri sanguine Persarum monarcha eodem hoc anno incepit, quo Alexander [60] Magnus illius eversor patri in Macedonia nostro Julio Mense unum, & viginti annos natus Aristotelis sub disciplina literis excultus surrogatur.

x *Cod eluan.* Ugoine Mór
58 *Duachus ad an.* 3568.
59 *Achaius* Duadać.
60 *Hugonius Magnus.*

3619 Hugonius [60] Magnus Duachi [58]
30 Regis nepos Herimone satus Rex Hiberniæ triginta annos.

Hugonium eodem anno regnum iniisse, quo Alexander Magnus Persarum monarchiam obtinuit, docet nos Hibernicum poema chronologicum. Proinde annus mundi 3619. exiens, & 3620. ab Æquinoctio Autumnali defluens in eundem annum periodi Julianæ 4383. conveniunt.

y *Cod. Lecan. fol.* 294. *Tabulæ Lageniensis.*
z *Lugadius Clerii loco supra citato.*
a *Infr. ad an.* 3922.
b *Tigerna. Cod. Cluan. chronicum Sectorum.* O *Duvegin fol.* 195. a. *Cod. Lecan. fol.* 178.

Quinquies quinque partitam Hiberniæ divisionem ab eo factam & veteres, (*y*) & moderni (*z*) scriptores consentiunt mansisse trecentos annos; donec Achaius Fedhloch R. Hiberniæ (*a*) antiquaverit, Anno sequenti post antiquatam eam Cuculandus celebris heros in lucem editus est; annoque ætatis 27. Christianæ Epochæ secundo, & ante S. Patricii missionem Anno 431. è vivis sublatus est (*b*) Ex quo 758 integrorum annorum contextu ab anno Christiano missionis S. Patricii 432. Mundi 4381. In anteriora elicitur Hiberniæ in 25 regiones divisionem factam anno mundi 3623. tertio, aut quarto regis Hugonii.

3620 Olympiadis 112. Anno 2 Ka-
3620 lendis

3620 lendis Octobris nostri & die undecimo post ple-
nilunium Eclipticum (c) feriâ hebdomadis sexta
Alexander 60 Magnus tertio memorabili prælio Darium
60 Codomannum ad Gaugamelam propter Euphratem,
quod prælium ad Arbelam vulgo nominatur, fudit;
simulquæ Persidis imperium rapuit.

c *Plutarch. in Alex. Arrianus. Nicomediens. Plin. l. 2. c. 10. Ptolem. l. 1. c. 4. Temporarius. lib. 2. p. 264.*

3623 V. C. 427. L. Æmilius 61 Mamercinus 2. & C. Plaut Decianus Coss.

3627. Olymp: 114. Anno 1. Alexander Magnus Babylone è vitâ excessit antepenultimo die mensis Macedonici Doæsii sub finem Junii nostri annos natus 33. Ex hoc per mortem fracto cornu (d) quatuor sunt orta cornua, qui sunt quatuor reges imperium ejus in 4 regna distrahentes; nimirum Antigonus in Asia, cujus posteri postea in Macedoniâ regnarunt, primus è successoribus Alexandri, qui cum filio Demetrio 60 Poliorceta regium nomen usurpavit, Philippus Aridæus Alexandri ex concubinâ frater in Macedonia, Ptolemæus Lagi Macedonis filius post Perdicam in Ægypto, & Seleucus Nicanor tribus aliis superstes multarum illustrium urbium conditor, in Syria.

d *Daniel. 8.*

3630 Huamun 60 Kennus filius Foranni
1 59 Argetmari regis è Cassio 58 filius pronepos Rex Ultoniæ unum annum.

3631 Conquovarus 61 Rod decessoris è
30 Cathirio 60 fratre nepos Rex Ultoniæ triginta annos.

3634 Cassander, 60 cujus pater Antipater 59 Macedo Macedoniæ, & Græciæ sub Alexandro rector, Macedoniam post Philippum 60 Aridæum jussu Olympiadis matris Alexan-

3634 dri necatum occupat, Olympiadem, & duos Alexandri filios unà cum matre Roxane è medio ſuſtulit. Itemque Cleopatram Alexandri ſororem. Diodor.

3639 Annus æræ Græcorum primus quo Seleucus [60] Nicanor Antiochi Macedonis militiæ præfecti ſub Alexandri patre filius, capto Demetrio Poliorcætâ, & occupatâ Babylone totius Aſiæ imperium ſibi vendicavit.

3640 V. C. 444 Appius Claudius [60] cæcus ſub M. Valerio [60] Maximo Corvo M. Valerii filio, & P. Decio Mure Coſſ. Cenſor viam Appiam munivit. Anno V. C. 448 & 458 Conſul. Anno 466 Dictator, vir ſapiens, & ad longævitatem longævus pacem, & fœdus cum Pyrrho acri oratione diſſuaſit è cujus ſemine per P. Claudium Pulchrum maternum, & per Tiberium Claudium Neronem paternum Tiberii Imp. ſtemma deductum eſt.

3649 Laogarius [61] Lore Hugonio [60] patri ſucceſſit
16 Rex Hib. ſedecim annos (*e*).

Laogaire Lore.
e *Ged. Cluan.*

In tertiâ Græcorum Monarchiâ Synchroniſmi author reges Ægypti ſic proſequitur; *Coævi habentur Ptolomæus Lagides, & Hugonius-Magnus*; ita apud me ab anno 3627 (quo Lagides ab Alexandri morte Ægyptum occupavit, & tenuit 40 annos) ad Hugonii finem hoc anno 3649.

3649 V. C. 453 M. Æmilius [62] Paulus L. Æmilii [61] filius & M. Livius [62] Denter. Coſſ. cujus Livii trinepos C. Livius [68] Druſus Conſul anno V. C. 607 fuit abavus Liviæ [72] Druſillæ Auguſtæ Tiberii Imp. matris.

3653 Antipater [61] (ſeu Antigonus) & Alexander [61] Caſſandri [60] (ex

3653 Theſſalonicâ

3653 Theſſalonicâ [60] Alexandri [60] Magni per concubinam ſorore) filii Reges Macedoniæ.

3657 Demetrius [60] Poliorceta Caſſandri [60] per Philam Sororius (Rex Aſiæ poſt patrem Antigonum ab anno 3651) ab Alexandro adverſus Antipatrum fratrem in auxilium vocatus Alexandrum interficit, & regnum Macedoniæ occupat; donec à Seleuco genero ſuo (ex in rege Aſiæ) devictus anno 3663, in cujus cuſtodiâ poſt triennium interiit (*f*) Pyrrhus Epyri Rex in Macedonia excipit dies 210. Illum Lyſimachus unus è ducibus Alex. Magni hactenus Rex Thraciæ: Hunc Ptolemæus Ceraunus dies 270. Dein Meleager dies 60. Antipater dies 45. Soſthenes annos 2. Hinc regnum tandem rediit anno 3671. ad Demetrii filium Antigonum Temenidis (regio Macedoniæ ſtemmate) Herculis proſapia oriundum. Ita Seleucidæ reges Syriæ obtinent Aſiam. Viciſſim Antigoni poſteritas ex Aſiâ pulſa obtinet Macedoniam.

f Juſtin. hiſtoricus.

3661 Fiachnaus [62] Huamunkenni [60] ex Fedlimio filio nepos Rex Ultoniæ ſedecim annis.

16

e Cod. chron.

3665 Cobthacus [61] Laogarii [61] regis frater Rex Hiberniæ annos ſeptemdecim (*e*). *Ptolomæus Philadelphus, Laogarius, Cobthaeus, & Lauradius coævi.* Synchroniſm.

17

Cobthac Cáolbreg.

3665 V. C. 469. M. Æmilius [63] Paulus Lepidus M. Æmilii [62] filius Conſul.

3667 Olymp. 124. anno 1. (*f*) filius Ptolomeus [62] Philadelphus Ptolomæi Lagidis filius ex Beronica [61], que fuit patruele Caſſandri [60] regis Macedoniæ ſata à morte patris (nam annum vivente patre regnavit) (*g*) Rex Ægypti. Eruditorum cultor præcipuus, cujus anno 3667 regni

f Polibius, & Euſeb.

g Juſtin. l. 16; Joſeph. l. 12. c. 2.

h Epiphanius de mensuris, & ponderibus.

3667 regni 17 (*h*) celeberrimam suam Alexandriæ Bibliothecam Sacrarum Scripturarum ex lingua Hebraica in Græcam à 72, viris doctissimis facta versione decoravit (*i*).

i Epiphan. Euseb, Joseph.

3669 Antiochus [61] Soter Seleuci [60] filius, & Successor in Asiæ Minoris, Syriæ, & Babyloniæ dominiis. Cui Stratonica [61] Antigoni [61] Gonatæ Soror è novercâ facta uxor, quam pater Seleucus sibi nuptam deperienti filio cessit.

3671 Antigonus [61] Gonatas Demetrii [60] ex Phila [60] filius Rex Macedoniæ.

3677 Darius [63] Fiachnai [62] ex Forgao fratre nepos
72 Rex Ultoniæ annos septuaginta duos.

Labhraidh Loingseach

3682 Lauradius [63] Navalis Laogarii [61] regis ex O-
14 lillo Aine filio nepos Rex Hiberniæ annis quatuordecim (*e*).

3686 V. C. 490. Appius [60] Claudius Caudex Cæci [60] frater cum M. Fulvio Flacco Consul. Primus Pœnis arma intulit, copiis in Siciliam traductis. Unde belli Punici primi initium.

3690 Antiochus [62] Theos Antiochi [61] Soteris ex Stratonicâ [61] filius Rex Syriæ, &c.

3695 V. C. 499. M. Æmilius [64] Paulus filius M. Æmilii Consul (*e*).

Mélge Molbthach

3696 Melga [63] Laudabilis Cobthachi [61] regis filius
12 Rex Hiberniæ annis duodecim (*e*).

3701 V. C. 505. P. Claudius [62] Pulcher Appii [60] cæci nepos Consul cum L. Junio Pullo ob rem malè contra Pœnos contemptis auspiciis gestam publico judicio damnatus.

3704 Ptole-

3704 Ptolomæus [63] Evergeta Philadelphi [62] filius Rex Ægypti.

3705 Seleucus [63] Callinicus Antiochi [62] Thei filius Syriæ Rex.

3707 Demetrius [62] II. Antigoni [61] Gonatæ filius Rex Macedoniæ.

3708 Mogcorbus [63] Reacti [60] regis ex Heberi pro- k *Cod. Cluan.* Mogcorb.
6 genie nepos Rex Hiberniæ sexennio (*k*). 60 *Reactus ad an.* 3610.

Ptolomæus Evergeta, Mogcorbus, Æneas Ollam, & Hierngleo coævi. Synchron.

3714 Æneas [63] Ollamh, i. Doctor Lauradii [63] regis è 61 *Cobthachus* Cōmh.
7 Lageniæ Herimonijs nepos Rex Hiberniæ sep- 62 *Mogcorbus* Mongus Ol-
tem annos (*k*). lam.

3714 V. C. 518. M. Livius [63] filius M. 63 *Lauradius ad an.* 3682.
Livii [62] Dentris Decemvir cum 64 *Olillus* Olcaeh.
M. Æmilio [64] faciendis ludis se- 65 *Æneas Ollamh.*
cularibus.

3717 Antigonus [63] Docon Antigoni [62] Gonatæ ex notho nepos ex tutore Philippi patruelis, cui vitricus etiam erat; Rex Macedoniæ. Justin. l. 2.

3718 V. C. 522. M. Æmilius [65] Lepidus M. Æmilii [64] Pauli Filius Consul.

3721 Irereo seu [63], Hierngleo Fathach Melga [62] regis Iarngleo
6 filius Rex Hiberniæ sex annos (*k*). Fathach alias Irereo.

Septem annos Dungall. annales ex G. Coemano habent: duo alia G. Coemani exemplaria octennium referunt; nos sexennium ex codice Cluan: assignamus.

3725 Seleucus [64] Ceravnus Seleuci [63] Callinici filius Rex Syriæ.

3727 Fercorbus [63] Mogcorbi [62] regis filius Rex Hiber- Fercorb.
7 niæ septennio. (*k*)

3717 Anti-

3727 Antiochus [64] Magnus Seleuci [64] frater Rex Syriæ. Antipater [65] Seleuci filius sub patruo pacis internuncius ad Ægyptos, & Romanos.

3730 Philippus [63] Demetrio [62] II. ac Pthia [62] Pyrrhi [60] regis Epyri nepte natus Rex. Macedoniæ post vitricum suum Antigonum [63] Docon.

3730 Ptolomæus [64] Philopator filius Ptol. [63] Evergetæ Rex Ægypti.

3731 V. C. 535. M. Livius [64] Salinator M. Livii [63] filius & L. Æmilius [65] Paulus M. Æmili [65] Lepidi frater Consules de Illyriis triumpharunt. M. Livius [65] Salinator filius Livii [64] M. Livium [66] Æmilianum Drusum (ex Drauso hostium duce cominus cæso dictum) ex Æmilia gente adoptavit.

Conla Cruadhócglach. 3734 4 Conla [64] Hierngleonis [63] regis filius Rex Hiberniæ quadriennio (*k*) *Ptolomæus Philopater, Fercorbus, & Conla coævi.* Synchron.

3734 V. C. 538. L. Æmilius [65] Paulus, & C. Ter. Varro Coss. ad Cannas occubuerunt.

Oilioll Caithiaclach. 3738 25 Olillus [65] Denti scaber Conlæ [64] patri successit Rex Hiberniæ 25 annos.

3739 V. C. 543. P. Sulpitius Galba [63] primus hujus familiæ Consul contra Philippum [63], Macedonem mittitur.

3743. V. C. 547. M Livius [64], & C. Claudius Nero consules de Asdrubale Annibalis fratre ad Metaurum victo triumpharunt. 3745 V.

3745 V. C. 549. Sergius Sulpitius Galba [64] P. [63] Sulpitii filius Ædilis in Asiam missus ad transportandam magnam matrem deorum. V. C. 556.

3747 Ptolom. [65] Epiphanes Ptol. Philopatoris [64] filius, & Antiochi [64] Magni per Cleopatram [65] filiam gener quinquennis succedit Rex Ægypti.

3749 5 Ennius [63] Rochi [62], qui fuit patruus Darii [63] decessoris filius, Rex Ultoniæ quinquennio.

Post hunc Tigernachus habet Fiachum filium Fiadchon regem Ultoniæ duodecim annos. De quo nihil alibi invenio, & refragatur certo numero regum, & annorum hujus seriei.

3754 2 Finchadus [65] Darii [63] ex Baccho filio nepos Rex Ultoniæ duos annos.

3756 Conquovarus [64] Moel ex Fuithio fratre nepos Darii [63] Rex Ultoniæ annos duodecim.

3759 V. C. 563. L. Æmilius [66] Paulus L. Æmilii [65] filius Antiochum Magnum classe superavit.

3760 V. C. 564. Antiochus [64] Magnus à L. Scipione Asiatico Africani fratre ad Magnesiam victus Magna Asiæ parte mulctatur. Judæis inde indulget.

3762 V. C. 566 Serg. Sulp. Galba [65] filius Serg. Sulpitii Galbæ [64] factus curulis.

3763 5 Adamarius [64] ex Heberiis Fercorbi [63] regis filius

3763. Rex

Adamar. Foltcadom.

3763 Rex Hiberniæ quinque annos.
Ptolomæus Epiphanes, Adamarius, & Achaius coævi. Synchronismus.

3764 Seleucus [65] Philopator (à Josepho Sotor dictus) filius Antiochi [64] Magni Rex Syriæ.

k *Codex Cluan.* Coéaiö foltlęćan. *vel* foltlębar.

3768 07 Achaius [66] Comatus Olilli [65] regis filius Rex Hiberniæ septem annos (*k*).

3768 17 Cormachus [66] Lathagii filius, Conquovari [64] Moel nepos Rex Ultoniæ annis septemdecim.

3768 V. C. 572. L. Emilius [66] Paulus Consul de Liguribus triumphavit. Sextus Julius [66] Cæsar Julii Cæsaris Dictatoris abavus sub eo meruit Tribunus militum.

3771 Ptolomæus Philometor [66] ex Ptol. Epiphane [65], & Cleopatra [65] genitus Rex Ægypti.

3774 V. C. 578. C. Sulp. Galba [66] filius Sergii Sulp. Galbæ [65] Pontifex Maximus.

Fęrğus Fortęimil.

3775 12 Fergusius [67] Fortis Bresalii filius Æneæ [65] regis ex Herimoniis Lageniæ nepos Rex Hiberniæ duodecim annos. (*k*)

Ptolomæus Philometor, & Fergusius Fortis coævi. Synchron.

3775 Græcorum Anno 137. Antiochus [65] Epiphanes Seleuci [65] frater regnavit *Anno centesimo, tricesimo, septimo regni Græcorum* [*l*] hoc est, ab Ann. 3639 inclusivè quo seleucus Nicanor cœpit.

1 *Machab.* c. 1. v. 11.

3782 V. C. 586. L. Æmilius [66] Paulus 2. cum C. Licinio Crasso Con-

3882 sul

3782 ſul Perſea [64] Philippi [63] regis filium, qui Q. Fulvio, & L. Manlio conſulibus Anno V. C. 575. regnare cœpit, ultimum Macedoniæ regem evertit.

3782 V. C. 586. Serg. Sulp. Galba [67] C. Sulp. Galbæ [66] ex P. Sulpitio fratre nepos Tribunus militum contra Perſea.

3783 Græcorum 145 (*m*) Mathatias [65] Aſmonæus ſacerdos ex familiâ Jojarib contra Antiochum [63] Epiphanem in Judæos ſævientem, & hoc anno Templum Novembri profanantem primus arma induit. Mathatiam anno ſequenti mortuum excepit filius tertiogenitus Judas [66] Machabæus. (*m*) *Ibid. v.* 57.

3785 Morteus filius Murchorachi Rex Ultoniæ per triennium.

3786 Græc. 148. Per. Jul. 4549. 25. menſis Caſleu, i. 24 Novembris, & feria 2. Encænia Templi Hieroſolymitani à Juda Machabæo inſtaurati celebrata.

3787 Ænæas [67] Turmeach Achaii [66] regis filius Rex
32 Hiberniæ triginta duos annos.

3787 Antiochus [66] Eupator patri Antiocho [63] Epiphani ſucceſſit Rex Syriæ puer ſub tutela. Longus Trimet.

3788 Ennius [66], vel Achaius Conquo-
4 vari [64] Moel è Dario filio nepos Rex Ultoniæ quadriennio.

Cormachum, Morteum, & Achaium hunc rectè hoc ordine immediatè poſt Conquovarum Moel ſibi invicem ſuccedentes habet Tigernachus.

3789 Græc. 151. lib. 1. Macchab. c. 7. v. 1. Demetrius [66] Soter Seluci [65] Philopatoris filius Rex Syriæ Judam Ma-

57 Argetmarus ad an. 3593.
58 Fomarius.
59 Lubius.
60 Rossius.
61 Simbius.
62 Indercus.
63 Olassius
64 Cantbrius.
65 Foebar Dii.
66 Felginus.
67 Dubius.
68 Siricus.
69 Rudricius.

3789 chabeum per Nicanorem & Bacchidem oppugnavit.

3789. Græc. 152 ibidem cap. 9. v. 3. Jonathas [66] fratrum natu minimus Judæ Machab. fratri occiso successit Anno Græcorum 152 à verno tempore inchoante in Anno Per. Julianæ 4553.

3792 Rudricius [69] à Fomario [58] filio Argetmari [57] ex 70 Hiri domo Regis Hiberniæ undecimus Rex Ultoniæ septuaginta annis.

3793 V. C. 597. Sex. Julius [67] Cæsar filius Sex. Julii [66] Cæsaris, & L. Aur. Orestes Coss.

3798 Græco. 160. lib. 1. Machab. c. 10. v. 1. Alexander [66] Epiphanes (dictus etiam Bala, seu Veles) Antiochi [65] Epiphan. filius nothus Rex Syriæ Jonathæ, & Judæis amicus.

3803 V. C. 607. C. Livius [68] Drusus Livii [66] Æmiliani (supra ad an. 3731) nepos Consul cum P. Corn. Scipione Africano Æmiliano.

3805 Græc. 167. lib. 1. Machab. c. 11. Demetrius [67] Nicanor Demetrii [66] Soteris filius Rex Syriæ.

3805 Græc. 167 ibidem Ptolom. [66] Evergeta Phiscon fratris Ptol. Philometoris [66] defuncti regno, & thalamo successit Cleopatræ [66] germanæ, & glotis maritus Rex Ægypti 29 annos.

3806 Serg. Sulp. Galba [68] filius Sergii Sulp. Galbæ [67] consul cum L. Aur. Cottâ; celebris eloquentiâ.

3807 Græc. 170 lib. 1. Machab. cap. 13.

3807 Simon

3807 Simon [66] Mathatiæ 2 genitus Dux populi Judæorum, & ſummus Sacerdos poſt Jonathan fratrem.

3815 Grec. 177 ibidem c. 16. anno ſabbatico Joſeph. 13. c. 14. Joannes [67] Hircanus Simonis [66] filius Dux populi & ſummus ſacerdos poſt patrem in Januario occiſum.

3819 Conallus [68] Columnaris Ederſcolii filius Æneæ [67] patruo ſucceſſit Rex Hiberniæ quinque annos. Conall. Columnaris.

3824 Niaſedamon [67] ex Heberi domo Adamarii [64] regis filius Rex Hiberniæ annis ſeptem. Niaſedamon.

Adamarii adminus pronepotem facio hunc, ut coævis reſpondeat; qui 56 annis ab Adamarii morte regnum iniit: alii 63. annos (*n*), alii 93. interponunt. n *Keting.* o *Dungall. annales.*

Ptolomæus Evergetes Phyſcon, Æneas Turmeach, Conallus Columnaris, Niaſedamon, & Ennius Aigneach coævi. Synchron.

3827 V. C. 631. Sex. Julius 68 Cæſar Sex. Julii [67] Cæſaris filius Prætor repentè extinctus Romæ, dum calceabatur.

3827 Antiochus [68] Gryphus Demetrii [67] Nicanoris filius Rex Syriæ poſt Antiochum [67] Theum Alexandri [66] Epiphanis filium, Antiochum [67] ſedetem patruum ſuum, & Alexandrum Zebennam Demetrii interfectorem reges Syriæ ſucceſſivè. Grypho huic ab anno regni nono cum fratre uterino Antiocho [68] Cyziceno Antiochi [67] ſedetis filio perpetuum bellum interceſſit de regno.

3828 V. C. 632. M. Livius [69] Druſus filius C. Livii [68] Druſi Tribunus plebis contra C. Gracchum patronus ſenatus dictus.

3828 Anno

(p) Codex Cluan Curoa Aighneè.

3828 Anno V. C 642. Conful. Anno V.C. 645. obiit cenſor cum M. Æmilio.

3831 Ennius [68] Aighneach Æneæ [67] Turmeach Herimonis è gente filius Rex Hiberniæ decem annos (*p*).

3834 Ptolomæus [68] Lathyrus Philometoris [66] ex Cleopatra [67] Minore nepos, & Phyſconis [66] filius Rex Ægypti. Regnat cum matre annos 16. quo deinde 10 annos ejecto, frater ejus Ptolom. Alexander [68] regnat, qui matrem trucidavit. Alexandro mortuo, iterum regnat octo annos.

Crimthann Coſgrach.

3841 Crimthannus [69] Coſgrach Ferguſii [67] Fortis è Lageniæ Herimoniis nepos Rex Hiberniæ quadriennio.

[67] Fergus: Fortis ad an. 3775.
[68] Ptolimius Philometor.
[69] Crymthannus Coſgrach.

In Lageniorum genealogiâ ſeptem generationes inter Crymthannum hunc, & Breſalium Breac, habentur. Verum Breſalii poſterorum tempora, nec ratio finit, quin (omiſſis his ſeptem, de quibus utrum unquam in rerum natura fuerint, nuſquam alibi mentio) Breſalius [70] ipſius Crimthanni [69] filius fuerit. Breſalio duo filii extiterant; viz. Lugadius [71] Lotſion Nuadi [72] Nivei regis Hiberniæ avus, & Conlaus [71] Oſſoriorum ſator. Tertium ego adjicio Ferguſium [71] Æquoreum ſtirpem regum Lageniæ; quem alii Nuadi Nivei regis filium volunt; atque ita à Crimthanno rege duodecimum. Sed Ferguſii è Roſſio Ruſo nepotes Carbreus Niafear rex Lageniæ, Olillus rex Connactiæ, & Finnius, à quo Lagenii, Nuado ætate pares erant, & infra proximum à Crymthanno elapſum Sæculum floruerunt.

[69] Crimthannus Coſgrach.
1 Mega-Art.
2 Art.
3 Allad.
4 Nuad.
5 Feradach.
6 Olill.
7 Fiachus.
[70] Breſalius Breac.

Rudricius

3845 Rudricius [69] Rex Ultoniæ anno Principatus 53
17 Rex Hiberniæ ſeptemdecim annos; ut ex Ultoniæ regum æra colligi neceſſe eſt.

Ptolomæi Lathiri, & Ptolomæi Alexandri fratrum tempore in Hibernia ſucceſſive regnarunt Crimthannus

3845 *Coſ-*

3845 *Cosgrach, Rudricius, Innatmarus, Bresalius, & Lugadius Luagne.* Ita vetus Synchronismi author. Unde liquet illum nequaquam sensisse Rudricii imperium super Hiberniam ad annos septuaginta perduraſſe, ut illi sentiunt, qui totidem monarchiæ perperam concedunt.

3846 Aristobulus [68] Joannis [67] Hircani filius primus Asmonæorum, seu Machabæorum è familia Rex Judææ à casu Sedechiæ [51] annis 486.

3847 Alexander [68] Jamneus Aristobuli [68] frater Rex Judææ & summus Sacerdos.

3854 V. C. 658 Cn. Domitius [70] Ænobarbus Neronis Imperatoris atavus Consul cum C. Cassio Longino.

3856. Seleucus [69] Gryphi [68] filius Rex Syriæ.

3859 V. C. 663. M. Livius [70] Drusus M. Livii [69] filius Tribunus plebis. Qui L. Livium * Drusum Claudianum ex Claudia gente filium adoptavit patrem Liviæ [71] Drusillæ Augusto [72] nuptam.

3862 Innatmarus [68] Hebero satus Niasedamonis [67] filius Rex Hiberniæ triennio. 3 Ἰνατμαρ. *Cod. cluan.*

3862 Bresalius [70] Rudricii [69] regis filius patri succedit in Ultonia duodecim annos. 12

3862 Philippus [69] Seleuci frater, Gryphi [68] filius, Demetrio Eucæro fratre à Parthis capto, solus Rex Syriæ post Antiochum [69] Eusebium Cyziceni [68] filium, qui post occi-

3862 sum

3862 ſum ab eo ſeleucum regnavit, donec antiochus occiſi frater eum regno exuit.

3864 Tigranes Rex Armeniæ ob inteſtina Selucidarum bella à Syris evocatus Rex Syriæ. Interea Antiochus 7° Aſiaticus Euſebii [69] filius in Cilicia deliteſcit uſque ad Tigranem à Luculio victum.

3865 Breſalius 7° rex Ultoniæ poſt tres annos Rex
9 Hiberniæ novennio. Dungall. Annales undecim annos tribuunt ex G. Coemani poemate; ſed aliud ejuſdem poematis exemplar novem annos, quemadmodum ego juxta regum Ultoniæ æram calculo, tantum habet; Codex Cluanenſis decem annos ajudicat, ſed decimus incompletus cenſendus.

3865 V. C. 669. C. Julius [68] Cæſar ſexti Julii [68] è patruele genitus prætura functus mortem obiit repentinam Piſis, etiam dum calceabatur.

3868 Ptolomæus [69] Auletes Ptol. [63] Lathyri filius (Dionyſius Diodoro dictus) Rex Ægypti.

Lugaõ. Luaigne,

3874 Lugadius [66] Luagne Innatmari [69] regis Hiberiâ è domo filius Rex Hiberniæ quindecim
15 annos.

3174 Achaius Sulbhuidhe filius Lochii
3 Rex Ultoniæ tres annos poſt Breſalium regem Hiberniæ defunctum. Hunc poſt Achaium (ſupra ad an. 3788). regem Ultoniæ locat Tigernachus, & poſt hunc Fergulium filium Ledei; nempe Rudricium, Breſalium, Congalium, & Factnaum inter reges Ultoniæ numerandos non cenſuit, quia non Ultoniæ tantum, ſed etiam univerſæ Hiberniæ reges evaſerant.

3874 Alex-

3874 Alexandra Salome ab Alexandri [68] Jamnei mariti morte Regina Judææ.

3877 Congalius 7° Breſalii 7° regis frater
15 Rex Ultoniæ quindecim annos.

3882 Antiochus 7° Aſiaticus à Lucullo Syriæ reſtitutus, devicto Tigrane. Poſt annum Tigranes ſe recolligit, & Pompeio fit ſupplex.

3883 Hircanus [69] ſummus ſacerdos Jamnei [68] filius matri in Judæa ſucceſſit rex. Mox à fratre Ariſtobulo pulſus.

3885 Græcorum 247. Syria, Seleucidis ſeipſos inteſtinis bellis mutuo dilacerantibus in Provinciam Rom. à Pompeio redigitur, Antiocho Aſiatico rejecto annis 246. poſtquam Seleucus Nicanor totius Aſiæ imperium condidit.

3887 V. C. 691. M. Tullio Cicerone, & C. Antonio 7° Hybrida M. Antonii [71] Triumviri patruo, & ſocero conſulibus; C. Octavius Auguſtus 7ª Cæſar Romæ natus eſt die 23 Septembris paulo ante ſolis ortum: cujus ſc. Auguſti diebus brevi poſtea ortus eſt Sol Juſtitiæ, & poſt tenebrarum diutinam noctem mundo illuxit.

——*Aurea condet ſecula qui rurſus Latio.* Æneid. l. 6. Ut de ejuſdem Auguſti tempore obiter, ſed commodum præcinuit poetarum Latinorum princeps.

3887 Hircanus [69] à Pompeio, captâ Hieroſolymâ, ſacerdotio, ſed non regno reſtitutus. Deinde anno circiter 3913 abductus à Parthis, & poſt annos ferè quinque rediens honorificè habetur ab Herode à quo tandem anno 3920 necatur. Joſeph. lib. 15 c. 7.

r *Æra regum Ultoniæ.*

Congalius Clairingneach.

3889 Congalius [70] rex Ultoniæ fit Rex Hiberniæ tres
3 annos (r) *Congalius Clairingneach à Ptolom. Dionysii tempore regnum auspicatur.* Synchronismus.

3891 V. C. 695. C. Julius [70] Cæsar filius C. Julii [69] Cæsaris, & M. Calphurnius Bibulus Coss.

Duach Dalta Deagad.

Deagus ex Herimoniis Rex Momoniæ de quo infra ad an. 3923.

67 *Æneas Turmeach ad an.* 3787.

68 *Fiachus Fermara.*

69 *Olillus Aronn.*

1 *Feradachus.*

2 *Forgo Scotorum Fergusius primus.*

3 *Manius.*

4 *Arvilius.*

5 *Rudricus.*

6 *Fr.nus.*

7 *Chil in Hibernico non habetur.*

8 *Rosenus.*

70 *Senus.*

71 *Deagus.*

3892 Duachus [71] Heberio è sanguine Lugadii [69] re-
7 gis è Carbreo Lusco filio nepos Rex Hiberniæ septennio. (Codex Cluan.) Duacho regnante, Deagus [71] filius Seni, Olilli Arom nepos, Æneæ [67] Turmeach regis Hiberniæ è Fiacho [68] filio abnepos ex Herimoniâ gente in Momoniam ex Ultonia pulsus est à quo Duachus rex Deagi alumnus cognominatur. In Momonia ditionem adeptus universæ Momoniæ gubernaculo post Duachi mortem potitus est; ut & Deagadæ posteri ejus modo alternatim cum Heberiis, modo simul, his Boreali, illis Australi Momoniæ præfectis.

In genealogiâ regum Scotiæ, qui huic Deago originem debent, septem, aut octo gradus inter Senum [70] Deagi [71] patrem, & Olillum [69] Aronn redundant, ut tempora, & coævos conferenti luculenter patebit: nec de ullo ex iis 7. aut 8. quidquam alibi constat, nisi quod moderni Scoti unum ex iis Forgo suum Fergusium primum Alexandro Magno coævum faciant. Ut autem inter Æneam [67] regem illius fictitii Forgo abavum, & Hugonium [60] Magnum Alexandri æqualem septem intersunt generationes & consequenter undecim generationes ad Forgo, ita ab Æneæ initio, & Anno 3787. ad annum 3892. & Duachi initium non multo plus centum annorum intervallum ne vix quidem sufficiet undecim, aut duodecim generationibus procreandis.

3892 Fachtnaus [71] Fathach Rudricii [69] regis è Cassio
30 filio nepos Rex Ultoniæ triginta annos.

3895 V. C. 699. C. Julius [70] Cæ-

3895 sar

3895 far Romanorum primus in Britanniam cum exercitu penetravit. C. N. Pompeio Magno 2. & M. Licinio Crasso 2. consulibus.

3895 V. C. 699. Serg Sulpitius Galba 7° filius Serg. Sulp. Galbæ 69 prætoram gessit cujus patruus C. Sulp. Galba primus è sacerdotum collegio judicio publico damnatus. [s] *Cælius apud Ciceronem lib. 8. Epistolarum famil. 4.*

3896 V. C. 700. L. Domitius 71 Ænobarbus C. N. Domitii 7° filius Consul cum Appio Claudio.

3899 Ptolom. 7° Dionisius Ptol. 69 Auletæ filius Cleopatræ 7° sororis primus maritus Rex Ægypti ex testamento patris, Marcello consule (Anno V. C. 703.) defuncti (s).

3899 Fachnaus Rex Ultoniæ fit Rex Hiberniæ annos 24 viginti quatuor. Quatuor de viginti annos G. Coemani unum exemplar, & ex eo Dungal. annales habent; aliud vero in Codice Lecano exemplar conformiùs cum regum Ultoniæ calculo quatuor, & viginti annos designat. In 24 item annorum tempore codex Cluanensis concurrit. Postremum vero annum vicesimum quartum oportet esse in completum, cum triginta annos in universum regnaret in Ultonia ab Anno sc. 3892. ad an. 3922. Fachtna Fatac.

Cleopatræ Reginæ tempore Fachtna rex Hiberniæ, Synchron.

3901 V. C. 705. C. Julius 7° Cæsar Cn. Pompeium Magnum in acie Pharsalicâ profligavit.

3902 C. Julius 7° Cæsar II. Consul. cum P. Servilio Vatiâ Isaurico monarchiam invasit oppressâ Reip. libertate Anno V. C. 706.

In Ægypto Pt. Dionysius 7°, Pompeio profugo neca-

3902 to, parum ab fuit, quin Cæsarem etiam opprimeret, sed in Nilo obrutus periit. Quo bello instructissima Philadelphi bibliotheca exarsit. Cæsar Ægypti regnum Cleopatræ 70 (ex qua tum Ptolomæum Cæsarionem progenuit) & Ptolomæo. Juniori fratri tradidit secundo Cleopatræ marito.

Antipater 70 Idumæus procurator Judææ à Cæsare 70 constituitur Herodis pater.

3905 V. C. 709. C. Julius 70 Cæsar quinto Consul. annum reformavit.

3906 V. C. 710. C. Julius 70 6 Consul Idibus Martii in Senatu confossus occubuit 56 annos natus, septem annis Pompeio Junior.

3908 V. C. 711 M. Antonius 71 per matrem Juliam 70 sexti Julii 67 Cæsaris abnepos: C. Octavius postea Augustus 72, cujus avia materna Julia 70 C. Julii 70 Cæsaris soror, tum 20 annos natus & M. Æmilius 71 Lepidus M. Æmilii 65 Lepidi (Anno V. C. 522. Consulis) trinepos 27 die Novembris contra senatum, & patriam societatem ineunt constituendæ reipub. Triumviratus nomine, senatores proscribunt, è quibus M. Tullius Cicero ab Antonianis occisus, orbem Romanum inter se dividunt.

3909 V. C. 713. Tiberius Nero uxorem suam Liviam 72 Drusillam L. Livii 71 (super ad an. 3859.) filiam C. Octavio Augusto in Matrimonium tradidit tum Druso gravidam. Augustus 72 Tiberium 73, & Drusum filios adoptavit, Tiberio Juliam 73 filiam, quam ex Scribonia genuit, M. Vipsanii Agrippæ viduam, Druso Antoniam 73 Minorem Octaviæ sororis filiam elocavit.

3910 Per Julianæ 4673 Antigonus 70

3910 Aristo-

3910 Aristobuli [69] filius hostis Hircani [69] patrui, & Herodis; Hierosolymam Parthorum ope occupat Regem Judææ se ferens.

3911 V. C. 714. Per Jul. 4674. Herodes [71] Magnus Ascalonita gente Idumæus, cui uxor Mariamne Antigoni [70] ex Alexandro fratre, & Hircani [69] ex Alexandra filia neptis, Romæ mense Decembri Rex Judææ ab Octavio, & Antonio salutatur. Cn. Domitio Calvino, & C. Asinio Pollione Coss.

3913 Per. Jul. 4677. Anno Sabbatico. Antigonus [70] à C. Sosio Romano captâ Hierosolymâ, virgis cæsus capite plectitur Asmonæorum rex ultimus, & Herodes in plenam regni possessionem immittitur, M. Vips. Agrippa Augusti genero, & L. Caninio Gallo consulibus Anno. V. C. 717 mense Julio. Tum appropinquabat salus mundi, cum exiret sceptrum de Juda, hoc est de gente Judaicâ. *Joseph. lib. 14. Cap. 28.*

3918 V. C. 722. Cn. Domitius [71] Ænobarbus filius L. Domitii [71], & C. Sosius Consules.

3919 V. C. 723. C. Octavius [72], Lepido Triumviro prius in ordinem redacto, M. Antonium die 2. Septembris navali prœlio Actiaco superavit; Se 3 & M. Valerio Messala Corvino Coss. Anno Nabonassareo 718 die 3 mensis Thot anno. Per Jul. 4683.

Hircanus post Actiacam victoriam ab Herode progenero violenta morte jam grandævus sublatus Anno M. 3920.

3920 V. C. 724. Cleopatra [70] Ptolemaidum Ægypti ultima, & M. Antonius [71], 29. Augusti mensis die captâ ab Augusto Alexandriâ, mortem sibi consciscunt. Octavius Ægyp-

3920 tum

3920 tum in provinciam Rom. redigit. Hinc æra Actiaca Ægyptiorum à die 31. ejusdem Augusti cum Anno Nabonass. 719. inchoante fluit. Solus tum Octavius Romanum imperium moderatur C. Julius Cæsar Octavianus Divi filius dictus, & Anno V. C. 726. Per. Jul. 4686. die 17 Januarii Augusti nomine à senatu insignitus.

Eochaid Fedhloch. 3922 Achaius [72] Fedhloch Ennii[68] Aigneach regis 12 abnepos Rex Hiberniæ duodecim annos.

Contextus genealogicus in rectâ Heremoniæ stirpis linea hucusque ad amussim consentaneus heic propter regiæ dignitatis interstitium inter Achaium hunc, & Ennium Aigneach, quod nunquam ante nisi semel ultra nepotem, pronepote eâ potito, neque post usque ad Nielli Magni posteros contigit, parum relaxatur adeo ut Achaium hunc alii septimum, alii octavum ab Ennio faciant. Verum infra octoginta, & unius annorum spacium ab illius exitu ad hujus initium hunc quartam generationem attigisse sufficit, ut à Synchronorum gradum non exorbitet; vix etiam pluribus per ætatem ad generandum puberem locus datur.

Achaii igitur pater Finnius [71], qui & Finnlogus dictus, avus Rognenus [70] Rufus, proavus Esamon [69] Emanius, abavus Ennius [68] Aighneach rex Hiberniæ.

Finnium eundem, ac Finnlogum confirmat Codex Lecanus (*t*), in quo ita; *Bebondia, vel Finnia filia Crimthanni mater Achaii Fedloch, & Achaii Aremon regum Hiberniæ, quorum pater Finnius filius Rogneni Rufi.* & ibidem alibi (*u*). *Achaius Fedloch filius Finnii filii Rogneni Rufi filii Esamonis Emanii* habetur. Ex octo reliqui sunt Blatactus, Beotactus, & Lauradius Lorc subditicii: è quibus Beothactum O Duveganus in poemate genealogico regum Hiberniæ non ponit, nec Ketingus in Achaii genealogiâ.

3922 In

t *fol.* 194. *a.*
u *fol.* 73. *b.*
68 *Ennius Aighneach ad an.* 3831.
1 *Laur ad Lorc.*
2 *Beothactus.*
3 *Blatact.*
69 *Esamon.*
Camnd.
70 *Rognenus Rufus.*
71 *Finnius, seu Finnlogus.*
72 *Achaius Fedloch.*

3922 In quartâ imperii Romani monarchiâ ita progreditur sæpius citati Synchronismi author. *C. Julio Cæsare Octaviano Augusto* imperante regna sua inierunt successive in Hibernia *Achaius Fedhloch, Achaius Arem, Ederscolius, Nuadus Niveus, & Conarius: Conarius Tiberii, Caligulæ, & Claudii Imperatorum regna regnavit.* Augustus vivere desiit anno æræ Christianæ 14. Conario meis rationibus continuo regnante ab anno Christi primo ad sexagesimum, interim Claudius anno Christi 54 exiit è vita.

Ut Achaii inchoantis certum definit tempus æra irrefragabilis regum Ultoniæ Factnai decessoris exitu; ita Conarii exitum annus primus Euryali regis Ultoniæ, ut habet idem Synchronismus, & Tigernachus. Ab Achaii igitur initio ad Conarii finem anni interjecti sunt Octoginta septem.

3922 Fergusius [71] Rudricii [69] regis ex 12 Ledeo filio nepos Rex Ultoniæ duodecim annis. De hoc ita Synchronismus; *Octavianus Augustus duobus annis imperavit, cum Fergus Ledei filius factus esset rex Ultoniæ.* Et Codex Lecanus Octaviani, *anno secundo Fergus filius Ledei rex Ultoniæ.* A pugna Actiaca, duobus elapsis, hic est annus tertius: æræ autem Augusti Ægyptiacæ à capta Alexandria secundus. *Cod. Lec. Fol.* 178. *b.*

3923 Anno Cuculandi herois natalem præcedente, qui anno æræ Christianæ secundo viginti septem annos natus ab authoribus signanter traditur denatus, Achaius rex Hiberniæ Hugonii Magni divisionem trecentis jam annis fixam refixit. Quo tempore provinciarum quinque partitarum Reges fuere Fergusius [71] Ledîdes Ultoniæ, Deagus [71] (*w*) filius Seni, & Tigernachus Tedbannach utriusque Momoniæ, Rossius [72] Rufus filius

(*w*) *ad annum* 3892.

3923 Fer-

x *ad an.* 3841. 3923 Fergusii 71 (x) Lageniæ, Fidhicus filius Fegi, Achaius Allat, & Finnius filius Conrii tripartitæ Connactiæ.

3924 Cuculandus ille memorabilis pugil in lucem editus est tam anno post rescissam Hugonii Magni Hiberniæ divisionem primo quam annis 25. ante caput æræ Christianæ: septemdecim annorum octennio ante caput æræ Christianæ: cujus æræ anno secundo 27. annos natus viventium numero ademptus quadringentis, triginta, & uno anno ante S. Patricii in Hiberniam missionem, ut apud diversos sigillatim configuratum invenio (y).

y *Cod. Clum. Synchronism. apud O Duvegannum fol.* 105. *a. Cod. Lecan. fol.* 178. *b. & Chronicon Scotorum ad an.* 432.

3928 V. C. 732. Paulus Emilius 71 Lepidus M. Æmilii Triumviri frater Censor cum L. Munacio.

3934 10 Achaius 72 Aremh decessoris germanus Rex Hiberniæ decennio. Huic alii quindecim annos, alii duodecim tribuunt, sed reliquorum tempora annos decem tantum admittunt.

Εοὰιὸ Αιγεῖν.

3934 3 Fergusius 71 Rogius, patre Rossio Ruso, Rudricio rege Hiberniæ avo, Rex Ultoniæ triennio.

3934 V. C. 738. L. Domitius 73 Ænobarbus Cn. Domitii 72 filius, Antonii 71 Triumviri, & Octaviæ sororis Augusti 72 per Antoniam Majorem gener Consul cum P. Cornelio Scipione.

3936 V. C. 740 M. Æmilius 71 Lepidus Triumvir obiit.

3937 60 Conquovarus 72 Nessanus Factnai 71 Ultoniæ, & Hiberniæ regis filius, Rex Ultoniæ sexaginta annos.

3938 V. C. 742. M. Valerius 74 Messa-

3938 la

3938 la Barbatus Æmilianus L. Domitii [73], & Antoniæ [73] Majoris, Lepida uxore, gener Consul cum P. Sulpitio Quirino (Cyrino Syriæ postea præside Luc. 2. 2.) in consulatu obiit.

3940 V. C. 744. Claudius [74] Imperator Tiberii [73] Imp. ex Druso fratre nepos Kal. Augusti nascitur.

3941 Octennio ante caput æræ Christianæ Cualgnia præda à Connactiis ex Ultonia relata quo tempore Cuculandus annorum septemdecim primum virtutis suæ specimen insectando exhibuit. Tainbó Cualgne.

3944 Ederscolius [75] Deagadûm è gente Herimonius Eadhscéol.

5 è Momoniæ rege fit Rex Hiberniæ quinque annos (z).

z *Cod Cluan. & Dungall. annal. ex G. Coemani poemate, sed Keting. 6. habet ex alio G. Coemani exemplari.*

Hoc rege, Rex regum ex utero Virginali in lucem prodiit; ita Codex Lecan. (a) *Ederscolio regnante, Christus natus in Bethlehem Juda.* Flannius verò de Monasterio in Synchronismi poemate idem Conarii primi diebus ascribit. Utrumque à meis rationibus non dissidet, quibus vera Domini nostri nativitas in annum penultimum Ederscolii, & initium ætatis, qua utimur ex Dionysiana supputatione, in annum primum Conarii incidit.

a *Fol. 295. b.*

71 *Deagus Rex Momoniæ ad an. 3892 & 3923.*

72 *Hiarus Rex Momoniæ.*

73 *Olillus.*

74 *Eugenius Rex Momoniæ.*

75 *Ederscolius.*

3945 Sergius Sulpitius Galba [73] Imperator nascitur; Cujus avus Serg. Sulpitius [71] filius Sergii Sulpitii [72] studiis clarus historiam multiplicem, nec incuriosam edidit, inquit Suetonius.

3948 Per. Jul. 4712. Anno 28. Actiaco Ægyptiorum (ex antediem 29. Augusti) M. Valerio [74] Messalino Cottâ (fra-

3948 tre M. Valerii [74] Meſſalæ) & L. Cornelio Lentulo Getulico conſulibus inchoante; ac Cæſare Auguſto 13. & M Plautio Sylvano Coſſ. deſinente; Clemens Alexandrnus cum veterum plurimis, & Joſephus Slaliger è modernis Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum in terris ortum ſtatuunt.

S. Joſeph [73] Magnæ parentis Deiparæ è Davidis regio ſtemmate genus trahentis Sponſus & per utriuſque aviam paternam Eſtham patruelis, fuit trinepos Joſephi [67] Arſæ ad Ptolomæum [67] Epiphanem in Ægyptum legati pronepotis Naum [64], qui fuit decimus à Zorobabele [54] populi principe poſt captivitatem.

3948 V. C. 752. C Julius [74] Cæſar Auguſti [72] ex Julia filia nepos 18 annos natus in Syriam miſſus; & ei rector adjunctus P. Sulpitius Quirinus; à quo Cyrino præſide Syriæ prima deſcriptio tum facta eſt, naſcente Chriſto; Luc. 2. Idem Cæſar anno ſequenti V. C. 753. ex Oriente rediens factus eſt Conſul anni proximi 754. qui eſt noſtræ æræ vulgaris annus primus.

3949 Nuadus [73] Niveus Crimthanni [69] Coſgrach regis Hiberniæ abnepos è Lageniæ Herimoniis Rex Hiberniæ ſex menſibus.

Heic cernere eſt, quam præpoſterè genealogiam texunt, qui Roſſium [72] Rulum Ferguſſii [71] Æquorei filium regem Lageniæ (ſupra Anno 3923.) hujus Nuadi nepotem faciunt; & Carbreum [73] Niafear Conquovari [72] regis Ultoniæ generum, fratremque ejus Olillum [73] Achaii [72] Fedloch regis generum, pronepotes; quorum uterque hoc ipſo tempore hic Lageniæ, ille Conactiæ præſidebat. Ut quærere deſinam

3949 infra

54. *Zorobabel ad an.* 3420.
64. *Naum decimus à Zorobabele.*
65. *Amos.*
66. *Marbatias.*
67. *Joſeph Arſ.*
68. *Jo Hircanus.*
69. *Melchis.*
70. *Levi.*
71. *Matth t.*
72. *Jacob per Eſthan matrem frater Joachim patris B. Mariæ V.* 73. *Joſeph vir Mariæ de qua natus eſt Chriſtus.*

Nuadad Neadt.
69. *Crimthannus Coſgrach ad ann.* 3841.
70. *Breſalius* Bpec.
71. *Lagadius* Loitpion.
72. *Fedlmæus* Siobac.
73. *Nuadus Niveus.*

3949 infra unius ſeculi ſpecium quomodo Nuadus à Crimthanno undecimus, Roſſius Rufus Nuado prior tertius decimus, aut Carbreus, & Olillus Nuadi æquales quartidecimi forent?

Nuadus [73] igitur patrem præfert Sednæum [72], avum Lugadium [71] Proavum Breſalium [70], & abavum Crimthannum [69] Coſgrach regem Hiberniæ, cujus ex eodem Breſalio nepos Ferguſius [71] Æquoreus, quem avum præ ſe ferunt Roſſii [72] Rufi tres filii Carbreus Lageniæ, Olillus Connactiæ Rex, & Finnius Conquovari Abratroi regis Hiberniæ pater, & ſtirps regum Lageniæ, omiſſis cæteris, quorum enixu nunquam laborarunt genitrices.

71. *Fergus Æquoreus.*
72. *Roſſus Rufus Carbrei, Olilli, & Finnii pater.*
73. *Finnius.*
74. *Conquovarus Abratro Rex Hiberniæ infra ad an. Dom. 73.*

3949 60 Conarius [76] Ederſcolii [75] regis filius Rex Hiberniæ annos ſexaginta (*c*).

c *Flann. de Monaſterio in Synchroniſmi poemate.*

Hoc rege, provinciis præfuere Conquovarus [73] Neſſanns Ultoniæ, Carbreus Niafear Lageniæ, Olillus [73] (Carbrei [73] frater) & Maula [73] filia Achaii [73] Fedhloch (Regis Hibernæ) Connactiæ, Achaius Albanactuadæ Momoniæ Auſtrali, & Curoius [73] filius Darii, nepos Deagi [71] (*d*) Boreali Momoniæ (*e*)

d *ad annum 3923.*

3949 Herodes interiit ſeptuagenarius poſt Lunæ deliquium, & Paulò antè Pacha (*e*). Hoc deliquium incidit in mediam noctem poſt nonum Januarii anno periodi Julianæ 4713. oportet Chriſti natalem præcedere mortem Herodis.

e *Joſeph. lib. 17. c. p. 8.*

3950 Period. Jul. 4714. V.C 754. Incarnationis Dominicæ tertius: Sed ex Dionyſii Exigui rationibus à multis jam ſeculis per orbem Chriſtianum invaleſcentibus, quibus idcirco impoſterum utendum eſt, annus primus; & Conarii regis Hiberniæ primus.

C. Julius [74] Cæſar M. Vips, Agrippæ filius Auguſti [73] ex Julia [73] filia nepos, & filius adoptivus hoc anno ætatis 20. Conſul cum L. Æmilio [73] Paulo Pauli Æ-

3951 S. Patricii, seu anno 4. Laogarii ad quartum *Christi* 2. Hugonii regis in anteriora progrediendo extensum reperies hoc est 326. ante caput æræ Christianæ, & 432 annos ipsius æræ.

6. Æræ Christianæ V. C. 759. M. Æmilius [72] Lepidus L. Æmilii [72] frater Senior Consul; cujus filia Æmilia [73] Lepida nupta Druso [75] Germanici [74] filio Drusi [73] nepoti adulterii cum servo accusata mortem sibi conscivit.

9. Æræ Christi Archelaus [72] Herodis Magni ex Marthace Samaritide filius Tetrarcha Judææ, Idumææ, & Samariæ ab Augusto sine regis titulo constitutus hoc anno post patris obitum decimo in Galliam relegatur.

P. Sulpitius Quirinus (ab Evangelista Luca, & à Josepho Cyrinus, vel Cyrenius dictus) Q. Varo 12 annos Syriæ præsidi succedens censum secundum in Judæa post pulsum Archelaum egit ad res ejus in fiscum redigendas, & Judæam tributo mulctandam. Primum censum egit anno 3 Q. Vari Syriæ præsidis cum C. Cæsare [74] in Syriam missus cum extraordinario imperio, cum Christus nasceretur; quando non solum Judæa, sed & tota Syria, & omnes orbis Romani provinciæ censæ fuere, ut cognosceretur quantum virium imperium ad scribendos, & alendos exercitus haberet. Unde hunc generalem censum sub Q. Varo Syriæ præsidæ Romani Scriptores contigisse referunt, quem sub Cyrenio, vel Cyrino Syriæ præside Evangelium testatur.

Hoc anno Flavius Vespasianus Imperator natus.

14. Tiberius [73] Claudius Nero Liviæ [72] Augustæ filius succedit Augusto Imp. die 19 Augusti mensis defuncto. Luna defecit 27 Septembris proximi.

14. M. Juni-

29. passione illusor. Sed anno post Christi passionem quarto, æræ vulgaris 37 in Galliam relegatur.

32. V. C. 785. Cn. Domitius [74] Ænobarbus L. Domitii [73] filius cum A. Vitellio Consul. Vir undequaque pessimus.

33. V. C. 786. Olymp. 202. anno quarto. Anno Nabonassareo 780. ex ante diem 15 Augusti, & 62. Actiaco Ægyptiorum, Tiberii [73] anno imperii 19. Sergio Sulp. Galba [73], & L. Corn. Sulla Consulib.

Post vernum Æquinoctium in 23 Martii incurrens die 2. Aprilis, elapso die 13. mensis Lunaris Judaici Nisan cum solis occasu, & ineunte die 14. quæ fuit *dies Azymorum, in qua necessa erat occidi pascha.* Luc. 22. Verus Agnus paschalis agnum paschalem cum discipulis comedit. Postridie, qui fuit 3 Aprilis, & sexta feria, immaculatam se victimam in ara crucis æterno patri coæterna proles obtulit die 14. Lunæ, & mensis Nisan. Quo die juxta Cœli conversiones Luna diametrum Solis occupavit Jerosolymæ 15. scrupulis post horam quintam pomeridianam. Proinde Christus [74] Dominus statuto tempore, quo juxta Dei institutum *necesse erat occidi pascha*, cum discipulis pascha peregit. Sed populus ob translationem feriarum per morem Superstitione introductum, quo secundâ, quartâ, & sextâ feriâ interdictum erat pascha celebrare ad vesperam feriæ sextæ, quæ Judæorum parasceve, *quod est ante Sabbatum*; Marc. 14. erat, ineunte die 15. Nisan (ab occasu enim solis Judæi dies civiles auspicabantur, sicut nos, & olim Romani à media nocte) mactaturus & comesturus erat pascha, *erat enim magnus dies ille Sabbati*; Joan. 18. Quo die toto Christus in Sepulchro Sabbatum egit. Postridie primâ Sabbati, quæ Domi-

33. nica

33. nica inde à Christianis culta redivivus demorte, & inferno triumphavit quinto Aprilis, & Lunæ decimosexto; transactis in carne annis triginta quatuor, & amplius.

37. C. Caligula [73] Drusi [73] ex filio Germanico [74] nepos, & Augusti [73] ex Agrippinâ [74] filiâ Agrippæ, & Juliæ [73] pronepos, Tiberio propatruo die 16. Martii anno ætatis 78. mortuo successit Imperator 26 annos natus.

Herodes [73] Agrippa Herodis [71], & Mariamnæ [71] ex Aristobulo nepos è carcere ad Galilææ tetrarchiam à Caligula sublimatus; Herode [73] Antipa cum incestâ Herodiade, & Pilato iniquo filii Dei judice in Galliam relegatis, ubi Pilatus sui carnifex (*f*) periit. *f Joseph.*

41. Claudius [74] Caligulæ [75] patruus 24. Januarii occiso succedit Imperator.

Hoc tempore Christianorum nomen primum innotuit Herodes [73] Agrippa à Claudio Rex Judææ, & vicinarum regionum constitutus.

43. Claudius Britanniam adiens Australem Insulæ partem in provinciam redegit.

S. Jacobus Zebedæi Apostolus ab Agrippâ gladio percussus.

S. Petrus Apostolus Agrippæ custodiam divinitus eluctatus est.

44. Idem Simon Petrus Cephas Apostolorum princeps 18 Januarii Romæ D. N. Jesu Christi Vicario æternam posuit sedem.

Herodes [75] Agrippa supra humanum elatus fastigium Cæsareæ divinitus fœda vermium tabe percussus interiit filium relinquens Agrippam [74].

Gubernatio Judææ ad præsides Romanos rediit, quorum primus Cuspius Fadus.

48. Cumuſgrachus [73] Conquovaro [72] patri
3. ſuccedit Rex Ultoniæ per triennium.

In Conquovari regis Ulſoniæ exceſſu diligenter obſervandus eſt diverſorum auctorum in idem tempus obiter coeuntium concurſus verè memorabilis. Ubi imprimis poema Chronologicum Conquovari obitum ſtatuit 47 annis poſt Chriſtum natum, nimirum ab initio æræ vulgaris Chriſtianæ, quam veram Chriſti ætatem fuiſſe paſſim credebatur.

2. Vetus item diſtichon ſupra (g) citatum quadringentos annos enumerat regum in Ultonia regnantium ſpacium à Kimbaithi regis Hiberniæ initio ad Conquovari exitum. g *Ad annum* 3496.

3. Ultoniæ regum tempora ab Emaniæ conditu primo Kimbaithi anno ad Conquovari finem ſimul ſumpta ſirempſem ſummam conficiunt. Idem poema Chronologicum poſt Conquovari obitum certa annorum intervalla ab uno eventu ad alium proſequitur ad S. Patricii Apoſtolatum, & inde ad ſua tempora, ſeu ann. æræ Chriſtianæ 1072. cum regnantium temporibus apprimè concurrentia, ubi non impediunt apographa depravata.

48. Beatiſſima Virgo Maria [73], *Quæ vitam peperit moritur* (ex eorum ſententia, qui quindecim annis à filii paſſione in cælum aſſumptam decernunt) atque

Membra iterum induerat rediviva Deipara, membra illa, quibus ſummum veſtiit ante Deum.

48. Agrippa [74] Junior Herodis [75] Agrippæ filius Rex primum Chalcidis poſt patruum, eundemquæ ſororium Herodem anno hoc Claudii octavo mortuum à Claudio deſignatus. Deinde, ablata hac, tetrarchiam patrui magni Philippi Trachonitidem, Auronitidem, & Bathaneam cum Abi-

48 lene ab eodem Claudio obtinuit. Denique ditione Tiberiadis, & Juliadis à Nerone auctus summam amicitiam cum Romanis fovit, qua Judæis salutem quæsivit. Vixit, & regnavit hinc ad annum 3. Trajani annos 52. admodum Longævus. Coram eo, & sorore Beronice Herodis patrui viduâ apud Festum Judææ præsidem Paulus Apostolus causam dixit (*h*). Ejus alia soror Drusilla nupta Felici præsidi Judææ.

h Act. Apost. 26.

51. Glasnius [73] decessoris frater Rex 9. Ultoniæ novennio.

54. Domitius Nero [75] Cn. Domitii [74] Ænobarbi, & Agrippinæ [75] ororis Caligulæ [75] filius Claudii per Octaviam gener post Claudium [74] ab Agrippina veneno ademptum 13 Octobris Imperator septemdecim annos natus.

Primus Imp. in Christi cultores persecutionem movet anno Imperii decimo.

58. V. C. 811. M. Valerius [76]. Messala filius M. Valerii [75] Consul cum Nerone Imp.

59. Agrippina [75] Germanici [74] filia soror Caligulæ, quæ Claudium maritum, & patruum veneno sustulit, ut citius Nero filius regnaret, scelerum carnificem filium experta est. Sol defecit 30 die Aprilis.

69. *Rudricius Rex Hiberniæ ad ann.* 3845.
70. *King.*
71. *Cathbadius.*
72. *Cassus.*
73. *Amerginus.*
74. *Conallus Kearnach.*
75. *Euryalus Glunmhar.*

Iriat Glúnmar. 60. Euryalus [75] Glunmhar Conalli 40. Kearnach filius, Rudricii [69] regis Hiberniæ trinepos Rex Ultoniæ quadraginta annis.

Anno primo Euryali regis Ultoniæ Conarius Rex Hiberniæ incendio periit (*i*). Temoria exinde regni sedes quinque annos vacavit (*k*).

Ab Euryali in Ultonia initio ad Elimii Ultoniæ, & Hiberniæ regis excessum septuaginta annos æræ regum Ultoniæ fides non finit controverti.

i Tigernac. Synchronism. Dungal. annales.
k G. Cormanus Synchronism. Dungal. annal.

65. Lu-

65. Lugadius [74] Rubricatus Achaii [72] Fedh-
8. loch regis nepos post quinquenne in- Lugaid Sriabnderg.
terregnum Rex Hiberniæ octo annos.

72 *Achaius Fedloc ad ann.* 3922.
73 *Breef. Nar: Lothar.*
74 *Lugadius Rubricatus.*

Vespasiano coævi Lugadius Rubricatus, Conquovarus Abratro, & Crimthannus; quorum primus Lugadius anno quinto Vespasiani decessit. Synchronism.

Lugadio regnanti alii annos viginti, allii 25. alii 26. & nonnulli 27. tribuunt. Nos, ut certis authorum vestigiis in reliquis insistamus, octo tantum dare possumus ex 70 annorum spacio, quod ab Euryali initio ad Elimii finem intercurrit. Favet huic sententiæ Flannus de Monasterio in jam citato Synchronismo, quatenus Lugadii annum extremum, & Flavii Vespasiani Imp. annum quintum copulat. Cœpit enim Vespasianus Kalendis Julii Anno Domini 69. & quatuor interjectis annis, annus quintus fluebat à Kalendis Julii Anno Domini 73. quo Lugadius juxta nostras rationes vivere desiit.

l *Apud O Duvegan. fol.* 105. *& Codex Lecan. fol.* 179. *a.*

Lugadio Hiberniæ, & Euryalo Ultoniæ præsidentibus, Mauda [73] filia Achaii [72] Fedhloch regis Hiberniæ regina Connactiæ grandæva interiit (*m*) occisa anno primo Vespasiani à Furbadio [73] filio Conquovari [72] regis Ultoniæ * octo annis postquam Olillus [73] ejus maritus Rossii [72] Rufi regis Lageniæ filius nonagenarius, & Conallus Kearnach tum admodum senex occubuerunt (*n*). Natus igitur Olillus Anno Mundi 3920. plus, minusve, cujus pater Lageniæ præfuit Anno Mundi 3923. ut supra ad eum annum.

m *Col. Lecan. fol.* 186. *b.* * *Tigernac.*

n *Keteng. in regno Achaii Fedloc.*

65. V. C. 818. L. Silanus [78] M. Junii Silani [76] anno Christiano 14. nati nepos, Augusti [72] trinepos juvenis fortissimus à Nerone eversus est. De quo Tacitus lib. 16.

67. V. C. 820. L. Fonteio Capitone, & C. Julio Rufo Coss. B. Petrus

67 Jesu Christi in terris Vicarius Romæ crucifixus 29. Junii, & cum eo Doctor Gentium

68 V. C. 821. C. Silio Italico, & M. Galerio Trachalo Turpeliano Coss.

Nero [75] seipsum occidit 10. Junii. Sergius Sulpitius Galba [73] annorum 72. Successit Imperator.

69 Serg. Sulp. Galba Imp. occisus die 16. Januarii, seipso & T. Vinio Crispino Consulib. Otho successit Imperator. Otho Imp. sibi mortem consicivit 20. Aprilis ætatis Anno 37. Vitellius imperare cœpit, vivente Galba. Luna defecit 5. Maii (*o*) 24 Decembris occubuit Vitellius.

o Xiphilin.

Flavius Vespasianus [73] Imperator, vivente Vitellio, Kalendis Julii creatur uno anno, & diebus 22 à morte Neronis (*o*). T. Flavius Petronius [71] Vespasiani [73] avus in acie Pharsalica adversus Cæsarem [70] militavit.

70 Titus Vespasianus [74] Flavii [73] Imp. filius utroque Consule, Hierosolymam cepit 1. Septembris (& Sabbato (*p*)) obsidium 13. Aprilis in Paschate: Templi incendium die decimo mensis Lunaris Lois (*q*), qui fuit Augusti dies quintus: Urbs tota capta die octavo mensis Lunaris Gorpiæi (*r*), Septembris primo: anno secundo Vespasiani secundum Josephum (*r*) imperium à Kalendis Julii in anno Christi 69 incipientem; primo vero Vespasiani juxta Romanos à morte Vitellii.

p Idem ex Dione.

q Joseph lib. 10. c. 26.

r Idem l. 6. cap. 47.

Conquobar Abradruad.

73 Conquovarus [74] Abratro Rossii [72] Rufi regis Lageniæ ex Finnio (*s*) filio nepos, Crimthanni [69] regis Hiberniæ adnepos Rex Hib. uno anno. Anno Vespasiani quinto, ut supra declaravimus.

s Supr. ad an. 3949.

Crimthann Nianair.

74 Crimthannus [75] Nianair Lugadii [74] Rubricati regis filius Rex Hiberniæ sedecim annis. Ex hactenus

74 nus

74 nus demonſtratis liquet, quam male calculos ſubduxerant, qui natum in terris Salvatorem octavo, vel duodecimo Crimthanni anno ſtatuerunt. Etenim Tigernachus, Codex Cluanenſis, & codex Lecanus ſub initium Crimthanni S. Andream crucifixum, & poſt eum S. Philippum, Veſpaſiano defuncto, Crimthanni tempore paſſum tradunt.

79 V. C. 832. T. Veſpaſianus patri 69 annorum ſeni 24. Junii defuncto ſuccedit imperator.

81 V. C. 834. Domitianus 74 Imp. poſt fratrem 13. Septembris annorum 41. ætatis mortuum.

90 Carbreus Feliceps (ſolus è populo) Rex Hiberniæ Cairbre Caitcęn.
5 quinque annos.

Tito & Domitiano coævi Crimthannus Nianair, Carbreus Feliceps, & Feradachus. Synchroniſm.

Domitianum etiam, Carbreo Felicipite rege, imperio præſidentem teſtatur Codex Cluanenſis.

95 Feradachus 76 Juſtus Crimthanni 75 regis filius Feadaċaċ Fion Fęċtnaċ.
21 Rex Hiberniæ uno, & viginti annis.

Juxta varias G. Coemani poematis lectiones 20. 21. 22. annos regnavit; ex his ſummum mediam. ſelegi.

Quo rege, Domitianum extinctum Synchroniſmus memorat.

95 V. C. 848. Domitianus 74 Imp. Romæ occiſus 18. Septembris anno ætatis 45. Nerva 74 Cocceius Imperator annum unum, Menſes 4 dies 9. obiit 27. Janu. ætatis 6 anno 65. vel 72.

97 Ulpius Trajanus 75 Imperator in Hiſpania natus à Nerva adoptatus 27. Januarii defuncto ſuccedit 42. annos habens.

100 Fia-

100 Fiachus [76] Finnamnus Euryalum [75] patrem ex-
20 cipit Rex Ultoniæ viginti annos. Euryalum die Dominicâ extinctum Tigernachus adnotavit.

100 Agrippinus [75] senex rex post patrem Agrippam 30 (*t*) annos ultimus è familia Herodis [71].

t Philo Jud.

Fiatać. Fionn. 116 Fiatachus [76] Finn ex Herimoniis Ultoniæ, qui
3 Achaium atavum præfert fratrem Deagi [71] Deagadûm in Momonia satoris, Rex Hiberniæ tribus annis. *Trajano Imperante Fiatachas, & Fiachus Finnola reges Hiberniæ*; Synchronism.

71. *Deagus rex Momoniæ, ad an.* 3892.
71. *Achaius Deagi frater.*
72. *Duibsenus.*
73. *Dluthacus.*
74. *Darius.*
75. *Frumeus.*
76. *Fiatachus.*

116 Ælius Adrianus [76] in Hispaniâ natus, cujus avia Ulpia [74] Trajani [75] amita 10 Augusti die defuncto succedit Imperator.

Fiaćа fioño-laŏ. 119 Fiachus [77] Finnoladh Feradachi [76] regis filius Rex
7 Hiberniæ per septennium (*u*).

120 Elimius Conrius à Fergusio [71] Rogio rege Ultoniæ per Conrium filium genus trahens Rex Ultoniæ
13 decennio.

u Codex Cluanens.

121 V. C. 874. M. Annius [76] Verus M. Aurelii [73] Imperatoris hoc anno nati avus Consul. Petav. ex Victore.

Clim mać Conraiġ. 126 Elimius Conrius è rege Ultoniæ Rex Hiber-
4 niæ quadriennio, ut infra ad an. 130.

Tuaćal Teśmaṅ 130 Tuathalius [78] Bonaventura Fiachi [77] regis filius
30 Rex Hiberniæ triginta annos. *Hadriano Imperatore, Elimius Fiachi cæde factus est rex Hiberniæ, & post eum Tuathalius, eodem imperante.* Synchron.

Tuathalii initium cum Elimii exitu concurrens ex Ultoniæ regum Serie pro certo statuitur. Hinc etiam ad Malii Ultoniæ, & Hiberniæ, regis exitum, & con-

130 sequente

130. ſequenter ad Fedlimii Legiſeri Malium in Hiberniæ rationibus throno excipientis initium triginta tres annos iiſdem rationibus elapſos oportet.

Tuathalium vero matris utero incluſum à patris interfectoribus evaſiſſe fabula eſt ſane perquam futilis ad-quam conciliandam alio utique ficto opus erat, quippe Elimium, uſque dum adoleſceret poſthumus, viginti annos in Hibernia regnaſſe. Sed juxta ſæpius probatam Ultonienſis æræ fidem Elimius decennium tantummodo ex quo Rex Ultoniæ ſalutatus uſque ad obitum exegit. Intra quod intervallum Tuathalii pater partim temporis præfuit Hiberniæ.

130. Malius [78] filius Rocradii Fiachi [76] Finn-
33. amnus regis Ultoniæ nepos Rex Ultoniæ triginta, & tres annos.

76. *Fiachus Finnamnus rex Ult. ad ann.* 100.

Hunc à Fiacho Finnamnus rege Ultoniæ ſeptimum alii ponunt, ſed ratio id non patitur.

1. *Muredach.*
2. *Finnchadus.*
3. *Gunnchadus.*
4. *Giallchadus.*
5. *Cathbad.*

137. Titus Aurelius Antoninus [77] Pius Adriano [76], à quo adoptatus die decimo Julii decedenti ſuccedit 50. annos natus.

77. *Recradius.*
78. *Malius.*

160. Malius [78] è rege Ultoniæ Rex Hiberniæ an-
4. nos quatuor.

Ꝛſſal mac Rocraiḋe.

Antonino Pio Imp. Malius poſt Tuathalium regnat. Synchron.

Antonino mundi rege, Tuathalius poſt triginta regni annos à Malio occiſus eſt. Cod. Lecan. fol. 300. *b.*

Rectè Codex Cluanenſis habet Galenum Medicum, Malio rege, floruiſſe, qui ab anno Chriſti 143. ad ann. 187. floruit.

A Tuathalii regis fine ad Quinti Centimachi nepotis finem pro 32 (*x*) annis in depravato apographo Chronologici poematis 52 (*y*) legendum communi omnium ſententia liquet.

x Ꝺa bliaḋain tṙiochad lanḟin.
y Ꝺa bliaḋain ċóiḋad

161. Marcus lanſm.

161. Marcus Aurelius [78] Verus Antoninus Philosophus Antonini [77] Imp. gener, & Lucius Ælius Aurelius [79] Verus Commodus Marci gener 7. Martii defuncto Antonino Anno ætatis 73. succedunt Imperatores.

164. Fedlimius [79] Legifer Tuathalii [78] regis filius
10. Rex Hiberniæ, Exactis novem (*z*) regendo annis, anno decimo (*a*) diem clausit extremum.

M. Aurelius, Fedlimius Legifer, Cathirius, & Quintus Centimachus coincididerunt. Synchronism.

Marci quoque Imperatoris tempore Fedlimii initium ponit Codex Lecanus fol. 300. *b.*

A Malii excessu, & Fedlimii principio ad Fergusii Detinigri excessum, & Cormaci principium annos nonaginta series regum Ultoniæ exigit.

164. Bressalius [79] filius Briuni [78] Malio [78] successit
19. patruo Rex Ultoniæ annis unde viginti.

174. Cathirius [80] Magnus Conquovari [74] regis Hiberniæ trinepos ultimus è Lagenia Rex Hiberniæ tres annos (*b*).

177. Quintus [80] Centimachus Fedlimii regis filius
35. Rex Hiberniæ triginta quinque annos.

Qui viginti tantum annos tribuunt à Moylenensi prœlio initium regiminis auspicantur.

180. L. Ælius Aurelius Commodus [79] Marco Aurelio [78] optimo patri pessimus filius succedit die 17. Martii defuncto 59. annos agenti.

183. Tipradius [80] Tirius Bressalii [79] filius,
30. Briuni (fratris Malii [78] regis Hiberniæ) nepos patri succedit Rex Ultoniæ annis triginta.

Hunc Malii regis Hiberniæ filium alii (*c*) faciunt, alii (*d*) nepotem: Et rectè potuit dici Malii nepos,

138. au

z Dungall. annal. ex G. Cormano. Vita S. Declani. Tigernachus.

a Codex Clusinf. Fedlimio Rectmar.

b Dungal. annal. ex G. Cormano: alterum b. Coem. cæmpier. 20. ann s habet.

74. Conquovar. ad. ann 73.

75. Moyco b rex Lagen æ

76. Cucrb rex Lagnix.

77. Niac rb rex Lageniæ. Cataoir 2ßóir.

78. Cormac Sgltagaoc. rex Lagenix. Cond Ceucatac.

79 Fedlimius Fionnsgla rex Lageniæ.

80. Cathirius Magnus

c G. Cretan. in regum poemate Catalog. regum Ultoniæ Dungal. annal. Cod. Clum. Keting in rege Quinto.

d Flann. de Monasterio Rig Tcmpra.

183. aut pronepos, sed ex fratre Briuno: alii (e) Bressalii quidem filium agnoscunt; sed Bressalium illum Ferbi, vel Kerbi filium statuunt, & nepotem Malii regis. Bressalius vero filius Ferbi Rex Ultoniæ primum occurrit in illa fabula, qua Tuathalius Rex Hiberniæ, & Tipradius filius Bressalii illius regis Ultoniæ filii Ferbi intra mâtrum viscera ab internecione traduntur servati. Cum vero nullus fuerit hoc ævo Bressalius Rex Ultoniæ nisi Bressalius filius Briuni eundem oportet esse Tipradii patrem.

(e) *Keting in rege Carbreo Felicipite, & in Genealogia domini Magenes. Catalogus regum Ultoniæ. Codex Lecan. fol. 135. a. 141. a. & 194. b.*

Confirmat hoc Bressalii filii Briuni uxor Mora apud Tigernachum, & Tipradii Tirii mater Mora in Codice Lecano fol. 194. *b.* col. 2. ubi diversi authores in idem nomen hujus uxoris, & illius matris conspirant.

192. Eugenius [80] Magnus Mognuadus Rex Momoniæ à Duacho [71] rege Hiberniæ ex Heberi Sanguine nonus in Moylena prælio occubuit.

Quintus Centimachus à Lenensi prælio viginti annos, ut habet Codex Cluanensis, ad mortem pacificè regnavit occisus meis rationibus anno 212. die (ut idem codex refert) vigesimo Octobris, & die Martis, ut in prælii Lenensis Historia ex Senchano ɐɹɔɛɟɹ, vetusti quoque poematis testimonio, (*f*) & apud Tigernachum habetur. Quod anno æræ Christianæ 212. competit, cujus literæ diales E. D. Octobris 20. in Martis diem incidisse demonstrant; à quo vigesimus retro præsens annus prælii Lenensis.

77 *Rocradius ad ann.* 130.
1. *Malius.*
2. *Ferb. vel Kerb.*
3. *Bressal: Breg.*
4. *Tipradius Rectius.*
71. *Duathus R. H. ad. ann.* 3892.
72. *Achaius Fer-dime.*
73. *Muredachus Mucna.*
74. *Mogfebus.*
75. *Loicus Magnus.*
76. *Ennius Nuncadon Rex Momoniæ.*
77. *Dergineus alias Corbolom.*
78. *Dearga.*
79. *Mognedius rex Momoniæ.*
80. *Eugenius Magnus.*
77. *Rocradius.*
78. *Briunus.*
79. *Bressalius rex Ultoniæ ad ann.* 164.
80. *Tipradius Tirius.*

f 2ɯɡʇ ɑ 2ɯɡ ʇɹɟɹɛ́.

192 De hoc ita Synchroniſmus; *Commodo imperante, Quintus Centimachus in Moylena prælio palmam retulit.*

192 Commodus [79] Imperator ultimo Decembris ſtrangulatur 31. annos, & quatuor menſes natus.

193 Pertinax imperat à Kalendis Januarii ad 29. Martii 88. dies poſt quem occiſum Didius Julianus 66. dies, juſſu Septimii Severi occiſus.

L. Septimius Severus [79] ex Africâ oriundus à Marco Aurelio [78] Romæ educatus 29. Septembris fit Imperator quinquagenarius ad imperium accitus.

Peſcennius Nigerius Antiochiæ in Syria, & Clodius Albinus in Britannia Imperatores appellati: hic in crucem actus Anno 194. ille occiſus Anno 197. 11. Kal. Martii prope Lugdunum in Gallia.

211 Severus [79] Eboraci in Britannia 4. Februarii extinctus Antonio Caracallæ [80] Baſſiano, & P. Septimio Getæ filiis ſuis imperium legarat.

Conge mac Mogalama. [76] *Conarius R. H. ad ann.* 3949.

212 Conarius [82] 2. ex Ernais Momoniæ Herimoniis 8 Conarii [76] primi trinepos Quinti [80] Centimachi 20 Octobris, & die Martis occumbentis gener ſocero ſurrogatur R. H. octo annis. A Quinti Centimachi regis nece ad Arturi filii caſum annos 37 enumerat poema chronologicum.

[77] *Carbreus* Fionmor *rex Momoniæ.*

[78] *Darius* Dornmar *rex Momoniæ.*

[79] *Carbreus* Cromcen R. M.

212 Caracalla [80] Getæ fratris 23 annos nati in gremio matris occiſi Cæde 24 Februarii ſolus imperat.

Lugadius Illatan. [81] *Mogalamius alius Achaius* Holerotach. *rex Momoniæ.*

213 Ogamanius [79] è ſemine Fiatachi regis Hiberniæ 12 (*g*) Herimonius poſt Tipradium Tirium Rex Ultoniæ annis duodecim.

Ogamanium omnes paſſim Fiatachi regis filium tradunt; ſed filii nomen non ſtrictè, ſed ſenſu latè

[82] *Conarius.* 2. *g ab anno* 116. *ad an.* 119.

213 ſumpto

213 ſumpto acceperunt, cum ab illius obitu ad hujus initium nonaginta quatuor anni fluxerint; unde hunc illius pronepotem ſuppono.

218 M. Aurelius Antoninus Heliogabalus [81] Imperator; cujus mater Soæmis [80], avia Mæſa [79], quæ fuit ſoror Juliæ [79] matris Baſſiani Caracallæ [82] ab Opilione Macrino ſuccedente 6 Aprilis Anno 217. occiſi.

220 Arturus [81] Unicus Quinti [80] regis filius Cona- Αιρτ Εηειμ..
30 rio regi ſororio ſuo ſuccedit Rex Hiberniæ triginta annos.

222 Alexander [81] Severus filius Mammææ [80], quæ fuit ſoror Soæmis [80] matris Heliogabali [81], conſobrino 10 Martii trucidato 18 annos habenti ſuccedit Imperator.

225 Æneas [82] Gaibneim Tipradii [80] Tirii ex Ferguſio
15 Gailine filio nepos Rex Ultoniæ annos quindecim.

230 Artaxerxes [81] imperium Orientis Perſis reſtituit. Hinc clari nominis reges per annos 402. perpetua ſerie regnarunt Romano imperio infeſti.

235 Alexander [81] Severus Imp. cum matre Mammæa 18. Martii à ſuis militibus obtruncatur 29. annos 3. menſes natus. Maximinus Thrax Imperator, primus ex corpore militari abſque ſenatus conſulto.

237 Olillus [81] Olom Eugenii [80] Mognuadi filius, Arturi [81] regis Hiberniæ ſororius in Kennſebratenſi prælio victor Rex Momoniæ viginti tres annos. Primus ex Heberi ſobole, qui Momoniæ utriuſque principatum ſuis ſolius poſteris perpetuum tranſmiſit.

237 R. P. Wardæus (*h*) ex annalibus Roſcreenſibus hoc prœlium biennio poſt Severi imperatoris mortem annotantibus Septimium Severum Anno 211. (ut ſupra) extinctum intellexit. Verum prætermeas rationes accedit accuratiſſimi Chronographi Doctoris Uſſerii teſtimonium, quo liquet Conarium 2. ſummum Hiberniæ principatum tenuiſſe circa annum Domini 215, (*i*) qui anno regni octavo Nemethi Ernaorum Momoniæ principis ferro concidit. Idem Nemethus multis abinde annis in hoc Kennfebratenſi prœlio occubuit. Qua ratione biennio poſt Alexandri Severi caſum ad annalium ſenſum conformiùs conſertum Statuo.

h *Vita S. Rumoldi pag.* 367.

i *De Eccl. Britannic. Primordiis p.* 611.

238 Occiſis Maximino, M. Antonio Gordiano [81] (cujus mater Ulpia Gordiana Trajano [76] Imperatore orta) M. Antonio Gordiano [82] 2. Gordiani [81] primi filio, Balbino, & Pupieno Imperatorib. M. Antonius Gordianus [83] 3. Gordiani [81] primi ex Metia Fauſtina filia nepos 11. 13. aut 16. annos natus ſuccedit Imperator.

240 Fiachus [83] Araidhe patri Æneæ [82] ſuccedit Rex
10 Ultoniæ decem annos.

242 Sapor [82] Rex Perſarum poſt Artaxerxem.

244 Philippus Arabs Oppreſſo Kalendis Martii Gordiano 3. imperium occupat cum Philippo filio Primi Chriſtiani Imperatores habentur; ſacra tamen Myſteria nunquam adire auſi ſunt, nil palam confeſſi.

Lugadius Mac-con

250 Lugadius [82] Mac-con ex Lugadii filii Ithi ſemi-
3 ne tertius Arturi [81] regis avunculi ſui Cæde Rex Hiberniæ tribus annis ut ad annum 254 demonſtrabitur.

In Lugadii regis genealogia, quam in margine præ-

250 figimus

250 figimus quatuor advertenda occurrunt. Imprimis generationes 23. desiderari, quatenus ex parte matris Arturi [81] regis sororis sit 82. ex parte vero patris 59. tantum generationum. Deinde familiarum genealogias raro integras inveniri, quarum dynastæ supremum Insulæ, aut provinciæ locum non continuo tenuerunt. Tertio quandoquidem aiunt ante Ernaorum ex Herimonio semine in Momoniam adventum Momoniæ utriusque principatum huic, & Heberiæ Familiæ per vices obtigisse, non tamen exploratum esse, quis in hac recta linea eo functus est, aut quis non. Forbrium filium Finei tantum, & Achaium Kinnmairc ex hac domo Momoniæ reges nominatos invenio, & duos ante hunc Lugadium reges Hiberniæ. viz. Achaium Edgathach (*k*), & Achaium Obtach (*l*). Contra vero sciendum est nullum huc usque adeo accuratum supereſſe regum Momoniæ catalogum, nec ullius provinciæ talem hucusque regum notitiam, qualis regum Ultoniæ supereſt, quorum temporibus certam annorum 684. chronologiam majori ex parte acceptam referimus. Postremo quam sincera est genealogorum fides, & candor, qui non jam dictos duos hujus familiæ supremos reges, nec alios quosvis affines gradus ad supplendum in hac recta linea defectum intermiscuerunt; sed quod per manus traditum acceperant, posteris transmiserunt. Achaium regem Hiberniæ unum Logadii [39] fratre, alterum Malii [37] fratre oriundum ingenuè tradentes.

250 Fergusius [82] Dentiniger Ogamanii [79] regis Ultoniæ pronepos, & Quinti [80] Centimachi regis Hiberniæ ex Maina filia nepos de Herimonio stemmate Rex Ultoniæ quadriennio.

253 Fer-

36. *Lugadius filius Ithi ad an.* 3041.
37. *Malius.*
38. *Adnamani.*
39. *Logadius.*
40. *Mathsin.*
41. *Sin.*
42. *Gosamon.*
43. *Adnaman.*
44. *Herimon.*
45. *Logadius*
46. *Lallnanus.*
47. *Nuadus.*
48. *Dergtenius.*
49. *Deagus*
50. *Deagus.*
51 *Firulnius.*
52. *Sithbolg.*
53. *Darius.*
54. *Ecbolg.*
55. *Firulnius.*
56. *Darius*
57 *Lugadius*
58. *Macniad s.*
59. *Lugadius Mac-con Rex Hiberniæ.*
k *ad an.* 3041.
l *ad an.* 3432

79. *Ogamanius ad an.* 213.
80. *Finchadus.*
81. *Imchadus.*
82. *Fergusius Dentiniger.*

Fergus Orbdeudac. 253 Fergusius [82] Dentiniger Rex Ultoniæ Cormacum [82] Arturi [81] regis filium Lugadio Mac-con Temoriâ pulso successurum in monarchiâ prævertit 1 Rex Hiberniæ unum annum.

Cormac Ulfada. 254 Cormachus [82] Arturi [81] Unici regis filius, Fergusio rege Crinnao prœlio occumbente, Rex Hiberniæ tres, & viginti annos (*m*). 23

m Codex Cluanensis.

Lugadium Mac-con Hiberniæ clavo assedisse triginta annos plerique, Codex Cluanensis octodecim assignat. Verum exactissima regum Ultoniæ series, qua Fergusius Dentiniger Lugadii in Hiberniæ solio proximus successor Anno 254. post unius anni imperium desiit, huic ultra tres annos non patitur. Id etiam evincit, quod varia regnantium tempora ab authoribus signata inter Fedlimii Legiferi initium, & Cormaci simul sumpta cum nonaginta annis concurrunt, quos regum Ultoniæ tempora à Malii exitu, qui Legiferum proximè anteivit, ad Dentinigri Cormacum proximè anteuntis exitum adimplent, modo non plures quam tres annos à Lugadio regnatum esse admittamus.

Unde colligi videtur annos illos triginta inchoatos fuisse à prœlii Kennsebratensis anno, quo circiter tempore Lugadius in avunculum Hiberniæ, & vitricum Momoniæ regem res novas molitus à Fœderatis forsan suis rex Hiberniæ salutatus est, & quanquam eo prœlio devictus, & trans mare pulsus, titulum retinuisse, donec quod animo conceperat, avunculi in Mucromio prœlio cæde assecutus est: octodecim quoque annos à prœlio Mucromio, quo ad regni fastigium pervenit, ad finem vitæ, licet intra id spacium clavo amotus fuerit, fuisse numeratos. Ad quod innuendum maximè facit, quatenus tricesimus annus à Kennsebratensi, & à Mucromio prœlio duodevicesimus in eun-

254 dem

254 dem annum æræ Christianæ 267 vel 268. conveniunt.

Illum etiam authores luculenter produnt Temoriæ regiam non proximè succedenti Fergusio, sed proximè succedentis successori Cormaco cessisse, & Temoriæ non diu moratum (*n*), sed à Cormaco depositum in Momoniam secessisse. Moxque Fergusium, ejecto in Connactiam Cormacho, se Monarchiæ intrusisse, donec intra vertentis anni spacium Cormachus ejus nece ad solium evectus est. De his ita Ketingus (*o*); *Fergusius hic est, qui Hiberniæ imperium Cormacho filio Arturi præripuit, postquam Cormachum in Connactiam relegarint Ultonii.* Codicis Lecani (*p*) verba hæc sunt; *Cormacus Macconium regem deposuit è Temoriæ finibus in Occidentales Momoniæ partes relegatum*, sic annales Dungall. (*q*) *Cormachus Arturi regis filius Lugadium Mac-con Temoriâ expulit, Fergusius Dentiniger* inde regnavit: ita habet Flannius de Monasterio (*r*); *Lugadius apud Temoriam, donec eam Cormaco tradidit*; deinde Fergusium recenset, & postea Cormacum.

n *Keting. in regno Lugadii.*

o *Keting. in regno Fergusii.*

p *fol.* 179. *b.*

q *ad an.* 225.

r Νῦς τεῖμια διατεῖβαν-τυν.

Itaque Lugadius Anno 237. rex Hiberniæ titulo tenus à suis appellatus mox è Kennsebratensi prœlio ultra mare ejicitur: tum anno 250. reversus è Mucromio bello victor, factus est rex Hiberniæ. Sed anno circiter Fergusii Dentinigri in Ultonia penultimo (qui ab anno 250. ad annum 254. quatuor annos Ultoniæ dominatus est, & ex his Ultimo ab Anno sc. 253. ad an. 254. universæ Hiberniæ) Cormachus Lugadium è Temoriâ in Momoniam expulsum regio throno, non verò vitâ orbavit: & Fergusius Cormacum illico prævertit, quousque se recolligens Fergusium anno 254. in Crinna prœlio occisum amovit ex inde rex Hiberniæ. Interim Lugadius Anno 253. à Cormacho exauctoratus in Momoniæ recessu nomine tantum rex Hiber-

254 niæ

254 niæ, vitam transegit ad annum verosimiliter. 267 vel 268. quo Cormacus æmuli impatiens, & paternæ cædis Mucromiâ acie memor Firchisum è druidum genere quendam instigavit, qui Lugadium lanceâ dolosè confodit apud Aureum agellum juxta Dergrath in campo Femen ad Occasum vadi, quod Athna-ccarbad à curribus appellatur in Waterfordiensi comitatu.

254 Rossius filius Imchadi è Rudricia gente Fergusio Dentinigro regi Ultoniæ, & Hiberniæ in Ultonia succedit Rex Ultoniæ unum annum.

Hunc Fiachi Aradii regis Ultoniæ abnepotem plerique (*s*) enumeratis in margine gradibus faciunt, & aliqui omisso Cassio [84], (*t*) vel Fedlimio (*u*), pronepotem. Verum Fiachi ab Anno Christi 240. ad an. 250. regis Ultoniæ non ab nepos, aut pronepos sed ex eadem domo agnatus censendus est.

255 Æneas [83] Finn Fergusii [82] Dentinigri regis Hiberniæ filius Rex Ultoniæ duobus annis.

257 Fergusius Fogà filius Froecari è
75 Rudriciorum familiâ Rex Ultoniæ septuaginta quinque annos Postremus regum Ultoniæ apud Emaniam.

260 Olillus [81] Olom Rex Momoniæ obiit. Succedit Cormacus [82] Cas filius, & post eum Fiachus [83] Latus vertex nepos, regnante Cormaco rege Hiberniæ.

260 P. Aurelius Licinius Valerianus Imperator à Sapore [82] Persarum rege captus.

267 Fla-

81. *Fiachus Aradii ad 240.*
84. *Cassius.*
85. *Fedlim.*
86. *Imchad.*
87. *Rossius.*
s *Keting in genealog. D. Magenis. Cod. Lecan. f. 135. a. et Catalog. regum Ultoniæ.*
u *Cod. Lecan. f. 141. d.*

267 Flavius Claudius [82] Imperator.

269 Quintilius [83] frater Claudio [81] Imp. 5. Februarii defuncto ſuccedit eodem Februario occiſus.

Horum ex fratre Flavio Criſpo neptis Claudi [83] fuit mater Conſtantii [84] Imperatoris, avia Conſtantini [85] Magni.

273 Conſtantinus [85] Magnus ad rei Chriſtianæ bonum ex Helena Britannica naſcitur.

273 Ormiſdes [83] Rex Perſarum Saporis [82] filius.

274 Warannes [82], incertum filius, an frater, an cognatus Ormiſdæ Rex Perſarum.

277 Achaius [84] Gonnat Fergusii [82] Dentinigri regis ex Fiego filio nepos Rex Hiberniæ anno uno. Eochaiδ Gonnat.

1

277 Warrannes [83] 2 filius Warrannæ [82] primi Rex Perſarum.

279 Carbreus [83] Liffecarius Cormaci [82] regis filius Rex Hiberniæ annos ſeptemdecim. Carbre Liffiocar.

17

Ad annum 279. initium ponimus, quod Kalendis Januariis feriam quartam, eo inchoante, præfigit Tigernachus. Unde Achaium deceſſorem aliquot menſibus, aut ſaltem diebus poſt integrum annum regnaſſe colligendum.

Carbrei tempore non perperam Codex Cluanenſis habet; *S. Eutychianum Eccleſiæ præſidentem martyrium ſubiiſſe, poſtquam trecentos, & tredecim martyres propriis manibus inhumaſſet.* Ex Onuphrii enim ſententia Nonis Junii Anno 275. Summus Pontifex creatus, 6 Idus Decembris Anno 283. occiſus eſt.

284 Finnius [83] filius Cumalli Cormaci [82] regis Hiberniæ gener, &

279 militiæ præfectus Nuado Niveo rege Hiberniæ oriundus a tribus Urgrenni filiis de Luagniis. Temorenſibus in dolo interfectus eſt apud Ath brea Boindi fluminis vadum anno 283. juxta Dungall. annales æra vulgari uno anno ſuperiores.

284 Diocletianus Imperator ab exercitu ſalutatur. Hinc æra Diocletianea à 29. Auguſti in Ægypto, & Oriente incipiens: apud Latinos vero, & Græcos 23 Martii anno 285. Vocatur etiam æra Sanctorum martyrum, æra Coptitarum, & æra gratiæ.

286 Carauſio in Britannia, & aliis alibi rebellibus; Diocletianus Maximianum Herculeum ex Cæſare fecit Auguſtum ipſis Kalendis Aprilibus.

291 Conſtantium Chlorum, & Maximianum Galerium generum ſuum Cæſares declaravit Diocletianus.

Flavius Conſtantius [84] Chlorus Conſtantini [85] Magni pater fuit filius Eutropii, qui à Nobiliſſima familia in Dardania Gordianorum Romanorum è ſtirpe genus traxit. Conſtantii mater Claudia [86] fuit Fl. Claudii [82], & Fl. Quintilii [82] Imperatorum ex fratre. Fl. Criſpo neptis. Jam Cæſar factus, repudiatâ Helenâ Conſtantini Magni matre, Theodoram Maximiani Auguſti privignam conjugem accipere coactus eſt, ex qua ſex liberos ſuſcepit.

294. Warannes [84] 3. Secundi filius Segaſneſna dictus Rex Perſarum ſtatim ſuſcepto Regno everſus.

294. Narſes [84] Saporis [82] nepos Rex Perſarum.

Cat Gabra 296 Carbreus [83] Rex Hiberniæ prælio occubuit.
cycle.

297 Fiachus

297 Fiachus [84] Srabtinæus Carbrei [83] regis filius Rex Hiberniæ annos triginta, à morte vero patris triginta unum. Fiacha Srabtine.

Huic Dungall. annales ex G. Coemani poemate regum Hiberniæ 37. annos tribuit; sed quia ex poemate Chronologico constat eum quinquennio ante excidium Emaniæ occidisse, triginta tantum annos cum Codice Lecano (*w*) assignamus, ut ad annum 327. perveniat. *w Fol. 302. b.*

301 Ormisdes [85], aut Misdates Narsetis [84] filius Rex Persarum.

304 Fl. Constantius [84] Chlorus, & C. Galerius Maximianus Imperatores.

306 Constantinus [85] Magnus Imperator post patrem Constantium [84] Eboraci in Britannia 25. Julii defunctum Salutatur.

309 Sapor [86] Ormisdæ [85] filius Rex Persarum in utero matris à regni proceribus Coronatus 70. annos vixit, & regnavit.

312 Constantinus [85] Maxentium Maximiani Herculei filium Romæ cœlestis crucis ostento devicit, & Christi nomen publice professus est.

327 Colla [85] Huasius ex Achaio Doimhlen filio Carbrei [83] regis nepos Rex Hiberniæ quadriennio. Colla Uais.
4

A Dubcomario prœlio, quo Colla Huasii decessor Fiachus occubuit, ad Emaniæ excidium quinquennium statuit poema Chronologicum.

Muredachus [85] Tirius Fiachi [84] regis filius Rex
Tirgè. 331 25 Hiberniæ annos viginti quinque.

Nam ab Emaniæ excidio ad Muredachi hujus interitum quatuor, & viginti annos adnotavit poema Chronologicum.

332 Emaniæ excidium; quæ à Kimbàithi [60] conditoris Hiberniam moderantis initio Sexcentos, Octoginta, quatuor annos Ultoniæ regum Sedes hactenus stetit. Quo spacio regnantium ibidem annis, quos multiplici diversorum consensu absque errore fixos, ac certò statutos sæpe in præcedentibus demonstratum est, rationum mearum quasi basibus innixus sum. Hinc ad S. Patricii Apostolatum anno Dominicæ Incarnationis vulgari 432. non minori certitudine contingentem centum annorum curriculum sic perquam accuratè dispescuit poematis Chronologici author, nimirum viginti quatuor annos ad Muredachi Tirii juxta Dabhallum mortem; ex in ad Nielli regis casum annos unde quinquaginta, & viginti Septem à Nielli fato ad S. Patricii appulsum, quo (ut ibidem) Salutis æternæ opem attulit Milesius.

24
49
27
100

337 Constantinus [86], Constantius, & Constans Imperatores patrem Constantinum [85] Magnum 22. Maii defunctum excipiunt.

357 Coelbadius [86] Fiachi Aradii regis Ultoniæ pro-
1 nepos Rex Ultoniæ Rudriciorum Hiri filii Milesii è domo ultimus Muredachi Tirii ad Dabhallum in Orgiellià cæde Rex Hiberniæ uno anno.

Coelbadium à Fiacho Aradio octavum omnes alii habent, sed temporis intervallum à Fiachi fine anno 250. ad Coelbadii initium refragatur. Cui favet Coelbadii mater Indeacta [83] Lugadii [84] Meann filia, &

357 Fergu-

83. *Fiachus Araidè ad ann.* 240.
Caolbadmac Cruñbaò-raidè.
1. *Cassius.*
2. *Fedlimius.*
3. *Imchadas.*
4. *Rossus Rex Ultoniæ ad an.* 254.
5. *Lugadius.*
84. *Achaius* Coba.
85. *Crunnius* Daòraidè.
86. *Coelbadius rex Hiberniæ.*

357 Fergusii [82] Dentinigri anno 250. Ultoniæ, & anno 253. Hiberniæ regis proneptis: cujus Fergusii avus maternus Quintus [80] Centimachus anno 212. extinctus.

Quocirca Cassium, Fedlimium, Imchadum, Rossium regem Ultoniæ, & Lugadium ex Aradiorum (rectâ lineâ) majoribus meritò delemus. Coelbadio [86] igitur pater Crunnius [83] Badhra; avus Achaius [84] Cobha, & proavus Fiachus [83] Aradius.

Illius initium authoritate Tigernachi hoc anno statuimus, quod annum, quo Muredachus Rex ad Dabhallum occubuit feria quarta Kalendis Januariis, annum antè primum feria secunda, secundum feria prima, & proximè sequentem, quo Coelbadius desiit, feriâ quintâ contignet. Bissextilium enim rationes obstant, ne intra viginti octo annorum spacium iste feriarum ordo Kalendis Januarii contingat, nisi annis æræ Christianæ vulgaris 355, 356, 357, & 358. quibus Cyclus Solaris xxviii. i. ii. iii. & literæ Feriales A. Gf. E. D. Hinc Fiachi Srabtinei regis Hiberniæ finis anno 327. & Muredachi Tirii initium anno 331. Simul atque poematis Chronologici quinquennium à Srabtinei fine ad deletam Emaniam, & anni viginti quatuor inde ad Muredachum sublatum corroborantur, modo intelligas, annis 24 plenè exactis, anno vigesimo quinto fluente, sublatum. Hinc porro Coelbadii finis, & successoris Achaii initium anno 358. definitur.

Kal. Jann. an.
355. *Feria* 1.
356. *Feria* 2.
357. *Feria* 4.
358. *Feria* 5.

358 Achaius [86] Mogmedonius Muredachi [85] regis filius Rex Hiberniæ octo annos. Cochaid Mugmedon.

361 Julianus [85] Apostata Constantini [85] Magni ex Constantio fratre nepos, & per filiam Helenam gener Constantio patrueli 3. Novembris defuncto succedit Imperator.

363 Jovi-

81. *Olillus Olom ad ann.* 237. *rex Momonix.*
82. *Eugenius.*

83. *Fiachus* Aillettan, *rex Momoniæ.*

84. *Olillus* Flannbeg. *Rex Momoniæ.*

85. *Darius* Cenn.

86. *Fidachus.* Crimthann mac Fidaig.

87. *Crimthannus rex Hiberniæ.*

x *Dungall annal. ex G. Cor. mano.*

363 Jovianus post Julianum [86] 26 Junii prœlio occisum Imperator pacem cum Sapore [86] rege Persarum facit anno Saporis 55.

364 Valentinianus [86] Imperator 26. Februarii acclamatus Valentem fratrem 1. Aprilis Augustum adscivit.

366 Crimthannus [87] filius Fidachi, Olilli [84] Olom re-
13 gis Momoniæ trinepos: à Duacho [71] rege Hiberniæ ex Heberi semine sedecim gradibus distans Achaio [86] Mogmedonio sororio suo Temoriæ in pace expiranti sufficitur Rex Hiberniæ tredecim (x) annos.

367 Fl. Gratianus [87] à patre Valentiniano [86] Cæsar creatur, cui uxor Constantia [87] Constantii [86] Imperatoris filia posthuma.

369 Theodosius [86] Theodosii Imperatoris pater comes Hispanus militiæ præfectus sub Valentiniano [86].

375 Gratianus [87], & Valentinianus 2. fratres à morte patris Valentiniani [86] 19. Novembris imperant in occidente.

378 Valens [86] Imp. occisus est in prœlio 9. Augusti die: successit in Oriente Gratianus [87] Imp. è fratre nepos.

Niall Naoigiallach.

379 Niellus [87] Magnus Achaii [86] Mogmedonii regis
27 filius Rex Hiberniæ viginti septem (x) annos.

379 Theodosius [87] Theodosii [86] comitis filius Gratiani [87] Imperatoris per Gallam [87] conjugem sororius ab eodem Gratiano 16 Januarii Orientis Imp. designatur.

379 Artaxerxes [86] Saporis [86] frater Septuagenario major Rex Persarum.

383 Sapor

383 Sapor [87] Artaxerxis [86] filius Rex Perſarum.

383 Gratianus [87] Imp. occiditur 25. Aug. Arcadius [88] à Theodoſio [87] patre aſciſcitur 16. Januarii præcedentis.

388 Warannes [88] Kermanſa a Saporis [87] filius Rex Perſarum.

392 Valentinianus [87] 2. Imperator Viennæ in Gallia ab Arbogaſto comite Eugenii tyranni juſſu laqueo Suſpenſus 15. Maii Vigilia Pentecoſtes.

395 Arcadius [88] octodecim annorum Honorius [88] undecim (quippe 5. Septembris 384. natus) patre Theodoſio [87] 17. Januarii die mortuo, imperium ineunt: hic Orientis, ille Occidentis.

399 Iſdigertes [89] Warannæ [88] 4 filius Rex Perſarum.

405 Dathyas [88] filius Fiachrii [87] Niello [87] patruo ad 23 Ligerim in Gallia Succumbenti ſufficitur Rex Hiberniæ annos tres, & viginti (*x*). Oaithi mac Fiachra.

x Dungall. annal.

408 Theodoſius [89] 2. Septennis puer (*y*) Arcadio [88] patri Kalendis Maii defuncto ſucceſſit in Oriente Imperator: cui Iſdigertes [89] Perſarum rex à moriente patre tutor datus; pupillo Imperatori inviolatam fidem præſtitit anno 421. Eudoxia Athenaidam duxit uxorem.

y 10 *Apr. ante* 401. *natus.*

420 Warannes [90] 5. filius Iſdigertæ [89] Rex Perſarum.

423 Honorius [88] Imperator Occidentis exceſſit è vita die 15. Auguſti menſis.

425 Flavius Placidius Valentinianus [89] 3. Conſtantii Cæſaris nobilis Romani

425

425 mani filius, & Honorii [88] Imp. ex Placidia sorore nepos (anno 418. 6. Julii die natus) Theodosii 2. per Eudoxiam [90] filiam gener à socero fit Imperator Occidentis.

428 Dathyas Ethnicorum Hiberniæ regum postremus ad Alpes in Gallia fulmine tactus.

OGYGIÆ.

OGYGIÆ DOMESTICA,

SEU

Rerum Hebernicarum à Diluvio ad Christiana tempora fusior tractatus.

PARS III.

CAPUT. I.

Hiberniæ ante Diluvium Incolatus.

HActenus Authoritatem, & Rationem ad invicem conciliatas perpendimus, jam pauliſper liceat frænos immitere, quo ſola vocat authoritas; gladio nos alii cingant, aliquando ſinamus ignari, quo ferant Rerum Hibernicarum ante, & poſt Diluvium,

quarum memoria quæritur quomodo poſteris tranſmiſſa, fidem in me non recipio. Hoc tantum aſtruo, non firmioribus nixas fundamentis primas aliarum gentium antiquitates, quibus tamen penes ſcriptorum ſuorum traditiones inoffenſo pede currere licitum eſt. Proinde, ubi diſquiſitioni locus non datur, communia patriæ Scriptorum ſuffragia locum habeant. In quorum ego Sententiam Senator eo pedarius.

Juxta antiquiſſimas igitur Hiberniæ hiſtorias Cappa, Lagne, & Luaſat tres Piſcatores ex Hiſpania in Hiberniam averſis ventis acti ad Muadii (1) fluminis oſtium terram attigerant primi: univerſali Cataclyſmo apud Tuathinbhir poſtea obruti.

1 *Unus è decem primus Hiberniæ fluviis de quibus infra c. 3.*

Quadraginta diebus ante Diluvium 15 die Lunæ, & Sabbato Cæſarea, Baronna, & Balba cum 30 aliis fœminis, & tribus viris Bitho, Ladrao, & Fintano apud Dún na mbárc (2) appulerunt. Bithus Sliaw-beatha monti in Ultonia, Ladraus Ardladrann in Wexfordienſi agro in Lagenia, Fintanus ſepulturæ loco Feartfintain ad Tultuinne (3) & Cæſarea Cuil Keaſrach, & Carn-Keaſrach (4) in Connactiâ nomina indiderunt.

2 *Dunum, ſeu munimentum navicularum, quod navicularum litus Giraldus Cambrenſis vocat, in Corcodubnia Occcidentalis Momoniæ regione ſitum.*

3 *In regione Ara Limerico ad Orientem vicina in margine lacus Dergdhearc, per quem tranſit Sinannus fluvius Limericum verſus.*

4 *Knockmea collis in barcnia de Clare & comitatu Galvienſi fertur fuiſſe Cara Keaſrach, & prope eum Cuil Keaſrach.*

CAPUT

CAPUT. II.

Partholanus primus Hiberniæ incola post Diluvium.

ANno post Diluvium 312. Partholanus cum sua colonia ad Inver-Sgene in Kierrigia appulsus est mense Mayo, 14. Lunæ & die Martis. Hinc, & ex aliis hujusmodi colligi videtur nostros in temporum dimensione Lunæ motiones præcipue antiquitus spectasse juxta vetustiores plerosque. Undenam vero constat ea temporum signata observatio; viz. dies Martis, & menses Maius, vix capio. Sed à lingua Scythica, quam proxime retinuerunt Germani veteres, ut docent Germanicæ linguæ periti, anni, & mensium nomina deflectunt (*a*). Ut annus dicatur ab *Anna*, quem Scythæ solis ambitum vocarunt, quod eadem sit vocis litera prima, & postrema instar circuli, & quoquoversum legas Anna reperias; Januarius pariter à Jano (Noemi nomine) Deorum suorum antiquissimo; Februarius ab Asia ejus uxore, quæ & Februa dicta est; Martius non à Marte, sed à Mert, vel Maert, quo vocabulo significatur dies fieri longiores; Aprilis ab Opril, quod terram maximè aperiat; Majus à virore, Mai, sive Mei omnem virorem significat; Junius à favore, quod terræ favorem, fructibus enascentibus percipiamus. *Ann. M.* 1969.

a *Temporarius lib 3. pag. 282. 284.*

Partholanum comitati sunt Elgnatha ejus uxor, quæ & Elga Hibernis dicitur (*b*), Rudricius, Slangius, & Lagneus filii cum totidem nuribus, & mille viris. Apud Inis-famer in Erneo fluvio, ab ejus catello dictam insulam, unde fluvius Samarius etiam appellatus, inhabitabat in Ultonia.

b *Scholiastes Fiechianus.*

CAPUT III.

Tres lacus, & decem fluvii in Hibernia.

TRes tantum lacus, & decem fluvii, adveniente Partholano in Hibernia extiterunt de quibus ita vetuſtum poema (*i*) habet.

(*i*) *quod incipit.* Adam a-tain Sruth an fluag.

Ni uġabaṁ loċ no lṁ: an Ernáiṁ ġ accion
Aṁ tri loċa ionnaḋ gaiṁ: aṁ. beiċ froċa fgnabann.
Sloiṁfgḋa go fiom iaḋfin: Anmaiṁ na tri fgniocfin.
Fionloċ Inniuf uċt glain: loċ Iuṁgan: loċ fomoṁgmain.
Laoi: Buaf: Baṁa: Dearba buan: Samer: Sligeċ: Modomn: Muaḋ.
Fion: bifc a bangṁb go gleṫ: ifiaḋ fin na fgnaiḃne.

Fordremanus, Finnloch, Loch-lurgan ſtagna vetuſta:
Quos, quam culta prius, fudit Iverna lacus.
Banna, Sligo, Boſius, Finn, Liffeus, Erna, Modhornus
Berva, Lius, Muadus Flumina priſca decem.

Fordreman lacus eſt in Kierrigia juxta Tralciam, aut montem Miſ. Finloch in Keara agri Mayonenſis baronia quæ olim ad Irras damnoniam ſpectaſſe videtur jacet. Pro Loch-lurgan alterius antiquarii poema habet Loch-lumny in Deſmonia; ſed iſte lacus longo pòſt tempore legitur prorupiſſe (*g*). Loch-lurgan vero eſt ſinus maris ſpacioſus inter Tuamoniam, & Weſtconactiam Galviæ ad Oſtium, & ultra in ortum latè porrectus; qui quondam fortaſſe firmâ terrâ à ſalo diſcretus, donec Occidentalis Oceanus confinia abſorbens totum ſui juris fecerit: clauſtrorum reliquiæ videntur eſſe Arannæ tres inſulæ, quæ obrutu non faciles in medio profundo eminent, & editiſſimas præruptas Crepidines decumanis fluctibus objiciunt:

(*g*) *Codex Lecan. fol.* 284.

Super

Superſtes etiam in marino ſinu lacus nomen a quibuſdam longa traditione etiamnum Loch-lurgan appellato.

Banna è decem primis Hiberniæ fluminibus inter Leam, & Elliam præter Clanbreſail regionem ſcaturiens per Neachum lacum ligna in cotes mutando inſignem tranſiens Ændromenſem agrum, & *Fircriviam*, Scriniamque in Londinodorenſi agro interſecat, & tertio à Culrania, & Cataractâ *Eaſcrive* lapide ſe in Oceanum tranſfundit ſalmonibus totius Europæ longè fœcundiſſimus. *Banna.* Φιτναερσόιβε. Εαγερσόιβε.

Sligo ejuſdem nominis opidum comitatus Sligoenſis in Connactia caput interluit Salmones recèns è ſalo ſalientes turgidi in hujus fluminis alveo ſingulis diebus capiuntur, cum in pleriſque fluminibus non niſi ſtatis anni tempeſtatibus, è mari proveniunt. *Sligo.*

Boſius, Hibernice Buas Dalaradiam, & Dalriadiam Dunenſem ſc. & Ændromenſem limitem diſſecat Finnius inter Tironiam, & Tirconalliam dilabitur. *Boſius.* *Finnius.*

Liffeus, qui & Ruireach Midiam, & Lageniam dividens præter Dublinium in altum fertur. Erna, qui & Samarius ex Ernao lacu in mare decurrit in Dungallenſi Comitatu. Modhornus Tironiam irrigat. *Liffeus.* *Erna.* *Modhornus.*

Berva Hibernice Bearbha (non Birgus, nec Brigus) Anglis Barow è Bladma (non Bladina) in Lagenia monte ſcaturit, & ad urbem *Roſs*, cum Feoro aquas commiſcet, donec uterque paucis ab hinc millibus paſſuum & nomen, & aquas in Surio fluvio abſorptus perdit. *Berva.* Ροσιν αο τριτην.

Lius Luvius Giraldo Cambrenſi, & Læus Waræo, è Muſerigia Corcagiam urbem circumfluens in mare exoneratur. *Lius.*

Muadus, Adamnano Moda (*a*), Moadus Giraldo Cambrenſi, Colgano Muadius, Moy Anglis, unde Moy- *Muadus.* *a Vit. S. Columb. lib. 1. cap. 6.*

us

us Waræo è Lugnia diſtrictus Sligoenſis in Galengam Mayonenſem dimanat, & oceanum ingrediens utrumque comitatum diſterminat, Tirfiacria Sligoenſi, & Tiramalgad Mayonenſi ultra citraque poſitis.

CAPUT IV.

Quæ geſta in Hibernia tempore Partholani.

1979. ANno ſeptimo ab adventu Partholani Fea filius Torton unus è colonis Moy-fea campo, ubi ſepulturam nactus nomen reliquit.

1979. Anno decimo primum in Hibernia prœlium apud Sliawnaibh in campo Moy-ithio in Lagenia, in quo Partholanus victor adverſus Fomorios Kiculum filium Galli, & matrem Lothlomniam cum octingentis aliis delevit. Ipſe vulnus accepit, qnod interitum ejus maturavit.

1981. Anno 12. duo lacus, viz. Loch-con in Tiramalgad Mayonenſi, & Loch-Ket inter Sligo, & Roſcoman agros ab O Gara hodie nomen habens, ſtagnare cœperunt.

De quorundam lacuum, & amnium prima origine frequens eſt in ſequentibus ex Antiquariis mentio. Cujuſmodi legimus ſuperiori ſeculo memoriæ proditum in Soncii provincia in China Anno Chriſtiano 1557. lacum ex inundatione factum ſeptem civitates ſubmerſiſſe præter oppidula, & pagos, & mortalium ingentem multitudinem; uno tantum puero in arboris trunco ſervato. In annalibus etiam patriis habetur apud Sliaw-gau montem qui Tirfiacriam, & Lugniam in agro Sligoenſi diſterminat, terram

deli-

delicuisse Anno Domini 1490. multos boves, & equos mole oppressos: centum circiter homines cum mac Magnus de Cros-o-hara eluvione perditos: & eximiam fœtidorum piscium copiam prorupisse. Quo loco lacus exinde remansit piscosus.

Slangius Partholani filius Anno immigrationis 13. in monte Slainge sepultus; unde monti nomen inditum. Mons hic altissimus Oceano imminens in orientali Ulidiâ districtus Dunensis: cui versus aquilonem subjacet portus Inver-slainge, ubi S. Patricius cum Evangelio primum in istis partibus applicuit. Postea Domangardi mons nuncupatus; quia S. Domangardus S. Patricii discipulus ibi eremiticam vitam multis annis exercuit, & in ejus vertice oratorium excitavit, quod magna populi devotione, & concursu frequentatur ob varia, quæ inibi continuo fiunt, curationum, aliorumque miraculorum genera. *Anno M. 1982* *Slangius mort.*

Eodem, quo Slangius è vivis excessit, anno Loch-measg in Partrigia lacus apud Mayonenses è terræ visceribus eructavit.

Secundo abhinc anno ex effosso Lagnei filii Partholani sepulchro Loch-laglinn in Hymachuais Bregiensi in Midia lacus originem habuit, & nomen. 1984.

Loch-eachtra etiam lacus exoritur hoc anno inter Sliaw-modhuirn, & Sliaw-fuaid in Orgiellia.

Decimo à morte fratris anno Rudricius lacu in eum prorumpente obruitur, unde Loch-rudhry nominatur. 1994.

Anno sequenti sinus maris in terram irrumpens Loch-cuan nomine septimus Partholani tempore lacus recensetur. Qui est Brena fretum, per quod S. Patricius ad Inver-sllainge portum appulit. 1995.

CAPUT

CAPUT V.

Partholani coloniæ finis.

Anno M. 1999. PArtholanum apud priſcum campum Moy-alt in Midia è vita exemptum ferunt, ſed ex vulnere in
g *Cod Lecan. fol.* 273. Moy-ithio prœlio illato mortuum aliàs invenio (*g*). Unde univerſam ejus coloniam hoc anno extinctam potius conjicio. Eam trecenteſimo ab adventu anno intra unam Hebdomadem ad novem milia peſte abſumptam alii tradunt. Verum ab hoc anno adventus trigeſimo ne unum verbum de quoquam iſtius coloniæ memoriæ proditum eſt, niſi quemadmodum Vir-
h *Eneid lib.* 6. gilius (*h*) Ditis regnum deſcribit.

Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbras,
Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.

Quod ſecus ſine dubio trecentorum annorum incolatu eveniſſet, ſi fide digna ſunt, quæ infra ejuſdem ſpacii triginta annos eveniſſe memorantur. Proinde triginta, & tercentum non adeo Hibernicè præter quantitatem abſonant, quin Τριὲεὺδ ter centum pro Τριοὲαδ triginta imprudenter uſurpatum cenſendum ſit.

Genealogica porro ratio non patitur Nemethum tribus tantum generationibus Partholano poſteriorem ad trecentos poſt ejus obitum annos perveniſſe, & ſemen ſuum ducentos alios, & amplius vix ultra pronepotes propagaſſe per annos quippe ſupra quingentos poſt Partholanum. Qua ratione hanc coloniam hoc anno potius univerſam abſolvo peſte deletam in loco dicto Τáιmlεϝ mηητιμε Phαηταlóιη. i. In memoriam

riam contagioſæ ſtragis familiæ Part holani; ubi monaſterium poſtea poſitum Tamlactenſe tertio ad Auſtrum lapide Dublinio.

CAPUT. VI.

Nemethiorum adventus.

NEmethus Hiberniam 30. annos deſolatam, & vaſtis Sylvis obſitam ſecunda colonia plantavit; unáque filii Starnus, Hiarbanel vates, Ferguſius Latus rubrum, & Andinnus cum uxore Macha, & nuribus. 2029.

Nemethi tempore Rath-Kinnech in Hy-niellan in Lagenia, & Rath-Kimbaith in Hy-ſemnia Dalaradiæ regione munimenta extructa ſunt: & diverſi campi exciſis arboribus nemorum umbris excluſi.

Anno Nemethi nono Loch-darbreach, Loch-andinn ab Andinno filio Nemethi dictus in Weſtmidia, Loch-cal in Hy-niellan, ſive Loch-mbrenuinn apud Moy-aſuil in Hy-nuallain, & Loch-munramair ſuper campum Seola in Lugnia de Sliaw-guary ſuis ſtagnis campos occuparunt. 2038.

Hinc ad Nemethi mortem tempus certum non deſignatur, ſed in Ardnemethia inſula, quam domini Barry inſulam hodie vocant, in Hy-liathain Corcagiæ plaga cum tribus hominum millibus peſte dicitur ſublatus. Simili mortalitati novas novi orbis colonias nuper obnoxias experientia docet, cum nemoroſas quaſdam inſulas primum occupare contigerit, donec liberioris auræ beneficio, noxiis culturâ diſſipatis umbris, campi detecti ſalubriores redduntur temporis ſucceſſu.

CAPUT. VII.

Nemethiorum exterminium.

2245. NEmethi poſteri Tor-Conang, i. Conangi turrim in Inſula Ultoniæ marina, inde Tor-inis, i. Turris inſula (poſtea D. Columbæ ſacrâ) nuncupata ad excidium delerunt, ex quâ Conangus ille cum Fomoriis Hiberniam graviſſimè inteſtabat. Verum enimvero eâ victoriâ brevi potiti ſunt Nemethii, cum Morcus filius Delai è Fomoriis recenti ſubſidio inſtructus illuc inopinus appulerit, ubi adeo infeſtis ſignis qua mari qua terrâ acriter dimicatum, ut colliſis utrinque viribus, Nemethiorum coloniæ ſit finis impoſitus, & Hibernia rurſus deſerta, annos, ut aiunt, ducentos Sylveſceret; ſeries autem tam Chronologica, quam genealogica ſequentium annos ad minus 412. depoſcit.

Nemethiis, qui ex clade ſuperſtites, ſolum vertere ſtatuentibus, Britannus ex Ferguſio Rubro latere filio, Nemethi nepos Britanniam Magnam cum ſuis adiit. Ille juxta noſtros pleroſque Antiquarios (*b*) Britanniæ, nomini originem dedit: quæ *Inſula*, ut aiunt (*i*), *Magna* ante dicebatur. Quod quidem Inſulæ ſimpliciter Magnæ nomen antiquitus Britanniæ tributum etiam apud exteros legitur, ut in Ariſtidis oratione Ægyptiaca: Bruti vero (utpote qui nunquam in rerum natura extitit) de Britanniæ nomine origine fabulam & Britones ipſi, & omnes alii graviores judicii Scriptores rejiciunt. Gildas Britonum vetuſtiſſimus auctor, Scripto-

(*b*) Videſis Scriptores vetuſti Ames Vitæ S. Patricii qui ab hoc Britanno Britannos dictos, & S. Patricium ſatum tradunt: apud Colganum in Triade Thaum. pag. 2. n. 4. pag. 224. cap. 3. & Cod Lecan. fol. 276.

Scriptorum patriæ monumenta, ſiqua fuerint, aut ignibus hoſtium exuſta, aut civium exulum claſſe longius deportata non comparere ſuo tempore profitetur.

Ibathes, vel Baathes Nemethi ex Hiarbanele filio pronepos (quo orti Danannæ in Hiberniam regreſſi) ad Aquilonares Germaniæ partes vela ex Hibernia ſolvens direxit.

CAPUT. VIII.

Belgarum Colonia.

BElgæ è Magna Britannia tertiam in Hiberniam coloniam traduxerunt, ducibus Slangio, Rudricio, Senganno, Gananno, & Ganno quinque filiis Delæ filii Loichi. Tribus diſtincti erant nominibus Galleniis, Damnoniis, & Belgis; aſt communi Belgarum appellatione omnes innotuerunt. *Ann.M* 2657.

Slangius Gallenios ducebat, & ad Inver-Slainge fluminis ab ipſo nominati per mediam Lageniam in Wexfordiæ ſinum prolabentis oſtium exſcenſionem fecit. Rudricius cum Belgis ad tractum Rudricii in Ultonia, & Damnonii, ducibus Ganno, Gananno, & Senganno ad Inverdomnan appulerunt. Duo ſunt hujus nominis portus duæ Hiberniæ ferè qua lata eſt, ab ortu ad occaſum extremitates: Uterque Inver-domnan, & Inver-more appellatus; unus ad Auſtrum Dublinii in Orientali Lagenia, nunc Arckloa dictus, ubi Damnonii tum primum applicuerunt, & ab eoque ibidem appulſu Inver-domnann nominatus: alter in ipſa Occidentali Hiberniæ extremitate in Irras damnonia Connactiæ regione mari prominente, ubi Damnonii longo poſt tempore latè dominati nominis anſam dederunt.

Inſulam quinque partito inter ſe diviſerunt. Slangio cum Galeniis à portu Colpano Pontanum alluente Boindi oſtio ad trium amnium alveum, ubi nimirum Berva, Feorus, & Surius infra urbem Roſmactriun confluunt, Lagenia: Rudricio cum Belgis à Drobiſio fluvio inter Sligoam, & Ernaum ad Boindi oſtium Colpanum Ultonia: Ganno à trium amnium alveo ad Belach-conglais prope Corcagiam Deſmonia, ſeu Auſtralis Momoniæ Achaii Abratruaidh poſtmodo provincia. Senganno inde ad Ros-daſhailech, ubi Limericum jam ſitum Aquilonaris Momonia, quæ Curoi filii Darii provincia nuncupatur, & Gananno hinc ad Drobiſium Connactia obtigerat.

CAPUT. IX.

Belgarum dynaſtia: Slangius primus Rex Hiberniæ.

BElgæ primi regium magiſtratum in Hibernia inſtituerant, cum quinque fratribus alternatim obire paciſcentibus. Primus Hiberniæ monarcha ſalutatus eſt Slangius.

Triginta Septem tantum annos huic dynaſtiæ tribuit G. Coemanus (*m*) ad hunc modum.

(*m*) *In Poemate Ethnicorum Hiberniæ Regum.*

1. Slangius poſt unius anni ſpacium apud Dumha-Slainge[1] in Lagenia ſepultus eſt.

[1] *Nunc Dinrigiam in margine Bervæ fluminis inter Catherloghum, & Leighlinum.*

2. Rudricius poſt alterum regni annum apud Bruighna-boinne, id eſt, Burgum ad Boindum flumen è vita exceſſit.

3. 4. Gannus, & Gannanus 4. annos unà regnarunt donec peſtis apud Fremonn Weſtmidiæ montem eos ſuſtulit.

5. Sengannus fratrum ultimus quinquennium regnans à ſucceſſore trucidatur. 6. Fiachus

6. Fiachus capitis candidi Delæ ex Starno filio nepos regnum patrui cæde quenquennio uſurpatum patruelis ſuccedentis ferro cum vita amiſit.

7. Rindalus Gananni regis filius pro deceſſore talionem à ſucceſſore ſexto regni anno in Krivenſi prœlio accepit. Cat Cruaibe.

8. Fobgenius Senganni regis filius poſt quadriennii regnum patruelis Rindali necem ejuſdem ex filio nepotis ſuccedentis armis apud Moymurthemne in agro Louthiano cæſus ſuo ſanguine rependit.

9. Achaius Rindali regis ex Erico filio nepos Rex decennio regnavit.

Verum enimvero iſta enumeratio ex regum ſibi invicem ſuccedentium ordine, quocum in quinque primis regibus & intra unum in ſexto, ſeptimo, & nono concurrit, deſumpta potius videtur, quam ut regnantium annos deſignet: nimis enim fortuita vitæ, & mortis tempora quemlibet in iis ordinem ſuſpectum reddunt. Expendenti porro horum novem regum numerum, & generationes duas, quibus ultimus eorum à primis diſtat, mihi multo potior eſt poematis chronologici (*a*) ſententia, qua octoginta anni Belgarum durationi referuntur. a Alñatt a nall nle.

Achaius ille ultimus Belgici generis rex Cœlo ſereno, & frugum copia per decennale ſuum regni tempus continuo potitus memoratur.

Quo regnante, hi provinciis quinque partitis præſidebant; Alla de ſtirpe Ganni Auſtrali Momoniæ; Mealla Slangio ſatus Lageniæ; Sreangus è Senganni ſemine, & Orſus Gananno ortus Momoniæ Boreali; Kearbus Rudricii è Buanio filio nepos Ultoniæ; & Slangius Fionn filius Achaii Gananni ditioni quæ eſt, Connactia.

CAPUT.

CAPUT. X.

Danannarum in Hiberniam incurſio.

Anno M. 2737. DAnannæ, duce Nuado Argentimano, ex Aquilonari M. Britanniæ plaga Hiberniam ab Aquilone aggreſſi ſunt. Apud Moyture in Partrigia de lacu (1) in Conmacnia de Cuil-toladh (2) concurritur. Ubi ingenti prœlio Belgarum res penitus exciderunt, occiſo apud Traigh-an-chairn (3) Achaio rege à Caſarb, Luam, & Luachra Nemethi filii Badrai filiis è Danannis, qui illum è prœlio iſtuc inſectati ſunt.

Nuadus Danannum ſtrategus amputatæ in hoc prœlio manus uſum perdidit, pro qua argentea manu artificioſè accommodatur, unde Argentimanus dictus. Credius aurifex manum fabricavit, & Miachus filius Dian Kecti medicus corpori adjunxit. Non ita pridem in Italia Hieronymus Capivacius vir inaudita medendi ratione præcelluit, qui labra, nares, aures hominibus, quibus deeſſent, adeo affabre reponebat, ut proximè miraculum ars eſſet (*a*).

1 *Viz. Loghmeaſg lacus.*
2 *Nunc Cuileagh, & baronia de Kilmayn in Mayonenſi diſtrictu.*
3 *Hodie Traighcotbuile in Sligonenſi agro littus marinum, ubi congeries lapidum (unde Traigh an-chairn dictum videtur) etiamnum conſpicitur in medio littore ſemper ſ. Cl. bus mirabiliter eminens.*
a *I. H. a Pflaumern: in Bononia, pag.* 84.

CAPUT. XI.

Belgarum reliquiæ.

BElgæ quotquot fuga elapſi poſt Moyturenſe prœlium in Arannam Borealem, Ileam, Recraniam, & Hebridum inſulas ſe contulerant: pars etiam Manniam, pars ipſam Britanniam petierunt (*b*). Bellum quoque in ſecundo Moyturenſi prœlio Fomoriis adjuncti

b *Cod. Lecan. fol.* 277.

juncti redintegrasse dicuntur (*c*) sed frustra. Scotorum vero tempore, quos, ut verosimile est, adversus Dananas in expugnanda Hibernia adjuvarunt, Latifundia, & dignitates recuperarunt. Ex iis enim Crimthannus Skiath-bel (ab Herimone rege) Lageniæ præpositus, quæ Galleniorum provincia dicta est. Ernai, & Martinei, de quibus frequens in sequentibus mentio, de Belgarum reliquiis erant. c *Ibid. fol. 273.*

Damnonii fuere vetustissimi Connactiæ reges ad Cormaci regis Hiberniæ (*d*) tempora; de quibus Gamanradii de Irras, Tuatha-taidhen, Clanna Morna, Clanna Huamoir, Fir-na-craibhe, gentes de Sliaw-furri, è quibus Tinneus, & Achaius Allat Reges Connactiæ; Item Gabradii de Succa, & Partrigii: Ganannum regem Hiberniæ vel Senganni regis Hiberniæ filium Sreangum omnes hi præferunt majores. Tres præcipuæ fuerunt familiæ, viz. Gamanradii, Fir-craibii, & Tuatha-taidhen; à quibus Connactia in ternas Connactias distincta, & hi Fir-olnegmact etiam sunt appellati. Partrigii in Kilmayn baroniâ Partrigiam de Keara Fiachi Giallait posterorum deinde ditionem, Patrigiam de lacu, in qua Cunganum monasterium, & Moyturensis primi prœlii campus jacent, & Partrigiam de monte à S. Patricii monte ad lacum Orbsen protensam incoluerunt. De clanna Huamoriis Æneas, & Conquovarus paulo ante Salvatoris adventum sub Mauda Connactiæ regina floruerunt, ab hoc Dun-ængus ingens opus Lapideum sine Cœmento tamen, quod ducentas vaccas in area contineret supra altissimam maris crepidinem è vastæ molis rupibus erectum adhuc extat in Arannâ magnâ sinus Galviensis insulâ, S. Endei incolatu, & Sanctorum multitudine postea celebri: ab illo perpetua incolarum traditione Conquovari filii Huamorii Dunum nuncupatur d *Anno Christi. ane* 254. *accepit.*

alia

alia ſimilis maceries inde non procul ad ortum in Aranna media inſula.

His præterea locis in diſtrictu Galvienſi Belgas nomina indidiſſe fama eſt; Logh-Kime (1), Rinntamuin in Medrigia (2), Logh-cutra, Rinnmbeara, Molinn, & Carneonuill in Aidhnia (3). Item in Weſtmidia Logh-huair (4) Moynaſuil. Item Moymoen, & in Tuamonia Moy-adhoir. Denique Moy-ſachnoliam, hodie Hymaniam in agro Galvienſi poſt S. Patricii adventum inſederunt; atque ibidem O Layn, & in agro Sligoenſi O Beunachan ad noſtra uſque tempora non ſpernendi latifundii dominus, ab iis originem derivantes reſtant familiæ.

1 *Hodie Loghbrikget in Clare baronia.*
2 *Peninſula ad Auſtrum Galviæ.*
3 *Kiltartan baronia.*
4 *Prope Mulengare.*

CAPUT. XII.

Breaſus rex Hiberniæ decimus, Danaunarum dynaſtiæ primus: Nuadus Rex Hiberniæ undecimus.

2737. BReaſus filius Alatani è Fomoriis originem trahens regno recens adepto, dum Nuadus convaleſceret, præficitur. Ipſe enim maternum genus à Danannis duxit; cujus mater Eria filia Dalboethi filii Nedii, à quo Nedio cæteri reges Hiberniæ è Danannis procreati. Breaſus igitur primus Danannarum è dynaſtia, & unicus è Fomoriis Rex Hiberniæ ſeptem annis.

2744. Nuadus Argentimanus amoto à Reip. clavo Breaſo, Danannarum imperium reſumit Rex Hiberniæ 20. ann.

2764. Breaſus privatam ſortem iniquo animo ferens Fomorios ad recuperandum ſceptrum accerſiit; & apud Moyture (1) à priori boream verſus aliquot paſſuum millibus diſſitum prœlium conſeritur, in quo Balarus Bemen, ſeu Ballibemnich Fomoriorum dux jactu lapidis

1 *In confinibus Tirolillæ in Sligo, & Tirtobillæ in Roſcomana gro.*

dis è quadam machina Tabhall dicta (quam fundam nonnulli eſſe volunt) à Lugadio Longimano ſuo è filiâ nepote proſtratus occubuit. Breaſo quoque cæſo Danannis ceſſit victoria; ſed non incruenta ea ob Nuadi Argentimani regis, & Ogmai Grianani, aliorumque necem. Heic quoque Kethlenda Balari uxor malignum vulnus Dagdao regi poſthac Hiberniæ eminus inflixit.

CAPUT. XIII.

Lugadius Longimanus Rex Hiberniæ duodecimus. Dagdaus R. H. tertius decimus.

LUgadius Longimanus mac Kein à patre Kieno, mac Kethlenn abavia Balari uxore, & mac Scalbalb à diverſis appellatus Nuado in altero Moyturenſi prœlio cadenti ſucceſſit R. Hiberniæ 40 an. 2764.

Taltenios ludos in Talten Midiæ monte circa Kalendas Auguſti (ut nunc loquimur, unde eædem Kalendæ etiamnum Lughnas, i. Lugadii memoria dicuntur) quotannis celebrandos inſtituit in honorem Talteniæ (filiæ Magmori Iberi principis) ultimæ Belgarum reginæ, quæ poſt Achaii regis in priori Moyturenſi prœlio cædem Achaio Garbh filio Duachi nobili è Danannis viro nupſit, & Lugadium, donec ex ephebis exceſſit, educavit. Poſt primum igitur Moyturenſe prœlium videtur ex Ethnea Balari filia genitus, qui in ſecundo Moyturenſi poſt annorum 27. intervallum avum maternum proſtravit.

Ex hujus, ac Breaſi regis matribus, è variis quoque conflictibus, & quibuſdam nominibus utrique genti communib. facile colligitur Fomorios, & Danan-

nas non adeo à se invicem disjunctos, & alienos fuisse, quin fœderum, & connubiorum commercia ultro, citroque subinde interceſſerint. Sed non mirum res tot seculis abstrusas multa obscuritate involvi.

Taburnus Danannarum omnium stirps (cui Ibathes Nemethius avus extitit) nepotem è Tatio filio habuit Allaum Ordonis, & Indai patrem Ordoni pronepos erat Nuadus Argentimanus. Indao per Nedium filium pronepos Dian Kectus Lugadii Longimani regis avus. In Alcludensi olim regione juxta Dunbriton in Scotia erat campus Taburni, in cujus oppido Nemthor S. Patricius natus. Quare à Patricianæ vitæ scriptoribus Campus Tabernaculorum redditur, quasi à Romanorum tabernaculis ibi castra metantium ita dictus: Sed ab illo Taburno potius Danannarum patre, qui ex eadem Britanniæ plaga in Hiberniam devenerunt, nomen dimanasse sentiendum.

Lugadii reginæ Bua, & Nasa è Britonum regio sanguine: ab hac Knockbua, ab illâ Nasa Lageniæ quondam regia fertur nominata. Primus ipse in Hibernia Eques perhibetur, utpote qui primus unius equi dorso equitans insedit. Hujus circiter seculi initio, ut obiter advertam, Lapitharum cum Thessalis bellum gestum est, in quo Thessali dicti centauri, quia ex equo pugnabant, quasi unum esset corpus eques, & equus. Quamobrem poetæ fingunt Ixionem Thessalum centauros ex nube genuisse humanâ facie, & equino corpore. Unde bimembres, semiferi, biformes dicti, de quibus Claudianus.

Nec plus nubigenas duplex natura biformes
Cognatis aptavit equis.

Cõndrum. 2804. Lugadius rex apud *Coendruim*, hodie Usneach, montem in Westmidia diem clausit extremum. Dag-

Dagdaus, cujus pater Alatanus, & Lugadii avus Dian-Kect patrueles, Lugadio ſucceſſit R. H. 80 annos. Quot nimirum Aiod de tribu Benjamin Hebræis præfuit (*a*).

a *Judicum* 3. 30.

CAPUT. XIV.

Dalboetius R. H. quartus decimus. Fiachus R. H. quintus decimus.

DAlboetius, cujus pater Ogma Griananus poſteri- 2884.
ori Moyturenſi prælio occidit, Dagdao patruo vulneris in eodem prælio Kethlennæ jaculo pridem accepti tabe apud Brugh conſumpto ſuffectus decem annos regnavit Rex Hibernæ. Etana poetria filia Diankect filii Aſaraci filii *Nedii* Lugadii regis amita, & ſoror Armedæ medicæ fuit mater Dalboetii regis, & Carbrei poetæ filii Turai, filii Turendi Alathanus filius Dalboetii filii Nedii avunculus Breaſi regis Hiberniæ præter Dagdaum regem, & Ogmamtres filios progenuit, viz. Breaſum, vel Breaſalium, Dalboetium, & Alladium. Dagdao regi fuere Æneas, Aidus, & Kermodus mellei oris cum filia Brigida poetide. Alladio tres filii Orbſenius, Bronius, à quo Moybroin in Tiramalgad (1), & Keatus, à quo Moy-Ketne in Carbria Sligoenſi infra Drobiſium fluvium.

1 *Nunc contracte Tirawly baronia Mayonenſis agri.*

Orbſenius mercator erat negotiationibus inter Hiberniam & Britanniam tractandis inſignis; Manannan mac Lir vulgo dictus; Manannan ob commercia cum Mannia inſula, & mac Lir, i e. mari ſatus obnandi, atque urinandi peritiam; quod portuum quoque diſcrimina apprimè calleret; ac aeriæ præſcius vi-

ciſſitudinis à tempeſtatibus præcaveret. Succubuit vero in prœlio apud Moycullin in margine ſpacioſi lacus Orbſen, qui per Galviam fluvium in ſinum Galvienſem exoneratur, ab Ullinno Nuadi regis Hiberniæ per Thadæum filium nepote confoſſus. Pugnæ loco Ullinnus, laco Orbſenius nomen indidit; de his ita Flannus à monaſterio (*a*).

a *Ex permiſſ. Eugenii a Colcâ Canon.*

Do chęm mac Allóid go náż: an miñ moṁgárż Manañán
Al gan éaċ ag Uillíñ ċnuáiḋ: Do láim Uillíñ aḃraḋruaiḋ.

Occidit Alladii proles generoſa Manannan
Ullinno Ullinni manibus certamine victus.

Magh-ullinn igitur campus Ullinni, in quo ſcilicet congreſſus eſt, parva mutatione fit Moycullin. Locus hic natalitius meus fuit, & longa atavorum ſerie patrimonium. Mannerium erat regiis diplomatibus à regio vectigali exemptum, fori & nundinarum privilegio dotatum, ac curiæ, quam vocant Seneſchalli, libertate ad dirimendas lites honoratum. Infra bimatum vero patre orbatus minorennis patriæ legibus in tutoriam regis cuſtodiam deveni, & nummos, ut mos erat, pro tutela numeravi: Sed antequam ex lege per ætatem licuit hæreditatem adire, tutoris præſidium amiſi regis mei parricidio undeviginti annos natus, & regius hæres Semeſtri me junior peregre victum quærere compulſus eſt. Regium hæredem Dominus bonorum omnium applauſu citra pulverem & ſanguinem ad ſua regna mirabiliter revocavit: Sed me non dignum invenit, cui tugurii mei regnum reſtituat. Tibi ſoli peccavi, Domine; Sit nomen Domini benedictum in æternum.

Dalboetius rex Hiberniæ ſeptem filios, & tres filias

as procreavit, viz. Fiachum, Ollavum, Indaum, Elcmarum an bpoga, id est, de Burgo, Brianum, Ucarbum, & Ucarium. Tres filiæ erant Badba, Macha, & Dananna, quæ Mor-riogná, seu Magna Regina appellatur. Nam è patris sui Dalboetii regis concubitu Brianum, Ucarbum, & Ucarium concepit. Ab ea duo colles in Luachair Deaga in Momonia Danannæ mammillæ vocati. Danannæ, & sororum mater fuit Ernmasia Nuadi Argentimani R. H. ex Adarlamio filio neptis, quæ etiam Fiachum & Ollavum Dalboetio regi peperit.

Elcmari filii Dalboetii duæ filiæ Fea, & Nemanda fuerunt uxores Nedii, cujus pater Indaus ejusdem Dalboetii regis filius. Ab hoc Nedio Olichia in Insoniâ Oleach-neid dicta est.

Dalboetius rex non à filio Fiacho, ut quidam habent, sed à Cathirio filio Namat Achaii Garbh nepote perditus interiit cum Ollavo filio: & ultor Fiachus à Cathirio cæso pœnas exegit (*b*).

b *Codex Lecan. fol.* 280. *a.* 281. *b.*

Fiachus Dalboetio patri occiso successit rex Hiberniæ decem annos; donec Eugenius de Ard-invir, seu de Invermor violentas ei manus intulit, & cum eo Ollavi germani sex filii conciderunt. 2894.

CAPUT. XV.

Mac-cuill, Mac-Keuct, & Mac-grene Reges Hiberniæ decimus sextus, septimus decimus, & decimus octavus.

DAnannarum dynastiæ ultimi reges Mac-cuill, Mac-Keuct, & Mac-grene Dagdai regis ex Kermodo Melleodore filio nepotes post Fiachi mortem regnum 2904.

num Hiberniæ non uno, ſed alternis vicibus triginta annos fraterno fœdere adminiſtrarunt. Horum reginæ Banba, Fodla, & Eria nomina ſua Hiberniæ ſermone vernaculo impoſuerunt; è quibus Ere frequentius vulgo uſurpatur.

CAPUT. XVI.

Scotorum expugnatio.

2934. ÆStatis initio, Kalendis Maiis in feriam quintam, & diem lunaris ætatis ſeptimum incidentibus, Mileſii; octo nimirum filii Golam Militis Hiſpanici cum affinibus, & agnatis Scotorum coloniam, quæ præter Fomorios poſt Diluvium quinta eſt, gentem Scythicam in Hiberniam tranſtulerunt. Expeditionis occaſio data eſt Ithi, qui Militis patruus erat, à Danannis, dum Hiberniam ſorte viſeret, trucidati cædes, ad quam ulciſcendam bellum illatum. Alii produnt Hiſpaniam viginti ſex annorum ſpacio ob nimiam aeris ſiccitatem tum ſterilitate adeo laboraſſe, ut multi ad quærendas peregrè ſedes ſolum vertere decreverint. Duces præcipui Hibernicæ expeditionis erant numero quadraginta, Ciulis (*a*) 120. præfecti; Heberus Donn octo fratrum natu ſenior, & Herimon penultimus claſſi ex Hiſpania ſolventi ſummi duces præfuerunt; donec ab Hiberniæ littore incolarum propulſu abacti Heberus idem, & Arecus frater ad Tec-donn in Kierrigia, Hirus ibidem ad Skelegas ab Auſtrali parte Corcodubniæ, Colpa procul inde in confinibus Ulroniæ & Lageniæ ad Inver-colpa Boindi fluminis Oſtium, & Arannanus natu minimus è

(*a*) *Nevium ita numerum, & nomen exprimit Nennius vetus auctor Britannicus, qui Anno D. 850. floruit.*

malo

malo cadens in Scopulos, tempeſtate obruti impegerant. Superſtitum natu maximi Heberus Finn tertio genitus, & Amerginus ad Inverſgene, ubi Sgenea Amergini uxor occidit, in Kierrigiam appulerunt, & tertio poſt appulſum die apud Montem Mis palmam de mille incolis cæſis referunt, deſideratis trecentis. Inde ad Herimonem, ſolum poſt Heberi Donn caſum ſupremum expeditionis præfectum, præfato Boindi portu Colpano allapſum perrexerant. Ubi conjunctis viribus ad Talten in Midia Danannûm gentem, ſingulis tribus regibus ſingulorum advenarum fratrum Heberi Finn, Amergini, & Herimonis ferro cadentibus, memorabili prœlio penitus exciderunt, moxque univerſam Inſulam in ordinem redegerunt.

Qua nocte Hiberniam claſſe attigerant duobus lacubus terram delicuiſſe fama eſt; è quibus Loch-lumnius in Deſmonia, & Loch-laigdeus in Kierrigia. Durantibus vero Belgarum, Danannûmque dynaſtiis non lacum è terra, nec campum è nemorum umbris memoriæ proditum reperio. Lacus Orbſen nomen tantum, non originem Danannum tempori debet, quantum ſcriptis potui colligere.

Poſt Taltenium prœlium, & ſubactam Inſulam Hebero cum Herimone de principatu non conveniebat, quouſque Amergini ſententia intervenerat, qua Herimonem ſupremi ducis ſublati Heberi Taniſtam, ſeu optionem è patria deſtinatum ei ſublato ſuffici oportere adjudicavit, & Heberum Finn ſuperſtitem Herimonis Taniſtam deſignavit; nempe qui à principe eſſet ſecundus, & in demortui locum debitum ſuccedendi jus haberet.

Amerginus ſub fratribus ſuis ſupremus vates fuit. Quo nomine (Filedh, quaſi Philoſopho) non poetæ tantum, ſed etiam aliis ſcientiis apprimè verſati audiebant.

ebant. Idcirco G. Comdeus O Cormaic in poemate Hibernico de præcipuis Hibernicis authoribus hunc ſuæ Coloniæ primum enumerat ad hunc ſenſum.

Primus Amerginus Genucandidus author Iernæ:
Hiſtoricus, Judex lege, Poeta, Sophus.

His ſanguine proximi erant Heberus ex Hiro fratre undis abſorpto nepos, & Lugadius, cujus ſemini in Momonia principatus obtigit, Ithi pridem occiſi filius, & Herimonis ſocer. Septem erant celebriores hujus migrationis fœminæ, viz. Odhba ſoror, & uxor Herimonis, Thais filia Lugadii illius altera Herimonis uxor, Felia Lugadii ejuſdem uxor, à qua Inverſele fluvius, Sgenea Amergini uxor, Faſia, cui vir Unius filius Ogai, Libena, cui Fuadius, & Scota.

E quadraginta ducibus præter jam dictos fuere Herimonis quatuor filii, & Heberi totidem. Item Breagus, Cuala, Cualgnius, Bladus, Fuadius, Murthemnius, Eblinnus, & Narius; à quibus Bregia in Midia, Sliaw-cuala, Sliaw-cualgnia, Sliaw-bladma, Sliaw-fuad, Murthemnia, Sliaw-eblinna in Momonia, & Roſnaria in Bladma monte nomina dimanant. Item Segdaus, Fulmanus, Mantanus, Cachirius, Surgius, Unius, Edanus, Goſtenus, &c.

Hiberniâ ita domitâ novi coloni varia munimenta, & vallata propugnacula Ratha, & Duna Hibernicè dicta condere, & campos nemoroſos ſecuribus ad culturam reducere moliuntur.

2037
149
432
81
2699

Hinc perpetua Mileſiæ ſtirpis poſterorum in alterutrâ Scotiâ Regum ſeries ad Kalendas Maias hujus præſentis Anni Domini 1684. per annos 2699. In ipsâ Hiberniâ nullis exterarum gentium incurſibus interrupta ad obitum Malachiæ ſecundi annos 2037. dein poteſtate regia inter æmulos principes plerunque diviſa

viſa ad Henrici filii Imperatricis Angliæ regis appulſum, Roderico rege poſtremo tum regnante, annos 149. ad reſtitutum poſtea Hiberniæ Mileſii Sanguinis regem Jacobum in Imperiali Magnæ Britanniæ ſtemmate annos 432. & abinde ad ejuſdem nepotem Carolum 2. jam 36. regni annum agentem annos 81.

CAPUT XVII.

Herimon Rex Hiberniæ decimus nonus, Scotorum dynaſtiæ 1.

HErimon è Mileſiis primus regnare cœpit in Hibernia & orta iterum ſimultate, Heberum fratrem in acie interfecit ad oram Bridhamh apud Geſillam in Hyſalgia Lageniæ regione; ubi infeſtis ſignis inter fratres certatum eſt, peſſimo in poſteros derivato in cognatorum Sanguinem Sæviendi documento ſed 2935.

Contigerat primis quod fratribus Urbis, & Orbis
Scotica fraternis cædibus orſa domus.

De his ita Latinè habetur in Pſalterio Pſaltair-narann dicto, quod Ænguſius Colideus circa annum Chriſti 800. Scripſit. *Hibernia Inſula inter duos filios principales Militis Heremon, & Eber in duas partes diviſa eſt: Eber autem Auſtralem partem Hiberniæ accepit; Heremon quidem Septentrionalem cum monarchia accepit. Heremon autem primus de Scotis omnem Hiberniam reg-*

navit per tredecim annos, & quinque filios electos genuit; quatuor (1) *ex iis regnaverunt Hiberniam per tres annos, & Jarel propheta* (a) *decem annos. De ſemine ipſius Hiberniam 58. Reges* (2) *dominaverunt, antequam Patricius Hibernienſibus paſſionem, & Catholicam fidem, regulamque Chriſti narraret. Et poſt Patricium de prole ejus quinquaginta Reges* (3) *dominaverunt.*

1 Ex his quatuor Palæum Antiquas tres regem non agnoſcunt, ſed tantum tres alios, de quibus infra.

a Hunc Eurylum vatem voco.

2 De ſemine Herimonis pro 58, 59. petius regis præter ipſum Herimonem Scriberet.

3. Notandum vero authorem iſtum antiquum non perveniſſe ad numerum 50. regum poſt S. Patricii adventum; ſed alios poſt eum addidiſſe reges mortem ejus ſecutos. Quinquaginta illi reges erant 46. de ſemine Nielli Magni, Olillus Molt è ſemine Fiachrii fratris Nielli, Murchertus mac Lochluin è ſemine ipſius Nielli, Tordelvacus O Conor, & Rodericus filius è ſemine Briani fratris ejuſdem Nielli.

2936. Herimon Rex anno regni ſecundo Hiberniam juxta Belgarum diviſionem inter ſuos diſtribuit. Hebero ex Hiro fratre nepoti Ultoniam, & Erao, Orbao, Feronō, ac Fergnāo ex Hebero Finn occiſo fratre genitis utramque Momoniam conceſſit. Unio, & Edano Connactia, & Crimthanno Skiathbel è Damnoniis priſcis Belgarum Connactiæ, & utriuſque Momoniæ incolis (qui forte Mileſiis adverſum Danannas opem tulerunt) Lagenia obvenit.

Temoria. Tea, ſeu Thais Hiberniæ regina Temoriam i. Teæ murum ab ipſa nominatam Regum Hiberniæ deinceps regiam hoc annō pro ſobolis ſuæ domicilio, & ſuæ ſepulturæ loco erexit. Heic regiam primus fixit Achaius rex Belgarum ultimus: Tulach-an-trir, & Carn-anænſhir tum dicta; ſed antè Liathdruim, & Druimcaoin; Danannarum etiam tempore cathair Crofinn i. urbs Crofinn appellata.

2937. Proximo anno Amerginus in prœlio ad Bile-tene in Bregia Orientalis Midiæ plaga Herimonis etiam fratris

fratris armis occubuit. Quo anno Scotorum adventus tertio novem fluvii in Elia Carolina (1) Broſnach dicti, novem in Lagenia Regii, & tres in Tirolilla (2) dicti Nunſinni alveos ſuos primum irrigarunt.

(1) *In Lagenia comitatu Regi nali.*
(2) *In agro S. Georgii in Connaſtia*

Tertio abinde anno Hi lacus ſtagnare cœperunt Loch-Kime, hodie Loch-hacket ſuper Moy-ſreang campum in Muntir-moroghow Rectoria diœceſis Tuamenſis apud Galvienſes, Loch-buadha, Loghbaa, Loch-rein, Loch-finnmoy, Lochgrene, Loch-riach in Moenmoyâ ditione, nunc Clannrickard dictâ intra Galviæ etiam diſtrictum, Loch-da coech in Lagenia, & Loch-Laigh, ſeu Vituli lacus in Ultonia. 2940.

Ut de his lacuum irruptionibus mirari deſinas lector, Dionyſius Halycarnaſſæus, qui paulo ante Chriſtum natum, imperante Auguſto, Floruit, memoriæ prodidit ſuo tempore in lacu pellucente extitiſſe veſtigia ædium Alladii Latinorum regis, qui anno Mundi ex Scaligeri computo 3095. vivere deſiit a Livio Romulus Sylvius, ab Ovidio Acrota dictus.

Quarto de hinc anno Unius, & Edanus Connactiæ reges in Comar prælio in Midia Herimonis armis ſuccubuerunt. 2944.

Eodem anno Ethne Weſtmidiæ, & Long-fordiæ fines in Hyniellia (3) interfluens, tres Succai inter Galviæ, & Roſcomaniæ agros, & Fregabhail inter Dalaradiam, & Dalriedam in Ultonia, fluvii Scaturire exorſi ſunt.

(3) *Nielli Magni R. H. poſterorum terras Midiam &c. univerſam ſic vocant.*

CAPUT XVIII.

Pictorum in Hiberniam & inde in Britanniam migratio.

Pictos in Hiberniam appuliſſe, regnante illic Herimone, eoque repugnante, ne ibidem ſedes figerent, vicinam ſeptentrionalem Magnæ Britanniæ plagam occupaviſſe, pactaque cum Hibernis amicitia ab iis exoraſſe uxores, ea conditione, ut ex fœminarum æque ac virorum proſapia Pictorum reges impoſterum, eligerentur, Cormacus Epiſcopus, & rex Momoniæ in ſuo Caſilienſi pſalterio conteſtatur, idemque habet liber Hiberniæ migrationum. V. Beda (*a*) eos è Scythia in Septentrionales Hiberniæ oras intraſſe habet: Wexfordiæ vero ſinum in orientali Hibernia juxta Cormacum attigerant à Crimthanno Skiath-bel tum rege Lageniæ aliquamdiu recepti. His præfuere in hac expeditione Gud, ejuſque filius Cathluanus: & Cathluanus ille, vel Camelonus, ut eum Hector Boethius vocat, primus habetur Septuaginta regum, qui inde ad Scotorum Dalriedinorum coloniam in Albaniâ regnaverunt (*b*).

a *Bed Hiſtor. Eccl. l. 1. c. 1.*

b *Juxta poema Hibernicum de regibus Albaniæ ad Malcolmi 3. Scotiæ regis ab anno 1058. ad ann. 1093. tempus, quo erat compoſitum: de quo Colgan. in Tr. Thaum. p. 114. note 144. Wardæus in vitis S. Rumoldi pr. 361. & p. 371.*

Ex eâ majoris Germaniæ parte, unde Gothi, & Dani oriundi, quæ hodie Dania, Daniam, Sueciam, & Norvegiam complexa, olim Scythia citerior, & Borealis dicebatur eos prodiiſſe communior eſt ſententia. Cruithne à noſtratibus appellantur eodem ſenſu, quo à Latinis Picti; frequenſque in hiſtoriis noſtris fit eorum memoria ob crebra commercia, connubia, & res bellicas. Primaria etiam ex Hiri Mileſii poſteris familia Dalaradii à Scriptoribus patriis alio nomine Cruithne vocabantur; quos S. Adamnanus in vita

Cruithne.

S. Co-

S. Columbæ, ut à Pictis Britanniæ diſtinguat, non Pictos latinè, ſed Cruthinios vocat, & illos Britanniæ (quos noſtri perinde Cruithne) Pictos; ut; *Aidum cognomento nigrum regio genere ortum Cruthinium gente* (c) & paulo poſt *qui & Diermitium filium Kerbuill totius Scotiæ regnatorem interfecerat* & ibidem (d) S. Columba ad Comgellum ait; *Tui ſecundum carnem cognati Cruthinii populi.* Aidus vero ille Diermitii filii Kerbhuill Hiberniæ (quam ibi author Scotiam vocat) regis interfector, & S. Comgellus, vel Comgallus Bennchorenſis de Dalaradiis fuiſſe compertum eſt. In vitis diverſis S. Patricii pariter Dalaradia Cruthenorum regio vocatur, quemadmodum apud Colganum in Triade Thaumaturga, S. Patricii vita ſecunda cap. 30. *Cæpit per terram iter dirigere ad regionem Cruthenorum donec perveniret ad montem Miſ.* Vita 4. c. 34. idem habet, & vita 5. c. 29. Mis autem ille mons abſque controverſia in Dalaradia eſt, & à monte Mis in Momonia, qua lõnga patet Hibernia, fere diſtat. Flannus quoque de Monaſterio cecinit (e) Fothadium Argteach in Cruthneorum ditione occubuiſſe; qui in Ollarbao prælio apud Moylinne occidit (f) Ollarba vero fluvius, Moylinne campus in Dalaradia hodierno comitatu Dunenſi extant. Quare ubi vita S. Patricii 3. cap. 57. habet, *migravit Patricius ad gentes Aquilonis, id eſt Hultu, Cruithne, & Dalnaraidhe,* & crediderunt ei omnes, & *baptizati ſunt.* Hultu, Cruithne, & Dalriada potius legendum eſt, quam ut Cruithne, & Dalnaraidhe, ſeu Dalaradii duo diverſi populi cenſeantur, ut inadvertenter explicat in notis ibidem pater Colganus nota 51. ad vitam 3. S. Patr. qui rectius habet ad Adamnani lib. 1. cap. 49. nota 102. *Dalaradios populos Ultoniæ &c. eoſdem vocari Cruthineos, ut in aliis S. Patricii ſæpius vocari jam obſervavimus.*

c *Ad an. l. 1. c. 36.*
d *Cap. 49.*
e *In poemate* Rig Temra dia Terbaṫ Tru.
f *Anno Domini* 295.

Anti-

Antiquarii cauſam promunt, cur ita ſint nominati. Dalaradiam putà, quæ eſt maritima, & Orientalis Ultoniæ regio ab Ivorio (*g*) ad montem Mis Aquilonem verſus protenſa, ſeu à Cairg-inver-uske ad Linnduachaill, nomen deſumpſiſſe à ſtirpe Fiachi Araidh regis Ultoniæ (*h*) Dalaradiis, eandemque familiam alio nomine Cruithne dictos, quia Conalli Kearnai (*i*) uxor, mater Euryali regis Ultoniæ (*k*) filii ejus, à quo Fiachus ille genus traxit, fuit Lonncada filia Achaii Eachbheoil è Cruthiniis, ſcillicet Pictis Britanniæ Borealis (*l*). Longo igitur tempore ante Conallum illum, qui ſub ſalvatoris exortum floruit, Achaii Picti generum Pictorum gens Britanniæ Borealia inſederat. De quibus juxta, ac ſupra retulimus, ita Codex Lecanus (*m*); *Gud, & filius Cathluanus duces Pictorum in Hiberniam ad Inverſlainge* (*n*) *in Hykennſalia, Crimthanno rege Lageniæ, & Herimone ſuper Hiberniam regnante. Cathluanus ille primus* 70. *regum Albaniæ ad Conſtantinum uſque.*

Eumenius Rhetor in Panegyrico, quem ad Conſtantium Cæſarem Conſtantini Magni patrem circa annum Domini 286. habuit, Britannos ante acceſſam à Julio Cæſare (*o*) Britanniam *Pictis, & Hibernis aſſuetos hoſtibus* innuens Pictorum in Britannia, vetuſtati cum noſtris Scriptoribus ſuffragatur. Verum enimvero non deſunt, qui ex male animadverſo Gildæ, & Bedæ ſenſu Pictos primum extremam Britanniæ partem incoluiſſe anno Theodoſii Junioris poſt Honorii obitum vigeſimo tertio, qui eſt æræ noſtræ communis 446. Gildæ, atque ex eo Bedæ (*p*) verba huc ſpectantia ſunt hæc; *Picti in extrema parte Inſulæ tunc primum, & deinceps quieverunt, prædas tamen nonnunquam exinde, & contritiones agere de gente Britonum non ceſſarunt.* Et ut Beda in ſuo chronico indicat; *Picti*

g *The Navy* 1. an tiobar.

h *Anno Chriſti* 214.

i *De quo ad annum Mundi* 3937.

k *Anno Chriſti* 60.

l *Cod. Lecan. fol.* 194. 140. *b.* 141. *a. Cathbr. Evirſus pag.* 114. *ex O Duvegan fol.* 67. *Colgan in Tr. Th. um nota* 18. *ad notam* 8. *& 9. Scholiaſt. Fiechi ni ſeu vitæ.* 1. S. *Patricii, & nota* 50. *adv.* 1. 2.

m *Fol.* 287. *a.*

n *Weſtfordiæ portum.*

o *Ante Caput æræ Chriſtianæ anno* 55 *Cæſar. Brit. petit.*

p *Hiſtor. Eccl. l.* 1. *cap.* 14.

Picti

Picti extremam Inſulæ partem tum primum Sc. anno 23. Theodoſii, *& deinceps inhabitaturi detinent.* Sed Wardæus noſter (*q*) ex iiſdem authoribus,& nominatim è Bedæ Hiſtoria Eccl. lib. 1. cap. 1. & 12. lib. 3. cap. 4. demonſtrat Pictos diu antè extremam Inſulæ partem inſediſſe. Quare Uſſerius (*r*), & Wardæus citatus illos *tunc primum* anno 446. *& deinceps* non quidem ſimpliciter inhabitaviſſe, ſed à vaſtatione, & diriſſimâ, quam antea deſcripſerat Gildas depreſſione ceſſaſſe, & quieviſſe interpretantur: qua ceſſante vaſtatione *Picti extremam Inſulæ partem tunc primum, & deinceps inhabitaturi detinent:* Non quidem ſimpliciter *primum* cum diu antè per illam ſeptuaginta regum ſeriem brevi tum abſolvendam inhabitarint. Quanquam veroſimile ſit eos ab invaleſcente in Britannia Romanorum potentia nunc quaſſatos, nunc protritos, nunc adactos ad remotiores, & inacceſſos Caledoniæ angulos; fortaſſe etiam ad Orcades, Hebrides, Manniam, aut Thulen inſulas ſe contraxiſſe. Nam mater curoi (*s*) filii Darii Moranda filia Hiri filii Unſindi ſoror Achaii Eachbheoil (de quo ſupra) Picta fuit è Mannia oriunda (*t*); & Thulen Pictorum ſedem facit Claudianus ad quartum Honorii conſulatum, qui in annum Domini 398. incidit, his verſibus.

q *Vita S. Rumuld. pag.* 369, 370.

r *De Primord. Eccl. Brit. pag.* 609.

s *Regis Memoniæ anno Mundi* 3949.

t *Cod. Lecan. fol.* 194. *b.*

——Maduerunt Saxone fuſo
Orcades, incaluit Pictorum Sanguine Thule,
Scotorum cumulos flevit glacialis Jerne.

Atque inde eos recuperatum ex integro priſtinas in Britannia ſedes videtur aſſuetos per intervalla redire, & auctos forſan novis è ſolo primæ originis Scythiâ auxiliaribus Pictis anſam aliis dediſſe exiſtimandi Pictos univerſim eatenus advenas fuiſſe, non à priſcis

priſcis ſæculis indigenas Borealis Britanniæ. Nam poſt domini Incarnationem tres memorantur diverſæ Pictorum in Britanniam migrationes: ſed hæ quidem tres, ſiquæ fuerunt, falſis etiam narrationibus permixtæ ſunt. Harum prima in annum Domini 75. incurriſſe dicitur, & cum multo vetuſtiore illa, quam noſtri memorant, confunditur. Secunda in ann. Domini 286. cum Carauſius dicatur iis Auſtralem Albaniæ plagam conſtituiſſe, ſed adverſus Severum Imperatorem, qui Anno D. 208. ad extremos inſulæ fines penetravit, pro auxiliaribus copiis è Scythia dicuntur acciti. Tertia in annum 383. quo Gothica Pictorum gens à Gratiano, & Valentiniano Imperatorib. è Scythiæ finibus adverſus Maximum in Britannnia tyrannum evocata perhibetur, & ex prædonibus Aquilonaris Britanniæ accolæ facti. Sed Maximo interfecto ſimul additur Gratianum Municipem in Britannia ſucceſſiſſe. Aſt Anno Domini 388. Maximus tyrannus periit, & Anno 407. Gratianus Municeps in Britannia tyrannus creatus, & occiſus.

Eumenii de Pictorum in Britannia vetuſtate jam prolatum teſtimonium proleptico ſcriptorum loquendi modo elevare fruſtra contendit Camdenus (*a*). Cum longè diutius Pictorum nomine in Britannia fuerint, quam Eumenio qui primus è Latinis de iis meminit, innotuerint: perinde ut Scotos in Hibernia tamdiu fuiſſe, inſcio Camdeno, exploratum eſt, licet non ante idem tempus, quo Picti, Latinis cogniti Camdenus ipſe eorum in Britannia vetuſtati, modo non Pictorum nomine ante Eumenii authoritatem noti dicantur, (quaſi Latinis tantum integrum eſſet id nominis genti conferre) adeo favet, ut ipſiſſimos fuiſſe Britannos animum induceret, ut crederet (*b*). Verum ambigendi locus nullus relinquitur, quo id ſuſpicetur, cum

a *Britannia Titulo Picti ad finem.*

b *Ibidem initio.*

cum V. Beda non solum aliorum fide nostris conformiter historicis eos è Scythia in Hiberniam & inde in Britanniam demigrasse narraverit, sed etiam re Pictica in Britannia integra, & incolumi vivus, & proxime vicinus se oculatum testem præstiterit linguam eorum aliam, atque Britannicam fuisse, scribens (*c*) de Britannia. *Hæc in præsenti quinque gentium linguis confitetur ; Anglorum, viz. Britonum, Scottorum, Pictorum, & Latinorum.* Britanni primigeniam linguam huc usque sartam tectam conservarunt ; de qua quidem nobilis Britannus Henrico 2. Anglorum regi ita apud Giraldum Cambrensem (*d*) respondit, *Gravari, plurimaque ex parte destrui, vel debilitari vestris, Rex, aliorumque viribus nunc, ut olim, & pluries gens ista valebit. Ad plenum autem propter hominis iram, nisi & ira Dei concurrerit, non delebitur, nec alia, ut arbitror, gens, quam Cambrica, nec alia lingua pro parte Majori in die districti examinis coram supremo Judice, quicquid de ampliori contingat, pro hoc terrarum angulo respondebit.* Pictorum vero lingua jamdudum obsolevit ; de cujus interitu sic Henricus Huntingdoniensis Archidiaconus (*e*) humanæ sortis miseriam tum gentis, tum linguæ excidio contemplatur ; *Cui non comparet amorem cælestium, & horrorem terrestrium, si cogitet non solum Reges eorum, & principes, & populum deperiisse, verum etiam stirpem omnem, & linguam, & mentionem simul defeciisse ; etsi de aliis mirum non esset, de lingua tamen, quam unam inter cæteras Deus ab exordio linguarum instituit, mirandum videtur.*

c *Hist. Eccl. lib.* 1. *Cap.* 1.

d *Topograph. Walliæ.*

e *Histor. lib.* 1. *fol.* 171. *b.*

Itaque Picti ab ipsissimis Britannis & gente, & lingua differebant, sed cui hos illis in Britannia coævos non incongruum videtur, quam nostri scriptores ætatem tribuunt, saltem non nimis vetustam existimabit. Atque hæc in præsentiarum, quæ de Pictis occurrunt.

CAPUT. XIX.

Mumneus, Lugneus, & Lagneus vigeſimus, vigeſimus primus, & vigeſimus ſecundus reges Hiberniæ. Euryalus vigeſimus tertius, & Ethrialus vigeſimus quartus Rex Hiberniæ.

2948. MUmneus, Lugneus, & Lagneus Herimoni patri per vices alternas ſuccedunt. Qui poſt tredecim annorum imperium apud regiam de Rathbeatha in Argatros ad ripam Feorii fluvii in oſſoria, ubi incoluit, terræ mandatus eſt. Odba Herimonis Soror, & in Hiſpania uxor fuit horum trium mater.

2951. Mumneus Rex Hiberniæ apud Cruachan in Connactia diem clauſit extremum, Lugneum, & Lagneum fratres, & collegas Era, Orba, Fearenus, & Fergna Heberi Finn filii in prælio ad Ardladram vitâ orbarunt. Victores regum ſupremorum albo Antiquarii excludunt. Semeſtri tantum, vel, ut alii habent, trimeſtri eorum potentia durabat, cum eos Euryalus Vates Herimonis ex Thaide filius ad Cuil-martra oppreſſiſſet. Euryali inde regis Hiberniæ tempore campi nemoribus expediti, munimenta foſſis circumdata, & hi amnes exoriri memorantur Surius in Momonia è Bladma monte infra Momoniam editus, tres Finnii, & tres Comdii.

2961. Ethrialus Euryali filius patri ſuccedit apud campum Muadii defuncto ſuffectus Rex Hiberniæ.

CAPUT.

CAPUT. XX.

Conmalius vigeſimus quintus Rex Hiberniæ.

CONmalius Heberi Finn filius primus è Momonia Rex Hiberniæ Etheriali regis in Raorenſi (1) prœlio cæde. 2981.

1 *Raoere eſt collis in Hyſalgia.*

Variis victoriis contra Herimonios, è quibus Palapum Herimonis filium apud Geſillam occiſum paternis Manibus litavit, & contra Ernaos, & Martineos è Belgarum reliquiis in prœlio ad Loch-lén, & alibi contritos memorabilis. Sepulchri nomen Feart-Conmail juxta Oenachmacha, ubi cecidit, etiamnum ſupereſt.

CAPUT. XXI.

Tigernmaſius vigeſimus ſextus Rex Hiberniæ.

TIgernmaſius Ethriali regis nepos Herimone ſatus Conmalio regi apud Oenach-macha vitam, & ſceptrum ademit Rex Hiberniæ. 3011

Clades Heberiorum cladibus rependit. De Ernais etiam, aliiſque Belgarum gentibus palmas reportavit. Aurifodinis, eo rege, repertis, Scyphos, & crateres ex auro, & argento (aurifice Ucadano de Cualann (2) apud Fothart in Liffei amnis margine Orientali conflante) confici primus curavit. Ahena primum hoc tempore inficiendis pannis purpureis, praſinis, & violaceis fervebant. Tres fluvii, eodem regnante nigri dicti curſum cœperunt; quippe Fubhna, To-

2 *Cualann regio Wicklowenſis comitatus.*

3013. ram, & Callonn, qui agros Ardmachanos alluit.
Anno regni tertio novem lacus ſtagnaverant, viz. Lochhuair prope Mullingare in Weſtmidia, Lochniarn, Lochſaillenn, & Lochgabhair in Bregia, Loch-Ke in Moylurg Roſcoman diſtrictus regione, & Lochnallin in Connactia, Loch-fewel, nunc ſinus marinus, in cūjus margine Londino-doria ſita, à Febalio filio Lodan ita appellatus, Dubhloch in Ardkiennact, & Dabhall in Orgiellia.

3034. Tigernmaſius Rex Idolorum in Hibernia colendorum auctor centeſimo poſt Mileſiorum appulſum anno in adorationis campo Moy-ſleuct in Breſnia (1) cum ingenti populi multitudine periit, dum hyemis initio præcipuo Hiberniæ Idolo *Cromcruach* dicto immolarent.

1 *In Comitatu Cavan ad Connactiamtum ſpectante, ſed nunc ad Ulteniam.*

CAPUT. XXII.

Hiberxorum Idololatria.

3 *Supra parte. 2. ad ann. Mun. 1777.*

NInus primus Idololatriæ auctor perhibetur (*a*) in cujus tempora Zoroaſtrem regem Bactrianorum Magum plerique collocant. At Cteſias eum, qui cum Nino dimicavit, Oxyartem vocat regem Bactrianorum. Plinius etiam dubitat an Magia tantæ vetuſtatis. Xanthus Lydius vetuſtiſſimus Scriptor Sexcentos tantum annos à Zoroaſtre numerat ad tranſitum Xerxis Olympiade 75 quæ in annum æræ Mundanæ juxta noſtrum computum 3470. incidit unde deductis 600.

3470
600
2870

Anno Mundi 2870 Zoroaſtres floruit.
Duo prima, & antiquiſſima fuiſſe oracula; Dodonæum in Græcia, & Jovis Hammonis in Libya refert Herodotus Halicarnaſſæus Anno M. 3504. ſuperſtes:

ſtes: hoc ad Dodonam vetuſtiſſimam urbem Moloſſidis in Epyro, vicinam nemori quercino, in quo vocales quercus creviſſe proditum eſt, quæ ſtatim, ubi acceſſiſſent interrogaturi, commoverint ſeſe, atque inſonuerint, expreſſo, quod dandum erat, reſponſo; ibidemque ſtatuam ſtetiſſe, quæ ex æneis lebetibus virgâ pulſatis reſponſa numeris ligata edebat: alterum in extimo ſinu Libyæ apud Garamantas in ſolitudinibus vaſtis, torridis, & ſiccitate ſterilibus ſitum. Deinde alia aliis pateſacta, quorum celeberrima Pythium, ſeu Delphicum in Græcia, Latonæ, Herculis, Apollinis, Minervæ, Dianæ, Martis, Jovis, Serapidis in Ægypto. Oracula denique innumera per totum orbem ſparſit diabolus, quæ ſub Chriſti Redemptoris adventum pleraque ferè omnia ſiluerunt, ut conqueritur Ethnicus ſcriptor Plutarchus (*b*) ſub initium ſeculi 2. Chriſtiani.

(*b*) *Libro de oraculorum ceſſatione.*

Ex his oraculis apud nos præter Lapidem Fatalem jam in throno regio Weſtmonaſterienſi poſitum celebrabantur *Cromcruach*, de quo ſuperius, & Clochoir i. Lapis Aureus, unde Clochorenſis ſedes Epiſcopalis nomen habet in Orgiellia, ubi è lapide aureo Idolum reſponſa dare ſolebat. *Hic Lapis*, inquit (*c*) dominus Cathaldus Maguir canonicus Ardmachanus, *aſſervatur Clochariæ ad dextram ingredientis Eccleſiam, quem gentiles auro obtegebant, quia in eo colebant ſummum partium Aquilonarium Idolum Kermand Kelſtach dictum.* Cromcruach Idolum, cui Tigernmaſius rex, ut ſupra, cum univerſo populo ſuo ex dodrante vitam devoverant, totius regni Idolorum omnium princeps ad Idolomaniæ in Hibernia per S. Patricium everſionem in campo Moy-ſleuct perſtitit; quod reges, & regni proceres ſumma, ſtataque ſacrorum rituum veneratione colebant; *eò quod reſponſa dare putabatur à*

(*c*) *In ſuis Scholiis.*

populo

populo ſtulto, & inſipiente, qui colebat illud, ut ait Jocelinus (*d*). De cujus ruina ita ſeptimæ vitæ Patricianæ auctor apud Colganum proſequitur (*e*). *Idolum illud erat auro, & argento cælatum, habebatque hinc inde ex ordine juxta ſe poſita, & diſpoſita alia duodecim minora Idola ex ære conflata. Ita enim illuſor Lucifugus videtur excogitaſſe Lucifer, & ſuis cæcis cultoribus ſuggeſſiſſe, ut ſibi, ſuiſque malis conſortibus ab eis exigeret in tertis exhiberi honorem, quem veri numinis adoratores exhibent Filio Dei, & Apoſtolis. Sed miſer, & non miſerandus à ſervo Filii Dei devictus, hoc malè uſurpato honore non privatè, ſed publicè privatus, & de fixa illa ſede confuſibiliter dejectus eſt. Cum enim Patriciùs exiſtens juxta fluvium Gathard appellatum videret cominus Idolum, minareturque propinquans illud Baculo Jeſu, quem in manu tenebat, ferire, ſimulachrum ad latus dextrum verſus occidentem cæpit corruere. Faciem enim verſam Temoriam verſus habebat, & in ejus latere ſiniſtro habuit Baculi velut ferientis impreſſum veſtigium; licet revera nec Baculus illud tetigerit, nec manu viri Dei fuerit emiſſus. Alia etiam 12. minora ſimulachra ad collum uſque à terra ſunt abſorpta, eorumque capita adhuc in prodigii perpetuam memoriam videntur ex humo prominentia. Conjuravit quoque dæmonem, ut ſimulachrum deſerens viſibili ſpecie appareret, & advocavit regem Laogarium, regnique proceres, & populum, ut viderent quale monſtrum adorabant. In iſto conflictu viri ſancti è veſtibus fortè decidit fibula, quam ut offenderet in ericeto, ericas hinc, inde curavit evelli, quo loco in hunc uſque diem terra iſta ericarum expers, nihilque germinans in medio ericeto velut eraſa conſpicitur.* Hucuſque ex Colgano. In hujus vero memorabilis Idolomachiæ memoriam arbitror Dominicam proximam ante Kalendas Auguſti Solenni ritu

(*d*) Jocelin. in vita S. Patr. c. 50.

(*e*) Parte 2. cap. 31.

Dominica Crom-duibh.

per

per Hiberniam dedicatam, quam vulgo Domnach Cromduibh, i. Dominicam Crom Nigri nuncupant; nigri sc. ob horrendum, & deformem visibilis spectri speciem: alii rectius in victoris gratiam Dominicam S. Patricii nominant.

Ibidem (*f*) legitur; cum S. Patricius postea Casiliæ regum Momoniæ sedi appropinquaret, omnia urbis Idola in faciem prostrata in terram corruisse. Sicut enim quondam Dagon non potuit stare coram Arca testamenti; sic nec Idola coram Patricio, qui fuit vera fœderis, legisque Divinæ arca, qui in mundissimi cordis scrinio, velut urnâ, aureâ manna dulcedinis tabulas utriusque testamenti, & virgam cœlestis disciplinæ circumferebat.

f Ibidem p. r. 3. cap. 29. & Jocelin. c. 74.

Cecrops Athenarum Anno M. 2394. primus rex Jovem deum appellari, & coli sanxit, sacrificiaque inanima instituit, ut refert Pausanias Atticus. S. Athanasius (*g*) dicit Thesea Athenarum Anno M. 2720. regem primùm & Jovem, & cæteros deos appellari Sanxisse. Verum Cicero (*h*) plures Joves, & Saturnos, & Mercurios, & Soles, & Vulcanos in diversis nationibus, variisque temporibus recenset; atque ex his unum semper antiquissimum, & cæteris priorem demonstrat; idque confirmant alii graves authores. Jovem pene omnes gentes inter numina habuerunt, & præcipuis affecerunt honoribus, tanquam cæterorum principem. Conservata est enim memoria Jehove in Jove cum obscuro de uno vero Deo somnio: & post abolitam veram doctrinam huic uni vero Deo addita sunt magna agmina commentitiorum deorum.

g Orat. contra gntes.

h Lib. 3. de Natura deorum.

Jovis autem, aut ullius, quos aliæ gentes coluerunt, deorum nullum vestigium invenio apud Ethnicos majores nostros. Trium hebdomadis dierum nomina à Lunæ, Marte, & Saturno vocata, & hebdomadum Cyclos

Cyclos cum usu linguæ Latinæ Evangelium concomitantis profluxisse non ambigo. Laogarii regis Hiberniæ duæ filiæ, & ipsæ Magorum alumnæ, dum apud nutritios suos juvenes degerent non procul Cruacaniâ Connactiæ regiâ sic cum S. Patricio juxta quam cognitionem de diis patriis edoctæ sunt, de Deo disserebant, ne uno è diis gentium nominato. S. Patricius forte cum tribus Episcopis, & magnâ cleri multitudine bene mane ad fontem quendam nomine Clabach in lateribus Cruacaniæ Orientalibus laudes Deo decantabat, & regiæ Virgines, orto sole, exierunt in fonte isto facies loturæ, & velut speculo faciem, habitumque contemplaturæ. Advertite nostrorum temporum delicatuli quam alienam à luxu prisci ævi simplicitatem, regiarum adolescentum solitarium mane, sed insontem incessum, & pro gemmatis crystallinis speculis pellucidum ad se comendas, & exornandas fontem; de quo ita Virgilius Ecloga 2.

Nec sum adeo informis: nuper me in littore vidi.

Regibus Angliæ etiam post Normannicum constitutum imperium Brachæ vili pretio in foro venales (*i*), & straminei in lectis tori (*k*) suppetebant; sed hoc per transennam; ad rem redeo.

i Camden's Remains.

k Camdeni Britannia, titulo Buckinghamshire.

Mox ubi juxta fontem conspiciunt seniores gestantes vestes candidas, & libros in manibus habentes, mirantur insolitos hominum habitus, & dispositiones; existimantque eos de viris *Sidhe* esse. Viros Sidhe vocant Hiberni aerios Spiritus, aut phantasmata; ex eo, quod ex amœnis collibus quasi prodire conspiciantur, in quibus vulgus eos habitare credit: quæ collium talium ficta habitacula à nostris *Sidhe* vel *Siodha* dicuntur. Præco Dei Patricius jam ansam nactus puellas nobiles compellandi confestim de Deo uno Sermonem instituit. Contra vero sororum senior sic impavida

pavida disquirebat; quisnam vester Deus, & ubi manet? an in cœlo; an subtus, aut super terram habitat? an in montanis, an in convallibus; an forte in mari, vel fluminibus habitatio ejus? An filios habet forma decoros; an filiæ ejus claræ sunt, & pulchriores hominibus Mundi; an filium ejus nutrierant multi? an dives sit argento, vel auro; regnumve ejus omnium abundat copia divitiarum? quo adorandus cultu; an ætatis flore, aut senio gravatus? an vitam habet certo termino finitam, vel omni carentem? Quibus interrogationibus nullum verbum de diis gentium Saturno, Jove, Apolline, Venere, Diana, Pallade, Junone, &c. ignoto Deo assimilandis, vel conferendis. Nec Cromcruach illud caput omnium deorum nostratium quidquam peregrinum, aut quod diis gentium possit attribui, sapit.

Unde colligendum Hibernorum numina fuisse deos Topicos; sc. montanos, campestres, fluviales, æquoreos, & id genus alios locorum genios. Nam ut Ethnica credidit Superstitio; *uti animæ nascentibus*, ita populis *fatales genii dividuntur. Varioque custodes cunctis regionibus mens divina distribuit* (q). Et nunquam hi Topici genii ad alias regiones transibant.

q *Symmach. Ethnicus lib. 1. Epist. 4.*

Superstitionum nostrarum Flamines, seu Sacerdotes fuerunt Druides, quos vulgò Magos Latini vertunt; quod Magicæ artis essent periti. Druis Hibernicè Draoi à voce Græca Drys, Dryos, i. e. quercus: vel Celticâ Deru, quæ idem notat, ut volunt (r), derivatur; quòd in nemoribus, & quercetis superstitiones suas exercerent, vel forte à vocali querceto, de quo superius, Dodonæi oraculi. Quercus Hibernicè Dair, Quercetum Doire dicitur De his Lucanus;

r *Plinius, lib. 16. cap. 44.*

——Nemora alta remotis
Incolitis lucis.

Et Ovidius;

Ad viſcum Druidæ, Druidæ clamare ſolebant.

Apud Gallos, Britannos, & Hibernos eximio olim honore erant affecti. Druidum in Gallia collegium viguiſſe ante Annum Mundi 2187. quidam aſſerunt. De his Julius Cæſar (s) Gallorum domitor longum habet tractatum, ex quo ſequentia; *Druidæ rebus divinis interſunt, Sacrificia publica, & privata procurant, religiones interpretantur. De omnibus controverſiis diſcernunt. Præmia, pœnaſque conſtituunt. Sacrificiis interdici pœna apud eos graviſſima. Quibus ita eſt interdictum, ii numero impiorum, & ſceleratorum habentur, ab iis omnes decedunt, aditum eorum, ſermonemque diffugiunt. Neque iis petentibus jus redditur, neque honos ullus communicatur. Druidibus præeſt unus, qui ſummam inter eos habet authoritatem. Suffragio Druidum adlegitur. Nonnunquam etiam de principatu armis contendunt. Diſciplina in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur: & nunc qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illò diſcendi cauſa proficiſcuntur. Druides à bello abeſſe conſueverunt, neque tributa unà cum reliquis pendunt. Non fas eſſe exiſtimant* diſciplinam ſuam *literis mandare; cum in rebus ferè reliquis Græcis literis utantur.*

Inprimis hoc volunt perſuadere non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios: atque hoc maximè ad virtutem excitari putant, metu mortis neg-

s *Lib. 6. Comment.*

lectio. Multa præterea de Syderibus, atque eorum motu; de mundi, ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi, ac poteſtate diſputant, & juventuti tradunt. Mona Inſula tenui freto à Britanniæ continente diviſa, & à Mona alia (quæ & Menavia, & Mannia medio libramine inter Boreales Hiberniæ & Britanniæ partes ſita appellatur) diverſa, fuit antiqua Druidum in Britannia ſedes. In qua, Tacito auctore, *cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere deos fas habebant.* Nunc vulgo Angleſey, quaſi Anglorum inſula vocatur, cujus primarium oppidum Bellus Mariſcus, ſeu Beavmoriſh habetur.

Druidæ in Hibernia præcipui Evangelium oppugnarunt; & S. Patricii in Hiberniam adventum prædixiſſe in ſuæ ſectæ ruinam dicuntur. Hactenus de Oraculis, Idolis, eorumque miniſtris. Sed, quoniam contraria juxta ſe poſita magis eluceſcunt, Theologiæ veræ, qua nos præ Ethnicis majoribus plurimum in Chriſto Jeſu gloriamur, à generatione in generationem quaſi permanus traditæ certitudinem eorum execrabili præſtigiarum Chao opponam.

In principio Adamus hanc Theologiam à Deo immediatè accepit, quo moriente, Mathuſalem, omiſſis aliis, fuit annorum 243. Hoc decedente Sem fuit annorum 98. Illo deficiente, Jacob fuit annorum 50. Extincto Jacob Levi fuit annorum 60. Amram, obeunte Levi, annorum 30. Moſes patre Amram orbatus anno ætatis ſuæ 67. Moſes porro hanc cœleſtem doctrinam ſæpius ante ab ipſo Deo immediatè repetitam, & confirmatam, à Deo etiam immediatè edoctus ſacris literis mandavit. Dein prophetæ aliis bibliis ſacris exceperunt. Denique coæva æterni Patris ſapientia ſanguine ſuo pretioſo conſignatam Apoſtolis; &

diſcipulis legavit. Apoſtoli, & Evangeliſtæ omnibus gentibus prædicarunt, ac ſcriptis mandarunt. Principis Apoſtolorum perpetuâ ſerie Succeſſores Pontifices Romani ad noſtros uſque dies illibatam conſervarunt ad finem mundi permanſuram.

CAPUT. XXIII.

Achaius Edgathach vigeſimus ſeptimus Rex Hiberniæ.

3041. ACchaius Edgathach Lugadii filii Ithi adnepos poſt ſeptenne interregnum ad Hiberniæ thronum evocatur. Quo regnante, ſtatutum eſt, ut ſinguli juxta ſortem, vel dignitatem ſuam veſtium coloribus dignoſcerentur: ita ut plebeis in amictu unus color, gregariis militibus duo, militum præfectis, & nobilibus ephebis tres, Burgorum præpoſitis quatuor, dynaſtis quinque, Doctoratus gradu in quavis arte decoratis ſex, Regibus, & Reginis ſeptem colores geſtarentur.

CAPUT. XXIV.

Kermnaus, & Sobarchius vigeſimus octavus, & vigeſimus nonus Reges Hiberniæ. Achaius Foebarglas trigeſimus Rex Hiberniæ.

3045. KErmnaus, & Sobarchius Febrici, ſeu Ebrici filii, ex Ultoniâ primi de ſemine Hiri filii Mileſii reges Hiberniæ occiſo à Kermnao in prælio Temorenſi

morenſi Achaio rege, Supremum ſceptrum alternis vicibus tractarunt.

Sobarchius in Aquilonari Hibernia apud Dun-ſobarche maritimam Dalriedæ arcem juxta Murbolg reſidebat: in Auſtrali Kermnaus Dunkermnæ (1) propter Meridionalem Momoniæ oram.

1 *Nunc Dunbic patricium finibus.*

Achaius Foebarglas ex Heberi domo Rex Hiberniæ Sobarchio rege ab Achaio Meann Fomoriorum rege occiſo, Kermnaum in prœlio ad Dunkermnam aggreſſus ejus ſibi cæde regnum acquirit. 3085.

Septem campi, eo rege, Sylvis obſiti hominum Commorationi accommodati ſunt; viz. Moy ſmetrech in Hyſalgia; Moy aidhnia, & Moylurga in Connactia, Moy-leamna, Moy-inir Moy-ſubna, & Moydagabhor in Orgiellia. Achaius Rex peſte in Lagenia tum graſſante ſublatus eſt, vel, ut alii volunt ſucceſſoris gladio ob cædem Smirgalli patris.

CAPUT. XXV.

Fiachus Labrannius trigeſimus primus R. H.
Achaius Mumo 32. R. H.

Fiachus Labrannius ex Herimonis ſtemmate Rex Hiberniæ Heberios non ſemel fudit, & contrivit. Ernais è Belgarum ſtirpe delendis ei lacus fertur ſubſidio fuiſſe è terra in illos ſubito erumpens Erneo in Ultonia nomine etiamnum notus. Hos D. Waræus (*a*) Erdinos utriuſque Breſiniæ, & Feramanachæ incolas diu poſtea propter Erneum lacum collocat.

a *Hib. Antiquit. p. 52.*

Fiacho rege, Fleaſg, Mang, & Labrann, ex quo Labrannio ei cognomen, flumina primùm emanaſſe dicuntur.

Achaius

Achaius Mumo ex Heberi ſemine Fiachum regem in acie ad Belgadan devictum obtruncavit Rex Hiberniæ.

Mumo Achaii regis cognomentum Momoniæ provinciis nomen impertiit.

CAPUT. XXVI.

Æneas Olmucadius 33. *Rex Hiberniæ.*

3150. ÆNeas Olmucadius ex Herimoniis Achaium regem in prœlio ad Cliach occiſum victor excipit Rex Hiberniæ.

Plurimis laureis domi, foriſque partis Oll-bhuaddhach, quod Grandis victor, ſeu Victorioſus eſt, ſibi nomen meritus eſt. Martineos ad Sliaw-Cailge in Corcobaskinn, ubi Baskinnus ipſe occidit, Tuamoniæ regione obtrivit, Heberios, Ernaos, & Fomorios domuit: & mare trajiciens Pictos cum Belgis, & Orcadum incolis quinquagies, Longobardos duodecies, & Colaſtios (1) quater triumphavit.

1 *Vide an Caledonios iſſet ſcribendum.*

Longobardi à barbâ Norvegis, Gothis, & Germanis *bard* dicti, qui è Scandia Danica circa Annum Domini 382. egreſſi, & Sclavoniam, Iſtrum, Galliam, & Germaniam pervagati in Pannoniam pervenerant, & inde Anno 568. à Narſete in Italiam evocati Longobardiæ, ſeu Lombardiæ regnum, Ticino ſede, ſibi in Italia condiderant, fuerunt diverſi ab his Longobardis Borealis Britanniæ gente à Bardis ſuis appel-

appellationem illam deſumente, è qua oriundus genre Reſtitutus S. Patricii ſororius nunc Longobardus, nunc Huabaird, i. e. è progenie Bardi cognominatur (2).

Ænea rege, eradicandis operæ nemoribus inſtiterunt: & Loch-cenbethe in Hycrimthan, vel Orgiellia, Loch-ſailach, vel Loch-ſailchethain, Loch-gaſan in Moylurga lacus in lucem prodierunt: & Oceanus irrumpens Eabam à Rosketa in Carbria Sligoenſi æſtuario diſterminavit.

Æneæ regis mater fuit filia Mogæthi Achaii Mumo regis Hiberniæ fratris. Proinde Æneas Ol-mogætha ab avo materno cognominatur; & Olmucadh, ut vulgo vocatur inde profluxit.

2 *Ita in Scholiaſte martyrologii Tamlact. Mariani Scholiaſte.* 27 *Novembris: apud Cathaldum Maguir authorem Annalium Ultonienſium, è quibus annales, qui de his Longobardis ab Ænea rege devictis agunt, ſunt partim extracti, & apud Matyrologium Caſil. ad* 27. *Nov. item apud Marianum Gormanum, Martyrologium Dungall. Cathaldum præfatum* 27. *Auguſti. Dungall. annales ad an.* 447. *vitam S. Patricii apud Colganum* 7. *l.* 2. *c.* 18. *& Ænguſium Colideum de matribus Sanctorum. N.* 5. 6.

CAPUT. XXVII.

De Olmucadio Æneæ regis cognomine.

QUidam noſtras modernus ſcriptor huic nomini *Olmucadh*, quod Magniporcum vertit alludens inſulſis agaſonum, ac lixarum ſarcaſmos pro ſalibus nobis venundedit, dum ſe credere fingit, *quod Ultonienſes, quorum princeps erat Ænguſius* (1) *vexentur ab aliis Hibernis, ſicut Bavari à Germanis ratione porcorum; ob magnum affectum, quo ſicut alii reges equos, vel canes, rex iſte porcos proſequebatur.* Ineptè quidem, impertinenter, atque illepidè ominatus eſt. In Hibernico idiotiſmo, quo unum vocabulum varios ſæpe

1 *Ænguſium propius Hibernicam vocem vocat, quem nos Æneam.*

pe sensus admittit, non satis idoneus fuit interpres; linguæque defectu, quem D. Waræo exterâ progenie nato objicit (qui legendi, & intelligendi Hibernicè, licet non loquendi gnarus longè plura Hibernica Monumenta, adhibitis etiam peritioribus sedulo investigavit) magis ipse Antiquariorum germen laboravit, ut ex scriptis colligo.

Kethern. Kethern (corruptè apud eum Carny) *nomen despectuosum* dicit, militare non agnoscit. Cormaci Episcopi, & regis Momoniæ Etymorum codicem non legit; in quo *Kethearn*, quasi Kith-orn: Kith, i. Kath, prælium: Orn, quasi Orguin: Or, i. Urere; guin, i. Cædere. Kethern igitur quasi Kath-or-guin, i. prælio-urens-cædens. *Hiberni mediorum Seculorum*, ut ait D. Waræus (a), *peditibus duplicis generis utebantur; quidam Galloglassii dicti, casside ferreâ, & loricâ ferreis annulis confectâ erant armati, gladioque longo cincti, item alterâ manu securim acutissimam gestabant more Gallorum veterum, de quibus loquitur Marcellinus lib. 19. Alii levioris armaturæ Henrico Marleburgensi Turbiculi, quibusdam Turbarii, vulgo Kerni dicti; jaculis amentatis, machæris, & cultris, sive sicis Skeynes vocatis dimicabant. In rotulo clauso anno 5 Edw. 3. Membr. 25. inter articulos in Hibernia observandos sextus est contra sustentatores, & ductores Kernorum, & gentis vocatæ Idlemen, nisi in Marchiis* (hostium confiniis) *suas proprias ad custas* (suis sumptibus) *Ita archivum arcis Londinensis.* Kethern (quos Kernos dicunt) propriè dicitur militum manipulus, & à cohorte Latinâ non abludit: Kethearnach manipularius est, seu unus è cohorte. Sed quemadmodum *Tyrannus*, ac *Latro* cum aliis vocibus à prisco sensu deflexerunt, sic Kethern bello fracti, barbarisque ac inconditis moribus sylvescentes victoribus primum hostibus, deinde concivibus

a *Hib. Antiquit. Cap. 12.*

civibus ex uſu deſpicatui, ac contemptui duci cœperunt, nomenque in deſpicabilem ſenſum mutatum.

Sic Bardos poetas negat, detractores impropriè vocat, quod ob ſatyrica poemata odio fuere. Sed Bardos poetas eſſe, quod vulgo in patria notum eſt, & ſummo antiquitus fuiſſe in pretio non ſolum apud nos, ſed etiam in Gallia veteri, & in Britannia ſi claſſicis authoribus exteris verſatus eſſet, non potuiſſet ignorare. Id è Strabone (*b*) liquet. Diodorus Siculus (*c*) Bardumfactorem cantionum appellat. Bardus juxta Pompeium Feſtum Gallicè cantorem ſignificat, qui virorum fortium laudes canit. Quare Lucanus. lib. 1. *Bardi.*

b *Geograph. lib.* 4.
c *Diodor. l.* 5.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptos
Laudibus in longum, Vates, dimittis ævum
Plurima ſecuri fudiſtis Carmina Bardi.

In Wallia Bardi etiam cuſtodiebant nobilium inſignia, & genealogias.

Item *Mac*, & *O* genealogiſtarum elementa *Von* Germanicum, vel *de* Latinum nimium Germanus, & à patrio ſenſu alienus reddit. *O* de, vel à Latinum ſignificans alium caſum Hibernicè flectit, quam *O* cognominibus adjectum, ceu O Niall, à Niello: *O* Neill in cognominibus. *Mac* filium, *O* nepotem ſtrictè, utrumque poſteros, uti *Jeſu fili David* latè denotat juxta illam Civilium expoſitionem *liberorum appellatione nepotes*, & *pronepotes cæterique qui ex his deſcendunt, continentur* (*d*). Cognominibus Hibernicis, quæ ſemper ſunt unius è majoribus propria nomina *O* vel *Mac* præponitur Cognominatos illius, ex quo cognomen, natos, nepotes, vel poſteros ſignificans; nec licet unum pro alio promiſcuè uſurpari, quemadmodum ille O Morphæum regem Lageniæ pro Mac Morphæ- *Mac, & O.*

d *F. de verb. ſignif. l.* 201. 124 & 56.

um (seu potius Mac Murchadh) scribit: ab hac enim diversa est, & longe inferior O Murchadh (quam Anglicè Morphy dicunt) familia. E contra inconcinnè fœminarum nominibus per Hibernisinum *Nata* adjicit, ut Slania nata O Brien pro Slania Brian, Slania Briana, vel Slania nata domini O Brian. Non tam insciticæ, quam vanitati verto, quod in O Brianorum familia, quam unicè calluit, & coluit, generationibus Moriartum Hiberniæ regem patris Tordelvachi fratrem facit, aliumque Moriartum de novo creat O Mahonii familiæ (mac Mahon rectius) satorem; quasi illustrissimæ Brianorum familiæ quidquam derogaret inferiorem familiam Mahonorum rege Moriarto, ipsosque regis fratre juniore (sed posterorum familiæ principum satore) oriundos. Sic vero sentire sexcenta exempla futilissimum esse decernunt.

In Orthographia etiam cespitavit, dum Carrano vitio vertit Malcolmum, & non Milcolumbum scribere. Vox enim illa è particulâ *Maol* & *Columba* utriusque Scotiæ patroni nomine conflata Maolcoluim scribitur, unde a. o. dipthongus Scotica in a, vel œ Latinum ab omnibus Scoticarum literarum peritis convertitur, ut sit Moel, vel Malcolmus, M. Columba, vel M. columbus: Milcolumbus vero nemo nisi imperitus scribit.'

Ex dictis igitur constat linguæ vernaculæ notitiam in eo desiderari, illumque vocis Scoticæ *Olmucadh* non idoneum interpretem; sed ad incitas redactus authoritatis subterfugium petet. Non me latet id ex Domini Ketingi historiâ regum Hibernæ depromptum; in qua exploratum est multorum agnominum non veras causas ex historiis assignatas; sed ex agnominum vera, vel conjecturali significatione expiscatas, & absurdis fabulis obtrusis statuminatas. Non sum prætere-

rea

rea neſcius omnia, quæ ſcriptor ille de Patriæ antiquitatibus habet, non ex Chronicorum fontibus, nec majorum ſuorum archivis, quemadmodum præ ſe fert; ſed ex D. Ketingi tantum rivulis, præter quæ ex ſuâ mente partium ſtudio dictitat, hauſta fuiſſe. D. Ketingus equidem vir Multiplicis lectionis in patriis antiquitatibus fuit, ſed illius perſonam geſſit, qui è quatuor acetariorum conditoribus herbas omnes generis has, illas ſine delectu ſublegit.

Nunc cum Ketingo admittamus Æneam regem à porcorum multitudine Ollmucadh (non Ol-mucadh) i. Magniporcum, vel Porcium appellatum. Quid autem inde inferendum? Romanam conſularem familiam Porcios Catones ab eo potius derivatos, quam altercandi anſam calonibus, & agaſonibus dediſſe, quibus utrum Ænguſius Magniporcus ullo tempore in Hibernia regnarit, nunquam in mentem venit. Nec Ultonienſium, ut huic placet, magis princeps fuit, quam Momonienſium; æquo utramque provinciam poteſtatis jure attigit rex Hiberniæ. Ultoniæ tum Hiri ſoboles, Heberi, &, Ithi ſemen Momoniæ præfuit. Sed Magniporci nepotes progreſſu temporis in Ultonia dominium adepti ſunt? Ita etiam & in Momonia, Lagenia, & Connactia; imo & in Magnâ Britanniâ. Æneæ igitur Olmucadii poſteri per Hiberniam & Britanniam æquè, ac in Ultonia ridiculis ſannis vexantor.

Simili auricularis monſtroſitatis lepiditate (ut ipſius verbis utar) cum Lagenienſibus jocatur ex Mydæ Phrygiæ regis fabulâ ad Lauradium Lagenienſem apud Ketingum ab aliquo perperam traductâ. Lepores omnes, & argûtias hujus auctoris repetere inſtituti non eſt mei, vel hallucinationes examinare: Solum moneo aſinum, ad cujus aures alludit, illum

ad lyram agere, dum antiquariam litem inter Bruodinum, & Clerium denuo reſuſcitat jampridem ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Tuamenſi Florentio Conrio penitus diſcuſſam, qui ſub Roberti filii Arturi perſonâ tonſuram ab aure uſque ad aurem, nequæ aſininæ aures laterent, adhibuit. Auritus fies tu, Mida, ni taceas.

CAPUT. XXVIII.

Ennius Airgtheach 34. *Rex Hiberniæ.*

ROtheactus 35. R. H. Sednaus 36. R. H. Fiachus Finnſcotha 37. R H. Munemonius 38. R. H. Faldergodius 39. R. H.

3168. Ennius Airgtheach Heberio è ſemine Æneæ regi in Carman prœlio cadenti victor ſucceſſit Rex Hiberniæ. Primus argentea ſcuta, idque apud Argatros, confici curavit. Quæ cum equis, & Carpentis in ſuos dono diſtrahebat.

3192. Rotheactus ex Herimonis ſtirpe Ennio in Raigneo prœlio vitam, & imperium abripuit Rex Hiberniæ.

3203. Sednaus è domo Hiri Rotheactum apud Rath cruacan acie debellatum, & Temoriæ è vulnere extinctum excipit Rex Hiberniæ.

3208. Fiachus Finnſcotha Sednao patri, cui vitam debuit, Munemonii ope apud Cruacan mortem ingratus intulit, Rex Hiberniæ.

3222. Munemonius ex Heberi Sanguine parricidii, quod adjuvit, Fiachi cæde ultor Rex Hiberniæ. Primus procerum colla aureis torquibus exornavit.

3227. Faldergodius Munemonio ſatus patri in Aidhnia peſte

peſte ſublato ſurrogatur R. Hiberniæ. Primus nobilium digitos annulis aureis decoravit.

CAPUT XXIX.

Ollamfodlaus quadrageſimus Rex Hiberniæ.

OLlamfodlaus è domo Hiri Fiachi regis filius Faldergodium Temoriæ prælio peſſumdedit, exinde Rex Hiberniæ. 3236.

Quatuor filios genuit viz. Finnactam, Slanollum, Gedium Hiberniæ regis, & Carbreum Rudriciorum ſatorem ab illius nomine *Ollamh* Ulidiæ nomen dicitur profluxiſſe. Primus Temorenſia comitia indixit, quæ ſingulis trienniis ad ſanciendas, & adminiſtrandas leges habebantur. Tribus diebus ante, & totidem poſt feſtum, quod nos Samhuin, i. æſtatis finem Latini Kalendas Novembris vocant, ſolennes illæ panegyres magno apparatu celebrabantur. Singulis, agrorum Tricenariis dynaſtam, Singulis Burgis, vel oppidis præfectum conſtituit.

Brugh, quaſi burgum noſtri oppidum dixerunt, unde Bruigheadh, quaſi burgenſis oppidi præfectus derivatur. Bringhadh vero hoſpitator eſt, & à quibuſdam ob vocum affinitatem pro Bruigheadh, oppidi præfecto Briughadh hoſpitator uſurpatur (*a*). *Burgus.*

Ipſe literis apprimè excultus Ollamh-fodla, i. per Hiberniam quæ Fodla linguâ noſtrâ dicitur, præcipuus literarum profeſſor (cui Achaio prius nomen datum) ob inſignem literaturæ peritiam meruit appellari. Qui ad promovendum etiam literarum ſtudium Mur-ollamhan, i. Doctorum murum Temoriæ erexit.

a *Vt in Cambr. Eversо pag.* 59. 60. *&* 301.

it: Gymnaſium, Canopum, Prytaneum, Academiam, vel Lyceum dicas; de quibus ultimis accipe hos Ciceronis verſus;

Inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.

CAPUT. XXX.

De literis Hibernicis.

NON poſſum heic non magnopere demirari R. P. Bollandi (*b*) licentiam. qua literarum in charta, aliâve ulla materiâ ad memoriam pingendarum imperitiam gentiliſmi tempore Hibernis nuper affinxit, eoſque à S. Patricio, æquè ac Iberos, Gallos, Britannos, Belgas, atque Germanos à Romanis victoribus illarum uſum aceepiſſe tradere non dubitavit. Ad quod innuendum Taciti teſtimonium de moribus Germanorum producit. Conſectaneum tamen non eſt ideo Hibernos literarum expertes, quia ita Germani. Tacitus quoque, licet inter Latinos ſcriptores, judicio, & prudentia ſpectabilis, in rebus tamen Judaicis, quas à Judæis, quibuſcum verſatus erat, ſecus ediſceret, multum erravit; quare à Tertuliano mendaciſſimus judicatur. Julius Cæſar Tacito antiquior tradit Druidas in Gallia Græcarum literarum uſum habuiſſe, & è Britannia, quam diſcendi cauſa frequentabant diſciplinam ſuam hauſiſſe; Druidum in Hibernia doctrinam viguiſſe ſatis compertum eſt. Gallis igitur, Britannis, & Hibernis Græce ſaltem literæ à priſcis ſæculis non erant peregrinæ, contra quam Bollandus dictavit. Certè ſi Bollandus Hibernos antiquitatum

b *Tom. 2. ad 17. Mar. S. Patricii vita. §. 4.*

c *lib. 6. comment. ſupr. c. 22. pag.*

tiquitatum suarum peritos consuleret, facile in medium proferrent, scriptorum nomenclaturam, qui ante S. Patricii Apostolatum diversis Sæculis floruerunt. Quorum aliquot Doctor Ketingus in Laogarii 2. regno, & Cambrensis Eversi auctor Capite 20. recensent. His agmen ducit Amerginus poeta Scoticæ coloniæ Ducum frater, & supremus Judex, cujus metrica hujusmodi prisca inter fratres sententia fixum, ac immotum in lege Hibernica deinceps invaluit decretum.

Aris præpositus sit doctior, aptior armis.

Fileadha. i. Poetæ apud nos olim nominabantur doctrinæ omnis liberalis experti, & qui reip. sapientia sua consulebant unde Fileadh quasi idem, ac philosophus. Philosophos poetarum nomine comprehensos indicat è Platonis schola Maximus Tyrius (*d*); *Ii*, inquit, *re ipsa philosophi nomine autem poetæ rem invidiosam ad eam artem revocarunt, quæ populum admodum demulceat.* Et postea; *Ita enim medici salubre quoddam alexipharmacum dulci aliquo liquore aspergunt, ne deterreatur æger saporis, aut succi acrioris amaricie. Eodem planè modo de philosophia illa veteri sentiendum, quæ sententiis suis figmentorum, ac carminum tanquam veste, cultumque magnifico tectis priscorum hominum animos primum cæpit, atque delinivit: neque secus id quidem, quam dissimulatâ disciplinæ molestiâ ad institutionem, & morum feritatem cicurandam illexit. Nec est autem, quod in dubium revoces, utri melius de divinis tractarint, philosophine, an poetæ? quin potius studium utrumque tanquam inito fœdere mutuo se complecti deprehendas, ut eadem, non diversa putes. Cum enim philosophum ais, poetam etiam intelligis, & cum poetam, philosophum quoque innuis.* Idem appositè depinxit Natalis Comes in Orpheo (*e*) dicens, *Sapiens omnino erat antiquorum illud poetarum genus: non autem ut ferunt nostra tempora, in sola verborum*

Poetæ Philosophi.

d *Commodo Imperat. floruit.*

e *Mythologi. lib. 7. cap. 13. pag. 761.*

verborum menſura, & metro putabatur univerſum poeticæ facultatis artificium conſiſtere, neque adulantes principibus hominibus, ut aliquod munuſculum aucuparentur, quidquid in mentem veniebat, effutiebant, ſed ea erant carmina poetarum, ut pro ſanctiſſimis legibus haberentur: Sæpiuſque civitates de re aliqua contendentes, tanquam graviſſimi Judicis ſententiâ, alicujus poetæ carmine uſæ fuerunt. Itaque ab Amergini tempore ad Conquovarum Ultoniæ regem, qui ſub ortum ſalvatoris vixit, legum oracula penes poetarum arbitria erant, qui ſtricta oratione ſententias ferebant. In poeſi verò Hibernica talis eſt literarum reſpectus, ut in quolibet cujuſque integri diſtichi quaternione oporteat fieri duarum dictionum paræmion, quarum initialis litera ſit eadem conſonans; vel aliqua vocalis. Exemplum eſto vetuſtiſſimum iſtud Amergini hemiſtichium, quod modo ſcripſimus, ſic Hibernicè primum prolatum.

Eagna la heagluis adir: agus feabhtha la flaithibh. Ubi particula *la*, nec *h* litera aſpirationis obſtant, quo minus Eagna, & heagluis: *feabtha*, & *flaithibh* paromæo concurrant, quale in his Latinis Verſibus cernere eſt ad normam Hibernicorum duorum generum ab aliquo compoſitis; in quibus cujuſque quaternionis paromæon aſteriſmis ſignatum eſt.

*Te duce ſtat * præſens * pax: * dudum * dextera pugnax:*
*Das bona * munera mas *: funera * dona * dabas.*
*Phœbe * libenter * luce: gaude * garrula * voce:*
*Alma * puella * place: Cace duella * doce.*

Quod literarum paromæon in poeſi, quam *unicam memoriæ, & annalium cuſtodem* apud Ethnicos Hibernos agnoſcit Bollandus, literarum quoque uſum individuum vetuſtiſſimæ poeſeos comitem evincit.

Con-

Conquovaro in Ultonia regnante (*f*), leges fixas ſcripto præfiniri comperimus, cum eatenus non ſcripto jure; ſed poetarum, ut dixi placitis judicia ederentur. Athenienſes à Dracone (*g*), & Solone (*h*) primum Scriptas leges, & ab Athenienſibus Romani duodecim tabulis inciſas acceperunt: cum trecentos annos ſine ſcriptis legibus Populus Romanus ſuis tantum moribus vixiſſet, donec Decemviros legum ſcribendarum cauſa creârat (*i*), & anni circiter Mille inter Athenarum initia, & Draconem interceſſiſſent. Sub Conquovaro, inquam, Ultoniæ rege duo celebres ordinis jam laudati poetæ Forchernus Deagæ (*k*) filius, à quo Deagadæ (*k*) Momoniæ, & Nedius filius Adnai nepos Uthirii colloquium de legibus inſtituerunt. Idem Forchernus apud Emaniam Ultoniæ regiam poeſeos præcepta, & varia carminum genera literis mandavit. Quem librum ιμαιεϱάεϲ πα ηϱιϱιοϛ. i. Præcepta Poetarum inſcriptum, & Centena Carminum genera complexum Kennfoela filius Olilli, Donaldo rege Hiberniæ (*l*) multis abinde Sæculis apud Doire-Iurain interpolavit. Forchernus idem, & Nedius, ut & Athirneus Conquovari regis Archipoeta inter authores numerantur, qui legum axiomata *Judicia cæleſtia* nuncupata, quemadmodum apud Græcos dicta ſapientûm, decreverunt. *Cæleſtia* etiam *Judicia* tulerunt Morannus Carbrei regis Hiberniæ filius, & ſub Feradaco rege (*q*) item Hiberniæ ſupremus Judex, Cormacus rex (*r*) Hiberniæ (cujus, & Carbrei filii, & in regno ſucceſſoris (*s*) apud Acoill juxta Temoriam in legem lucubrationes etiamnum extant) Fithilus Cormaci regis Judex, & Finnus Cuballi filius Cormaci ejuſdem militiæ præfectus, & gener. Inter alios etiam cœleſtium axiomatum authores recenſentur Factnaus filius Senchai, nepos Coelclinii, Senchaus filius Olilli, Nereus filius Finncollai, Rognius

f *Anno M.* 3937 *Capit. Anno Chriſt.* 48. *dein*

g *Olymp.* 39. 1. *Anno M.* 3326.

h *Olymp.* 46. 3. *Anno. M.* 3356.

i *Olymp.* 82. 2. *Urb. Conditæ Anno.* 304. *Mundi* 3500.

k *Supr par.* 2. *ad Ann.* 3292.

l *Anno Domini.* 628.

q *Anno Domini.* 85.

r *Anno.* 254.

s *Anno.* 276.

nius Roſgadhach poeta filius Hugonii regis (*t*) Hiberniæ. Manius Nilneſcius poeta, & Ethnea filia Amalgadii.

t *Anno. M.* 3619.

Talia itidem judicia Chriſtiani excoluerunt Dubthacus O Lugair, S. Patricio adventante, Ethnicus, de quo Jocelinus Cap. 45. *Carmina, quæ quondam ſtudio florente peregit in laudem falſorum deorum, jam in uſum meliorem mentem mutans, & linguam poemata clariora compoſuit in laudem Omnipotentis Dei, & Sanctorum ejus præconium*; Senchanus Torpeſtius tempore Guarii regis Connactiæ (*u*), Kennſoela filius Olilli, de quo ſupra, & qui è veterum ſcriptis unum opus conflarunt *Judicia Cæleſtia* inſcriptum tres O Burechani fratres viz. Farananus Epiſcopus, Boethgalus Judex, & Maltulius poeta, Cathaldo Fingunii rege Momoniæ (*w*).

u *Anno. Chriſti.* 647.

w *Anno.* 742. *obiit.*

Paulo ante Conquovarum, Ferguſio filio Ledei Ultoniæ præſidente (*y*), Seanus filius Agii Scriptor floruit, qui Foſ Senchuſmoin compoſuit. Celebria fuerunt Judicia Eugenii filii Darthacti, Achaii filii Luctai regis Momoniæ, qui erant Conquovaro ſuppares Carithniathi, & Nemthenii. Feradachus rex (*z*) Hiberniæ ſub quo Morannus floruit, ſcriptis ſuit celebris. Modanus filius Tulbani, Quinti Centimachi regis (*a*) Hiberniæ, tempore legum volumen conſcripſit. Conlaum inſignem Connactiæ Judicem (*b*) qui adverſus Druidas Scriptis decertavit, Senchaum filius Coelcliinii (Factnai de quo ſupra patrem) Kinethum O Conmid, & alios paganos omittam, quorum tempora diſtinguere non vacat. Forchernus, Nedius, Athirneus ſupra laudati, & Ferguſius de Iniſſhanain in Kierrigia Luachra artem poticam imprimis expoliviſſe memorantur.

y *Anno. Mundi.* 3912.

z *Anno. Chriſti.* 90.

a *Anno.* 177.

b Sedo nigne an coimbliocht ina Druidaib.

Danannæ literis, ac magicis artibus apprimè excul-

ti:

ti traduntur, è quibus Dagdai regis (c) Hiberniæ Ogmai, Etanæ Poetriæ matris Dalboetii regis (d) Hiberniæ Carbrei poetæ ex eadem Etana editi, Danannæ, quæ Dalboetium regem (d) patrem simulac maritum prætulit, & Brigidæ poetidis Dagdai regis (c) filiæ memoria inter literatos huc usque retinetur: Postremo Dualdus Firbissius patriæ antiquitatum professor hæreditarius ex Majorum monumentis, literis datis refert 180 Druidum, seu Magorum disciplinæ tractatus S Patricii tempore igni damnatos.

c *An M.* 2804
d *An. M.* 2864

Literarum origo.

De literarum origine in universum dicturo multa incerta, & abstrusæ antiquitatis integumentis recondita occurrunt. De primis inventoribus sequentia reperta sunt trochaica admodum vetusta in bibliotheca Septimana.

Moyses primus Hebraicas exaravit literas:
Mente Phœnices (e) sagaci condiderunt Atticas.
Quas Latini scriptitamus edidit Nicostrata: (f)
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas.
Isis arte non minore protulit Ægyptias.
Gulfila (g) prompsit Getarum, quas videmus ultimas.

e *Cadmus & Phœnissa.*
f *Nicostreta Carmenta Evandri mater, eademque Themis.*
g *Vel Ulphias, ut infra.*

Hos, & alios insuper literarum inventionibus celebres sic exhibent bibliothecæ Vaticanæ columnæ Sixti Quinti S. P. operâ. *Abraham (h) Syras, & Chaldaicas literas invenit. Moyses (i) antiquas Hebraicas. Esdras (k) novas Hebræorum literas. Mercurius Theot (l) Ægyptiis Sacras literas conscripsit. Hercules Ægyptius Phrygias. Memnon Phoroneo (m) æqualis literas in Ægypto invenit. Isis (n) Regina Ægyptiarum literarum inventrix. Phœnix literas Phœnicibus tradidit. Cadmus (o) Phœnicis frater literas sedecim in Græciam intulit. Linus (p) Thebanus Græcarum literarum inventor. Cecrops (q) Dipies primus*

h *Anno mundi* 2124. *obiit.*
i 2493. *obiit.*
k 3551. *vixit.*
l *Trismegistus dictus Isidi coævus.*
m *Phoroneus rex Argivorum, ab Anno Mundi* 2143.
n *Isis soror Phoronei.*
Anno Mundi.
o 2388. *Scaliger* 2660. *Helvicus.*
p 2702. *Helvicus.*
q 2394 *Scaliger.*

primus Athenienſium rex Græcarum literarum author.
r 3370. *Pythagoras* (r) *literam ad humanæ vitæ exemplum invenit.*
s 3420. Pythagoræ additum. Epicharmus (s) *Siculus duas Græcas addidit literas.*
t 3416. *Simonides* (t) *Melicus quatuor literarum inventor. Pala-*
u 2707. Troja capta. *medes bello Trojano* (u) *literas quatuor adjecit. Nicoſtrata Latinarum literarum inventrix*; numero 17. *Evan-*
w 2709. In Italiam venit. *der* (w) *Carmentæ filius Aborigines literās docuit. Demaratus Corynthius Hethruſcarum literarum Author.*
x Anno Domini 41 Capit. *Claudius* (x) *Imperator tres novas literas adinvenit.* Quarum una *F. reliquæ duæ uſu obliteratæ ſunt. S. Joannes Chryſoſtomus literarum Armenicarum inventor. S. Hieronymus literarum Illyricarum Inventor. S. Cyrillus aliarum literarum Illyricarum inventor. Ulphias Epiſcopus Gothorum literas adinvenit.*

Ex his vetuſtiores fuere Abraham, Mercurius, Hercules Ægyptius, Memnon, & Iſis, qui eodem ferè tempore floruerunt; queis proximi Phœnix, Cadmus & Cecrops in idem tempus juxta Scaligerum incidentes Moyſe paulo ſeniores. Sequuntur Linus, Nicoſtrata, Evander, & non centum annis poſterior Palamedes ſub excidium Trojanum. Deinde Pythagoras, Epicharmus, Simonides. Omnium ante Chriſtum poſtremus Eſdras. Omnibus vero his ætate ſuperior fuit Phe-
y Supra ad ann. 1758. parte 2. nius (y), ſeu Feniſius quem Scoticarum literarum author noſtri Scriptores aſſeverant. Non proinde tamen credendum eſt literas noſtrates aliis omnibus antiquiores, quod earum author citatos inventores ætate præceſſerit. Euſebius in præparatione Evangelica cum Poleno ſentit literarum originem à Moyſe emanaſſe, qui eas Judæis tradidit, à quibus ad Phœnices, & ab his ad Græcos earum uſus promanavit. Huc ſpectat Cadmæas literas figura prorſus convenire cum Jonicis vetuſtis, teſte Herodoto; quarum picturas, & explica-
z Animadverſ. in Euſebium. tiones exhibet Scaliger (z), qui ibidem docet priſcas

Hebræ-

Hebræorum literas easdem fuisse. Moyse autem priores Inventores supra proferuntur; è quibus Abrahæ primam literarum inventionem tribuit Philo Judæus (*a*); de quo apud Ethnicos altum est silentium. Phœnicum quoque literis Græcæ non possunt esse multo posteriores, si Phœnix, & Cadmus fratres, ut superius, utrarumque sint Authores. Quibus adde, si à Mose, aut Abraham Græci literas mutuassent, Hebræorum, & Chaldæorum more à dextrâ ad sinistram lineas ducerent, uti illi; secus autem à sinistra ad dextram scribunt, quemadmodum omnes Europæi. Diodorus Siculus (*b*), & ante eum Herodotus (*c*) asserunt Græcos ante Cadmum usos fuisse literis, ideoque, quas ille eis intulit, agnoverant suas non fuisse: & Plinius (*d*) scribit * veteres literas Græcas fuisse easdem penè, quæ nunc sunt Latinæ. Unde percipias antiquiorem Cadmo apud Græcos extitisse literarum Inventorem, cujus tamen nomen ipsis excidit è memoria. Quid si dicerem Fenisium nostrum istum fuisse Phœnicem literarum authorem, qui Græcas eas vetustas depingeret, quas Latini referunt? à Latinis Hibernicæ non omnino abhorrent; Phœnicis, & Fenisii, vel Phœnii nomen non abludit, & inventio suffragatur; tempus, & patria in hujusmodi antiquioribus sæpissimè confunduntur. Præterea conjecturæ meæ non deest authoritas supra laudati Forcherni poetæ, apud quem sic habetur. *Incipit liber Forcherni. Locus libri* (*e*) *Emania.* (*f*) *Tempus, Conquovaro filio Nessæ*; sc. Ultoniam moderante. Persona (*g*) *Forchernus philosophus* (*h*) *Fenius* (*i*) *Farsaidh alphabeta prima Hebræorum, Græcorum, Latinorum, & Bethluisnin* (*k*) *an Oghuim composuit.*

Sed ad Cadmum revertamur; sedecim literas dicitur introduxisse; queis Palamedes quatuor, totidemque Simonides ad 24 complendas adjunxerunt; unde litera

a *Anno Christi* 43 *floruit.*

Annè M. b 3887 *floruit.* c 35. 4. d *Anno Christi* 77. *Vesuvio perirt.* * *Natur Histor. lib.* 7. *c.* 56.

e *Locus, quo in lucem editus.* f *Ultoniæ regia.* g *Author libri.* h *Fileadh.* i *Fenisius.* k *Alphabetum Scoticum.*

litera Pythagoræ 25. faciet; ante quam inventam quî sibi nomen scripserit, eloquere amabo? Aristoteles, ut habet Plinius dicit antiquas Græcorum literas fuisse octodecim, duas adjunxisse Epicharmum, qui fuit Pythagoræ auditor; Simonidis Epicharmo coævi, & Palamedis literas missas fecit Unam Pythagoræ; duas Epicharmi, octo Palamedis, & Simonidis si ad 16 Cadmi adjeceris, 27 literarum numerus exurget. Nicostrata Latinas septemdecim invenit, *viz.* A. B C. D. E. F. G. I. L. M. N. O. P. R. S. T. V. Ex his F. una est, quam Claudius Imperator dicitur invenisse; cum Cicero multis annis ante Claudium natum prædium suum Formianum epistola ad Atticum Digamma vocasset; quod à litera F. quæ Digamma dicitur, incipiebat. Quisnam notæ aspirationis H. auctor? Quando K. Q. X. Z. in alphabetum Latinum adscivimus? Quis tandem Theseus ex hoc se Labyrintho expediet? Hinc ultra Garamantas, & Indos pedem efferamus.

i Chinenses, & Sinenses alii eosdem, alii Prolonæi Sinas dicunt esse Seres, Cathæ in Scythia Tartarorum, & Chinarum hostes.

Chinenses (*i*) vetustissimus extremæ Asiæ populus num citatis inventoribus literas debent. Qui non ab lævâ ad dexteram, neque è contra, sed ab summo orsi rectâ deorsum ad imum in arctis, & oblongis è levi admodum, ac tenui papyro pagellis scribendo lineas perducunt. Hieroglyphicis Ægyptiorum similes notas usurpant; quibus, cum pro regionum varietate diversa utantur dialecto, adeo ut alter alterum parum intelligat, Scripturâ, & charactere tamen alter alterius mentem optimè callet; quemadmodum nos Europæi numericas figuras, quas Arabicas, dicimus, easdem sua quisque vernacula percipimus: illi enim iisdem utuntur characteribus, qui integras dictiones exprimunt, atque vocabula: unde utuntur ultra quinque millia rerum, & verborum notulis. Pro hoc muto characterum commercio nos facilius, atque consultius lingua Latina

Latina per Europam utimur omnibus gentibus communi.

Japonia insula (*k*) ultimi Orientis regio Chinensibus ad occasum vergit, à quibus leges deosque mutuavit. Uno tantum idiomate, quàm maximâ permixto varietate utitur. Sermo alius virorum est, alius mulierum: aliis literarum notis epistolæ, aliis libri conscribuntur; Characteres non simplices literas, sed ipsamet referunt integra vocabula. Japonem quendam interrogavit S. Xaverius primus ibi Evangelii præco, cur in scribendi ratione non nostro more lineas à læva ad dexteram ducunt: & ille, quin vos, inquit, potius more nostro naturam utique magistram sequentium? Namque ut hominis caput summum est, pedes imi, sic par est, ut in scribendo à summo deorsum directo ferri hominis manum.

(*k*) Sex insularum aggregatum 66. regnis sub uno Monarcha, qualia Ducum, Marchionum, ac Comitum apud nos dominia, complexum Italiâ pene quinquies. Aurea Chersonesi nomine Ptolemæo, & veteribus notam quidam; alii ita Malacam trans Gangem, in India peninsulam potius volunt. Japonum fama est Japoniam sexcentos tantum annos, prius quam Lusitani eò tempestate abreptis anno 1538. esset aperta, incoli cœptam.

Persarum imperium olim inter potentissima totius Orientis, & etiamnum connumeratur. Horum idioma elegans est, & universi Orientis aulis pene omnibus frequens: proprios olim habebant characteres, qui hodie vix inveniuntur in antiquorum monumentorum vestigiis: nam postquam Mahumentanam susceperunt sectam Arabica lingua, & character apud eos in usu esse cœperunt. In India Orientali, & Magni Mogolis imperio longè amplissimo vulgare indigenarum idioma ipsis peculiare facilis admodum est pronunciationis, scribiturque ab ipsis, quemadmodum & apud nos à sinistra in dexteram. Chinensium igitur, Japonum, Persarum, Arabum, atque Indorum diversas fuisse linguas, literas, ac scribendi rationes liquet,

& proinde Inventores à quoquam è supra citatis alienissimos.

Denique ex antiquitatum abyssо eluctati novissima perscrutemur, Artem typographicam, quæ literis immortalitatem peperit Joannis Guttenbergii ex Equestri ordine Germani, Anno Redemptionis 1440. inventum nemo inficiabitur: perenne illius in literatos beneficium nulla ætas reticebit. Verum apud Chinas compertum est vetustissimo in usu fuisse literas, imagines que subjectis prælo typis excudere. Supra octingentos, & mille abhinc annos, ut ipsi ferunt, arborum cortices repertâ papyro ad scribendum commutarunt; & ducentis abinde effluxis annis in lucem prodiit excogitata imprimendi ratio. Literas in tabulis incidit typographus juxta ac in autographo exarantur quam maximâ facilitate; folia enim ab aversa parte, & tabulas conglutinans singulas literas è scriptis eodem ordine, & forma tabulis mandat; adeo ut in tabulas mendum cadere non possit, nisi in scriptis fuerit; idemque typus posthac minimè abolendus semper ad plura exemplaria sine sumptu suppeditanda suppetet. Paginarum una non excuditur, sed literis expers intra aliam celatur. Hujusmodi volumen longissimis foliis introrsus quadratâ serie complicatis suis oculis conspexerunt Paulus Jovius in Vaticano, Lusitaniæ regis dono ad Leonem 10. cum elephante tum missum, & Jo; Petrus Maffæus è Societate Jesu cum in Vaticano, tum in Laurentiana Phillippi regis Hispaniæ bibliotheca.

Proinde in Josephi Judæi sententiam libens Concedo, qui lib. 1. Antiquit. Jud. literarum usum cum altiori rerum disciplina ante cataclysmum invaluisse prodidit. Quare in Vaticano sub protoplasti effigie hæc exhibetur epigraphe. *Adam divinitus edoctus primus scientiarum,*

entiarum, & literarum Inventor, & ſub nepotum effigie hæc; *Filii Seth columnis duabus rerum cœleſtium diſciplinam inſcribunt.* Has columnas lapideam unam, alteram lateritiam, prophetiis quibusdam inſcriptas alii Enocho, alii Seth Adami filio aſcribunt. Harum unam Joſephus (*m*) ſuo tempore (Anno Chriſti 84. floruit) ſuperſtitem teſtatur. De Enochi prophetiis Judæ Apoſtoli Epiſtola meminit. Origenes (*n*) ait quoſdam Enochi libros (de ſiderum curſu, nominibus, ac motibus) in Arabia Felice Reginæ Saba dominio repertos; quos Tertullianus (*o*) ſe vidiſſe, ac integras paginas legiſſe affirmat. Enochi libros S. Auguſtinus, V. Beda, Procopius commemorant; de quibus ita S. Auguſtinus, *Scripſiſſe quidem nonnulla divina Enoch illum ſeptimum ab Adam negare non poſſumus.* Aliqui itidem notant, teſte Nauclero, omnes artes, vel ſcientias ſeculares, liberales, ſive mechanicas, ſive phiſicas humanæ curioſitati deſervientes generatione octava ante Diluvium inventas. Ut ut ſit, par eſt credere eaſdem poſt linguarum confuſionem priſtinas literas apud Heberum, ejuſque poſteros cum lingua primigenia manſiſſe ab interitu vindicatas: nec reliquas hominum familias adeo mente, prout linguis confuſas, quin literarum beneficium, quod in primigenia experti ſunt imitando, ſuis pro virili novis idiomatis communicarent: idque non forma, ac modo priſtinæ linguæ proprio, ſed naturâ, ut ait Japon (*p*), magiſtrâ, pro excogitantium peritia, & conſilio, ac prout cujuſque linguæ natura, & ingenium exigebat: deinde pro gentium, ac temporum viciſſitudine literas nunc longo uſu, & otio perfectiores fieri; nunc bellorum, irruptionum, devaſtationum, populorumque migrationum incomodis prorſus aboleri, nunc reviviſcere, de novo excogitari; vel aliquid perfectionis haurire ad-

m *Joſeph. de Antiquit. Jud. lib.* 1.

n *Homil.* 1. *in Numeros.*

o *Anno Chriſti* 193. *floruit Tertul.*

p *Paulo ſuperius.*

ditione, modo scribendi, aut charactere à vicinis gentibus, quarum res essent conjunctæ; quemadmodum Hebræi, Chaldæi, Arabes à dextra, Europæi ab læva, Chinenses, & Japones à capite Scribendi exordium sumunt. Hinc apud diversas gentes Inventorum nomen tribuitur. 1. Characterem, & Scribéndi modum primùm excogitantibus. 2. perficientibus. 3. transferentibus. 4. augentibus; uti. 1. Fenisius, & Phœnix dicuntur literas excogitasse, & à Salvatoris Incarnatione S. Joannes Chrysostomus, S. Hieronymus, S. Cyrillus, & Ulphias Episcopus Armenicas, Illyricas, & Gothicas, extinctis, fortasse siquæ fuerint priores literæ: sic Esdras invenit novas literas Hebraicas, & antiquas Samaritanis dimisit: 2. perficientibus, uti Abraham fortasse Chaldaicas, & Moses Hebraicas; Moses quidem omnium, quorum opera extant, citra dubium antiquissimus. 3. transferentibus; sicut Cadmus in Græciam, Evander cum matre in Italiam: 4. augentibus; nimirum literas addendo, melius formando, aut dilucidiùs explicando; quo nomine Epicharmus, Claudius &c. Inventorum nomen consecuti sunt.

Linguæ. Literarum vero nemo miretur vicissitudines, cum ipsæ linguæ, quibus ancillantur, iisdem obnoxiæ sint casibus. Duæ, & septuaginta primùm Babyloniæ matrices erant; ex his quædam interierunt; inumeræque cum ex iis, tum ex aliis aliæ ortæ sunt, atque propagatæ; è quibus aliæ citius, aliæ seriùs, aliæ nondum literis excultæ sunt. Undecim è matricibus in Europa jam superstites Josephus Scaliger recensèt; viz. Latinam, Græcam, Teutonicam, Slavicam, Epiroticam, Tartaricam, Hungaricam, Finnonicam, Hibernicam (quam Hirlandicam barbarè vocat,) Cantabricam, & Britannicam.

Latina. Latinum in idiomata priscum, Latinum, Romanum,

num, & mixtum docti diſtinxerunt. In ipſo Romano idiomate Numæ Pompilii regis libros, aliquot tranſactis Sæculis, repertos, Tagis ſortes, Ethruſcorum auguria, & lintea volumina nemo intellexit. Duodecim tabularum leges infra quingentos annos pauci, qui intelligerent, reperiebantur. Imo vero ducentis annis nondum elapſis, ut tradit Polybius, conventa, quæ Romani cum Carthaginenſibus primo bello Punico (z) tranſegerunt, non erat inventus, qui percipe- z *Anno M.* 3708. *V. C.* 512.
ret. Tandem lingua ipſa Latina, quæ cum imperio Rom. longè, lateque patuit per provincias, à multis jam Sæculis nuſquam gentium vernacula eſt; in ſcholis tantummodo addiſcenda. Tiberio 2. qui ab Anno. 578. Conſtantinopoli imperavit, regnante, Romæ Latinè loquendi uſus exolevit. De Pictorum linguæ exa *cap.* 18. *Pictica.*
cidio jam ſupra dictum eſt (*a*), quæ, vivente ad ann. 735. V. Beda, floruit.

Alia fuit Francorum Gallica lingua Clodovæi. 1. *Gallica.*
ac Caroli Magni temporibus: alia Divi Ludovici tempore, & alia quæ nunc eſt. Ut veteris Galliæ populos taceam Belgas, Aquitanos, & Celtas, quorum dominia lata, multitudo domi, & foris copioſa, & coloniæ exundantis ſobolis frequentes olim fuere. Hi, teſte Cæſare, *lingua, inſtitutis, legibus* inter ſe differebant; ſed ne unius jam idiomatis veſtigium, aut monumentum extat. De Francis ſuis audi Claudium Minoem Juriſconſultum Pariſienſem: *Illud unum aſſevero linguam Gallicam, quæ fuit in uſu temporibus Caroli Magni nobis hactenus inauditam, planeque incognitam. Nos enim deficiunt vetera monumenta, quibus liqueat, quænam ea fuerit, etiamque adjicio eam, quæ vulgaris erat aureo D. Lodovici principatu adeo fuiſſe horridam, & incultam, ut ſi cum ea, quæ hodie in uſu nobis eſt, conferatur, plus una ab altera differat, quam hodie*

vulgaris Parisiorum sermo à Britonum oratione populari. Lansius in oratione contra Galliam sic habet (*b*) *Compertum habemus in ipsa Gallia jam ante aliquot Sæcula honestiores, & nobiles Germanicâ; rusticos verò, & viliores Romanâ illâ corruptâ, sive hodiernâ Gallica, quam rusticam, Romanam, & squamam Latini sermonis, & rubiginem trivialium barbarismorum dicebant, usos fuisse.*

b *Ex Lipsii Cent. 3. ad Belgas Ep. 44. & ex M. Freher in notis ad fad. Lud. Germ. & Karol. regum.*

Anglo-Saxonici sermonis varias commutationes Anglica Dominicæ precationis pro diversis ætatibus interpretatio in Analectis Camdeni (*c*) demonstrat; alia Anno Domini circiter 700. alia Anno D. 900. alia Henrici. 2 ab Anno D, 1154, alia Henrici. 3. ab Anno D. 1216. alia Richardi. 2. ab Anno D. 1377. tempore, quo primum Latinæ aliquæ voces interspergi cœptæ. Sed infra jam ducentos annos hæc lingua Latinas, & Gallicas voces adeo ex tertia parte sibi adscivit, ut vetus Henrici. 2. tempore Anglicus sermo in Hibernia circa Finngalliam, & Wexfordiam huc usque usitatus ab Anglicis hodie minimè percipiatur. Sic hodierna Gallica lingua è Latinâ, Germanicâ, & veteri Gallica conflata est; Italica è Latinâ, & Gothorum Germanicâ; & Hispanica è Latinâ, Germanicâ Gothorum, & Maurorum Arabicâ coaluit; quarta enim, ut minimum, Hispanicæ linguæ pars est merè Arabica.

Anglica.

c *Camdeni Remaines. pag. 19. 20. & pag. 21.*

Hibernica.

In linguam verò nostram Scoticam ista fluctuatio non cadit, qua jam dictæ linguæ agitantur, quas non unum Sæculum eodem vultu durare constat: sed Scoticè penitus versatis à plurimis retro Sæculis in tabulis relata impervia non sunt, nec perceptu difficilia. Aliud insuper est in nostrâ linguâ literatorum dicendi genus, aliud vulgo usurpatum. Illud certis regulis, & præceptionibus innixum, quasi in Olympi vertice positum nullis aeriis agitationibus subjacet.

Quas

Quas linguas, inquit Muretus (*d*), *ex populi servitute eruditorum usus vindicavit, illæ immutabilitatem adeptæ sunt.* Hujusmodi dicendi genus à vulgi captu semotum Scriptoribus nostris malè quidam vitio vertunt. Nam ut ibidem rectè Muretus admonet; *Poetæ vulgus sibi invisum esse profitentur: unde ad mysteria Philosophiæ turbam admittendam non putabant: ideòque obscurabant ea de industriâ, alii numeris, alii allegoriis, alii tenebroso quodam dicendi genere, ut ostenderent se Sapientiæ tantum studiosis scribere.* Et paulo inferius; *Illæ linguæ quotidie moriuntur, quotidie nascuntur, quæ pendent ex libidine imperitæ multitudinis.*

d *Oratione 15. Voluminis 2. p. 656.*

Germani præ omnibus nationibus exoticos in amictu mores, & subditicias in sermone ex alieno idiomate voces æquè detestantur. Teutonica eorum lingua per utramque Germaniam ab Rheni origine ad Vistulam in Polonia fluvium (excepta Bohemia, Silesia, & parte Poloniæ, queis Slavica in usu est) per Daniam quoque, Suediam, Gothlandiam, & Norvegiam (quas gentes prior ætas florente Francorum imperio, communi vocabulo Nortmannos appellabat) ad mare usque glaciale Hyperboreum pro vernaculâ sine magno discrimine hodie usurpatur. Eadem Hispanicam, Italicam, atque Gallicam auxiliaribus vocibus locupletat, & Anglicæ fundamentum, & basis est. Hanc vero Othfridus Wissenburgensis Monachus, Carolo Calvo imperante (*e*), omnium primus literis tractare aggressus est; adeóque serò Scribendi usus cœpit, ut Imperator Maximilianus primus (*f*) studiosis antiquitatis præmia constitueret, siqui diplomata ante quingentos annos Germanicis literis conscripta reperissent. Gallica lingua ante Philippum Augustum S. Ludovici avum libris commissa non fuit (*g*).

Germanica.

e *Ab Anno Domini, 876.*

f *Ab Anno Domini 1493.*

g *Ab Anno Domine 1180. rex Galliæ.*

Extant

Anglicæ literæ.

Extant quidem Anglico sermone Scripta ab Eadfrido Episcopo octavo Lindisfarnensi Anno circiter Incarnationis Domnicæ 700. exarata. (*h*) Camdenum Britannicarum antiquitatum sedulum investigatorem conjectura non fefellit Anglo-Saxones suos ab Hibernis *rationem formandi literas accepisse, cum eodem planè charactere usi fuerint, qui hodie Hibernicis est in usu.* Idque confidentius asseverare potuisset, quam (ut eodem loco (*i*) sequitur) Egfridum Nordanhumbrorum regem Anno 684. cædibus, & incendiis Hiberniam confudisse; qua bellorum rabie partim innuit Sanctitatis, & bonarum literarum studium cito ibidem restinctum. Verum enim vero bonâ Camdeni veniâ in unam tantum Hiberniæ regiunculam ista Egfridi classis irruptionem fecit, paucis solummodo unius mensis diebus rabies sæviit; ocyusque Insulani, teste V. Beda (*k*), arma armis repulerunt. Annales nostri domestici locum Bregensem Campum in Orientali Midia, tempus mensem Junium, ac damna prædas, captivosque istius plagæ è clero, & populo ad naves relatos signanter commemorant. Ab Hibernis vero Anglos rationem formandi literas accepisse ipse Hibernicarum literarum character testimonium exhibet quasi Syngrapho obtèstatum. Anglo-Saxonum præterea majores, qui æstuum,& refluxuum maris ledonibus, & malinis menses sibi, & annos putare solebant, & annorum cyclos inde conficere (*l*), literarum secreta adhuc ignorarunt, quæ nepotibus impertirent. Sed ut loco citato habet Camdenus; *Anglo-Saxones in Hiberniam tanquam ab bonarum literarum mercaturam undique confluxerunt, unde de viris sanctissimis Sæpissimè in nostris scriptoribus legitur*; AMANDATUS EST AD Disciplinam IN HIBERNIAM; & *in* Sulgeni *vita qui ante sexcentos annos floruit,*

h *Camden's remaines, pag* 19.

i *Camd. Britannia titulo Hibernia.*

k *Hist. Eccl. lib 4. c 26. unde Florent. Wigorn. & Matth. Westmonast. ad ann. 684. idem habent.*

l *Bed. de natura Rerum. cap. 28. Seldeni. Mare clausum, pag.* 132.

Exem-

Exemplo patrum, commotus amore legendi,
Ivit ad Hibernos Sophia, mirabile, claros.

Neque contemnendum omnino cenſeo Lindisfarnenſis Inſulæ, unde prodiit antiquiſſimum, ut ſuperius dictum, quod extat Anglico ſermone ſcriptum, Epiſcopali ſedi primùm præſediſſe S. Aidanum noſtratem. Nam S. Oſwaldus Nordanhumbrorum rex, qui inter nos exulans *baptiſmatis ſacramenta, cum his qui ſecum erant, militibus conſecutus erat,* (*m*) Aidanum ex Hienſis S. Columbæ in Scotia moderna Inſulæ monaſterio ad gentem ſibi ſubditam convertendam accerſiit, & *Evangelizante antiſtide, qui Anglorum linguam perfectè non noverat, ipſe rex ſuis ducibus, ac miniſtris interpres verbi extitit cæleſtis: quia nimirum tam longo exilii ſui tempore linguam Scottorum jam plenè didicerat. Exinde cœpere plures per dies de Scottorum regione* Hibernia *venire Britanniam, atque illis Anglorum, provinciis, quibus regnavit rex Oſwaldus magna devotione verbum fidei prædicare, & credentibus gratiam baptiſmi, quicunque Sacerdotali erant gradu miniſtrare. Conſtruebantur ergo Eccleſiæ per loca, confluebant ad audiendum verbum Dei populi gaudentes, donabantur munere regio poſſeſſiones, & territoria ad inſtituenda monaſteria, imbuebantur præceptoribus Scottis parvuli Anglorum unà cum majoribus ſtudiis, & obſervatione diſciplinæ regularis.* Deinde ſic (*n*); *Hujus igitur Reverendiſſimi antiſtitis doctrinâ rex Oſwaldus cum ea, cui præerat, gente Anglorum inſtitutus non ſolum incognita progenitoribus ſuis regna cælorum ſperare didicit: ſed & omnes nationes, & provincias Britanniæ, quæ in quatuor linguas diviſæ ſunt, in ditionem accepit.* S. Oſwaldo ſucceſſit (*o*) frater, & exilii conſors Oſwius, & *æqualibus pene terminis regnum nonullo tempore*

m *Ibid. l. 3. cap. 3.*

n *Ibid. l. 3. c. 6.*

o *Anno 642.*

p *Bed. Ibid. l.* 2. c. 5. *tempore coercens* (*p*), qui *à Scottis edoctus, & baptizatus, illorum etiam linguâ optimè imbutus, nil melius, quam*
q *Ibid. l.* 3. c. 25. *quod illi docuissent autumabat* (*q*). Aidanum etiam in eadem sede successivè exceperunt populares sui Fina-
r *Anno* 651. nus (*r*), & Colmanus. *Erant in Hibernia eo tempore multi nobilium simul, & mediocrium de gente Anglorum, qui tempore Finani, & Colmani Episcoporum, relicta insula patria vel divinæ lectionis, vel continentioris vitæ gratia illò secesserant. Et quidam quidem mox se Monasticæ* conversationi fideliter mancipaverunt, alii magis circumeundo per cellas Magistrorum lectioni operam dare gaudebant. Quos omnes Scotti libentissimè suscipientes victum eis quotidianum sine pretio, libros quoque ad legendum, & Magisterium gratuitum præ-
s *Bed. Ibid. lib.* 3. c. 27. bere *curabant* (*s*). Colmanus post 3. Episcopatûs annos
t *Anno.* 664. in patriam reversus (*t*) duo fundavit Monasteria, u-
u *Anno* 668. num (*u*) in Bofinn insula in occiduo Connactiæ oceano concivibus; alterum Anglis, qui cum eo venerant, apud Mayo, unde districtus jam Mayonensis, in quo etiam ea insula jacet, nominatur. *Quod viz. monasterium usque hodie* (ad V. Bedæ tempora) *ab Anglis tenetur*
w *Bed. Ibid. lib.* 4. c. 4. *incolis grande de modico effectum* (*w*) *Reverso in patriam Colmano Episcopatus Scottorum, quem gesserunt in terra Anglorum Anno* 30. *suscepit pro illo Episcopatum Nordanhumbrorum famulus Christi Tuda, qui erat apud Scottos Australes* (i. in Australi Hibernia) *eruditus, at-*
x *Ibid. l.* 3. c. 26. *que ordinatus Episcopus* (*x*). Cui successerunt Ceadda
y *Ibid. l.* 3. c. 28. *discipulus Aidani,* (*y*) Merciorum provinciæ postea Episcopus, & Eata *unus de duodecim pueris Aidani, quos primo Episcopatus sui tempore de natione Anglorum*
z *Ibid. l.* 3. c. 26. *erudiendos in Christo accepit* (*z*). A quibus igitur Angli à majoribus literarum expertes rationem formandi literas mutuarent, nisi ab iis, à quibus religione, & doctrina tam domi sub regibus id temporis

poris Britanniæ potentissimis, quam foris in Hibernia imbuebantur, & quorum literarum characterem jugiter retinebant? Sat multa, aut nimis multa de literis universim, à quibus ad nostrates descendam.

Hibernicæ literæ.

Scoticis literis quinque accidunt, in quorum singulis ab aliarum gentium literis discrepant; nimirum Nomen, Ordo, Numerus, Character, & Potestas. Et quia *imperiti literarum in chartâ, aliave ulla materia ad memoriam pingendarum* harum rerum ignarus incautè effutiit Bollandus, de materia aliquid præfabor. Ea ante pergamenæ usum tabulæ erant è betulla arbore complanatæ, quas *Oraiun* & *Taibhle Fileadh* .i. Tabulas Philosophicas dicebant. Ex his aliquas inter antiquitatum monumenta apud se superfuisse, ut & diversas characterum formulas, quas ter quinquagenas à Fenisii usque ætate numero, & Craobh-ogham .i. virgeos characteres nomine recenset, non ita pridem ad me scripsit Dualdus Firbissius rei antiquariæ Hibernorum unicum, dum vixit, columen, & extinctus detrimentum. De his virgeis notis ita habet Dominus Waræus Antiquit. Hib. cap. 2. *Præter characteres vulgares utebantur etiam veteres Hiberni variis occultis Scribendi formulis, seu artificiis Ogum dictis, quibus secreta sua scribebant. His refertum habeo libellum membraneum antiquum.* Ipsæ literæ *Feadha* .i. Sylvæ antiquitus dictæ sunt.

Materia.

Virgei characteres.

In arborum tabulis veteres Latini primum scribebant, unde liber à cortice ad codicem significandum, & Codex à caudice translatus. Item ab arboribus traductæ tabulæ, & folia: & à ferendis tabulis tabellarii, & tabelliones etiamnum usurpantur.

Tabulæ.

——Foliis ne carmina Manda,
Ne turbata volent rapidis ludibria ventis. Æneid. l. 6.

Sylva. Sylvarum nomen priſci authores operibus ſuis duplici
a *Gell. l. 12. c. 1c.* ſenſu indiderunt. *Qui variam*, inquit Gellius (*a*), *& Miſcellam, & quaſi confuſaneam doctrinam conquiſiverant, eò titulos quoque ad eam ſententiam exquiſitiſſimos indiderunt. Namque alii Sylvarum inſcripſerunt, alii Muſarum.* Quemadmodum multæ, & variæ arbores ſimul
b *Lib de claris Grammaticis.* exiſtentes Sylva appellatur. Hoc ſenſu Suetonius (*b*) de Valerio Probo: *Reliquit non mediocrem Sylvam ſermonis antiqui*; & Cicero (*c*), *Primum Sylva rerum, & ſententiarum comparanda eſt.* Sic etiam febrium differentias, & multitudinem *Febrium Sylvas* Alexander Aphrodiſæus ſub Severo, & Caracallo nuncupavit. Alio ſenſu *Sylvam* dixerunt, cum poetæ ſubitaneo calore verſus effunderent; quod ſc. Multa in iis rudia ad huc, & luxuriantia amputanda, & averruncanda forent. *Qui primum diſcurrere per materiam Stylo quam velociſſimo volunt, & ſequentes calorem, atque impetum ex tempore ſcribunt, hoc Sylvam vocant. Repetunt deinde,*
d *Lib. 10. c. 3.* *& componunt, quæ effuderant.* Ita Quintilianus (*d*). Hoc ſenſu Papinius Statius quædam ſua poemata *Sylvas*
e *Epiſt. lib. 1. præfa.* inſcripſit, libellos ſc. ut ipſe teſtatur (*e*); *qui ſubito calore, & quadam feſtinandi voluptate ipſi fluxerant*; & paulo infra, *Nullum ex illis biduo longius tractum, quædam & ſingulis diebus effuſa.* Inſcripſit & diu ante ipſum Sylvas Lucanus.

Chinenſes dicuntur ſeſquimille, & trecentos jam annos inventâ uti papyro pro arborum corticibus, quibus ſcribendo antè utebantur. Tabulæ igitur arboreæ, quibus ante papyri, & membranæ inventionem majores noſtri ſtilo ferreo notas inſculpſerant, literarum apud

nos

nos uſum docent antiquiſſimum. Ad literarum nomina, & cætera accidentia jam progrediamur.

Græci, quas Cadmus eis intulit literas, agnoverant ſuas non fuiſſe: nam ipſarum vocabula Alpha, Beta, Gamma, Delta, &c. non Græca, ſed barbara fuiſſe dixerunt, ut ex Varronis libro de Analogia liquet. Hoc ratiocinio perſpicuum eſt noſtras literas non aliunde traductas, nec alii nationi, aut idiomati cuivis debitas, ſiquidem vocabula iis impoſita peculiariùs ſignificativa ſunt in idiomate, cui famulantur. Singulæ enim literæ nomen ab una ex arborum appellationibus mutuatum ſortiuntur. Ordinem literarum priſcum confirmat impoſitum nomen. Nam ſicuti à duabus primis Græcarum tabularum literis Alpha, Beta Alphabetum nominatur, & Abecedarium à tribus primis Latinarum A. B. C. ita Scoticarum Bobelloth à duabus primis ordinis literis B. L. vel ut vulgarius dictum invenio *Bethluiſnion* à *Beithe*, quod eſt B. *Luis*, quod eſt L. & Nion, quod eſt N. Unde conjiciendum N. ab initio fuiſſe ordine tertium; licet, ut infra, ſit ordine quintum. Itaque Numerum, ordinem, & Nomen cujuſque literæ, prout in codice Lecano habentur (*f*) cum plerarumque expoſitione Latina heic oculis ſubjiciam.

Nomen.

Ordo.

(*f*) *Fol.* 158. *a.* & 169. *a.*

B. 1. Beithe, Betulla, vel Betula.
L. 2. Luis vulgo Caertheann, ornus.
F. 3. Fearn; Alnus; de qua ſcuta fiunt.
S. 4. Sail; Salix.
N. 5. Nion, vulgo unſionn; Fraxinus, haſtarum materia.
H. 6. Huath, vulgo See; Oxyacanthus, Spina acuta, Spina ſepicularis; ſentibus eſt horrida.
D. 7. Duir, vulgo Cuileann; Ilex, Oxymyrſine, Aquilenta, Aquifolia, vel Aquifolium, Ruſcus Sylveſtris, Agrifolium.

T. 8. Tinne, Non datur hujus literæ expoſitio.
C. 9. Coll; Corylus, Nux, quæ nuces præbet edendas.
Q. 10. Queirt, vulgo Abholl; Pomus.
M. 11. Muin, vulgo Fineamhuin; Vitis.
G. 12. Gort, vulgo Fidheann; Hedera.
Ng. 13. Ngedal, vulgo Gilcach, vel Raid; Calamus, Arundo, Canna.
P. 14. Pethpoc. Non datur expoſitio.
Z. 15. Ztraif, vulgo Draighean; Spinus.
R. 16. Ruis, vulgo Trom; Acte, Sambucus.
A. 17. Ailm, vulgo Gius; Abies.
O. 18. Onn, vulgò Aiteann; Geniſta ſpinoſa, Geniſta Sylveſtris.
U. 19. Ur, vulgo Fræch; Erix, Erica, Siſara, vel Siſera.
E. 20. Eadhadh, vulgo Cranncriothach; Tremula.
I. 21. Idho, vel Idhad; vulgò Ibhar; Taxus, Smilax.
Ea. 22. Ebhadh, vulgo Criothach; Tremula.
Oi. 23. Oir, vulgo Feoras Evonymus.
Y. 24. Uilleann, vulgo Eadhleann; quod idem eſſe, ac Feithleann reor, & his nominibus Latinis notum; Peri clymenum, Matriſylva, Caprifolium, Volucrum majus, Lilium inter Spinas, Sylvæ mater.
Jo. 25. Iphin; vulgo Spinan, vel Iſpin; Groſſularia, Spina appendix, Viva Criſpa, Uva Spina, Uva Spinella, & Uva Criſpina.
X 26. Amhancholl, Quid ſignificet, ignoro.

Ex his quinque poſtremæ ſunt diphthongi; una ſc. ad ſingulas vocales: è quibus Y. UI. valet, & X. AE; valet. Detractis quinque dipthongis, & Q. Ng. Z. conſonantibus Superfluis è ſumma litterarum 26. remanet 18. Simplicia elementa, quot fuiſſe antiquas

Græcas

Græcas literas ex Ariſtotele teſtatur Plinius.

Has ſeptem vocales A. O. U. E. I. Æ. Oi. Sic virgeis characteribus invenio deſcriptas. Unde X. decuſſatim. ae. valens formatum exiſtimo.



Abecedarii Latini ordo in literis noſtris jam obſervatur: ex hoc etiam voce *Abecedarium* noſtris ante S. Patricium inſuetâ *Aibghittir* corruptè linguâ Hibernicâ formatum, & ab Aibghittir Latinè Abgetorium, & Abgatorium dictum. Quod Abgatorium (alphabetum ſc. Latinarum literarum) à S. Patricio Hibernis traditum Bollando facile concedimus, Noſtrum olim Alphabetum *Bethluiſnion* erat, cujus auctor traditur Fenius ille Priſcus, de quo ſupra. His jam demonſtratis arboreis literarum nominibus (Ogham vocant) adeo promptè, ac peritè literati ultro, citroque ſermocinantur, ut talium nominum ignari eos non percipiant etiam vulgari locutione confabulantes; quemadmodum ſi proferendo vocem Chriſtos his Græcarum literarum nominibus edideris; Chi-Ro-Jota-Sigma-Tau-Omicron-Sigma, & ſic cæteras ſermonis partes. Huc uſque de numero, ordine, & nominibus Scoticarum literarum. *Abecedarium.*

Characterem in libris preló excuſis cernere eſt, de quo conſultius ſic Bollandi concivis Aubertus Miræus Antverpiæ Decanus (g) *Quinimo Anglo-Saxones rationem formandi literas ex Hibernia videntur accepiſſe, cum eodem planè characlere olim uſi fuerint, qui hodie Hibernis eſt in uſu.* Hucuſque ex Camdeni Britannia titulo Hibernia hauſiit, cujus incertum illud *videntur accepiſſe* operam dedi jam ſupra certius reddere, quam (ut ipſe aſſeveranter prodidit) literarum in Hibernia ullum damnum ab Egfridi Nordanhumbrorum

(g) *in faſtis Belgicis ad 3. Decembr.*

claſſe

classe illatum. Sed pergit Miræus; *Quo quidem charactere à reliquis Europæis prorsus diverso non pauci libri annis superioribus Lovanii in collegio Hibernorum Franciscanorum excusi nunc extant, magno Catholicorum in Hibernia commodo. Ut his, & aliis rationibus beneficia jam olim ab Hibernis, seu Scotis Evangelii præconibus accepta quodammodo rependere, ac refundere Belgica nostra videatur.* In gratiam igitur Miræi elogia à Justo Lipsio in eum collata non immeritò subtexam.

Miræe docte, qui facis meos Belgas
Ætate, sive incuria tenebrosos:
Nostrâ nitere rursus, atque splendere.
Qui singulorum patriam, atque natales,
Animique dotes, scripta, & ingenii fructus
Signas peritè, & acrimoniâ mentis.
Quid tibi reponet pro laboribus Belgæ?
Tituli hunc honorem; Lux, Miræe, Belgarum.

Potestas. H. De literarum potestate hæc paucis accipias. H. aspirationis literam, etsi ex literarum albo Græci, & Latini rejiciant cum Hebræis recipimus; quo magnus ac frequens est in Scotica scriptione usus. Vocalibus præfigitur per modum literæ; consonantibus verò, quas afficit, nunquam præfigitur; sed indifferenter vel subsequitur, vel ejus hac nota [r] in summo ductâ superimponitur. L. N. R. duntaxat nunquam. H. admittunt, reliquas variè afficit, & à suâ potestate in alienam traducit. Nimirum B. & M. aspirata. V. Latinæ consonantis vim habent. *Bh. Mh. Ch.* Ch. Germanico sono, ceu 51. Hebraicum, vel X Græcum editur ante, & post vocalem quamlibet; non autem Italico, Hispanico, Gallico aut etiam Anglico; quare ubi nos ch. post vocalem

vocalem habemus illi gh ad aſſequendum ſonum noſtrum ſcribunt; ut ubi nos *Each*, illi *Agh*: aliàs *Each* noſtrum *Eats* legerent. Dh, & Gh. eodem prorſus ſono proferuntur; & præcedente. *A.* Sonum efferunt Latinis literis expreſſu difficilem; ut *Adharc* cornu: *Magh* campus. F. aſpiratum omnem poteſtatem amittit; ut *a Fhir* o Vir, quaſi *a ir* legitur, & ſequenti vocali annexum, nunquam vero præcedenti reperitur. Ph. literæ F. ſonum induit; quemadmodum in Græcis, ut Phenius, Fenius. S. T. aſpirata ſuo quidem valore penitus fruſtrantur, ſed ſpiritus aſperi vim retinent; ut *a Shile* O Ægidia, *a Thomais* o Thoma, quaſi *a Hile*, *a Homais*. proferuntur. In fine vero dictionis Hibernicæ. S. aſpiratum, ſeu Sh. nunquam contingit, ſecus th.

Dh. Gh. *Fh.* *Ph. Sh. Th.*

Conſonantes præter iſtud aſpirationis dominium omnes, demptis Latinis liquidis L. M. N. R. ſæpius obmuteſcunt, alia certa conſona præcedente, & radicalibus ſine ulla poteſtate liqueſcentibus. B. ita liquescens M. habet præcedens, quod obmuteſcentis B. omnem ſonum deſtruit, ſed quaſi M. Solum eſſet. Sic G. ante C. N. ante D. ——Bh. ante F. Item N. ante G. Item B. ante P. Item T. ante S. Item D. ante T. Item tt. idem valet ac Dr. ut & CC. & Gc.

Mutæ. *Mb.* *Gc. Nd. Bb. f. Ng. Bp. Ts. Dt. tt. cc.*

M. nunquam duplicatur. L. N, R. aliam induunt poteſtatem duplicia, aliam ſimplicia; ſed in diverſis ſenſibus; ut *Geal.* Candidum, Geall pignus. Initio dictionis quanquam nunquam duplicia ſcribantur, tamen in diverſis ſenſibus modo duplicia, modo ſimplicia proferuntur; ut *Lamh*, manus: *Namhaid*, hoſtis: *Rroſc*, oculus: quaſi *Llamh*, *Nnamhaid*, *Rroſc*: leguntur: ſed *a Lamh*, *a Namhaid*, *a Roſc*. hoc eſt illius manus; illius hoſtis; illius oculus Simplici. L. N. R. Sonat, ſi ad virilem ſexum ly *illius* refertur, ſin autem ad fœmineum tum *a Llamh*,

L. M. N. R.

a

a Nuamhaid. a Rroſc. effertur, in aliis conſonis per H. fit illa diſtinctio; ut *Cos*, pes: *a Chos*; illius pes, ſi vir: *a Cos*; illius pes, ſi fœmina; ſic *Gort*, *a Ghort*, *a Gort*: *Mac*, *a Mhac*, *a Mac*, &c. Aliter vero per. H. ſi à vocali incipit dictio; ut *Inghean*, filia *a Inghean*, illius filia, ſi ad patrem refertur: *a hinghean*, ſi ad matrem: ſimiliter Alt, *a Alt*, a Halt: Ænmhac, a Ænmhac, a Hænmhac; &c. Ln idem ſonat, ac ll, ut à voce *Colann*, corpus; *Colna*, corporis: & ab *Aluinn* pulchrum, *Ailne* pulchritudo; quaſi *colla*, & Aille eduntur. D. poſt N. in aliud V. tranſit, ut; *Ændia*, unus Deus, quaſi *Ænnia* enunciatur: ſic *Eunda*, *Eunna*; Andeus, vel Ennius: excipe *Banda*, fœmineum, & ſiqua ſimilia. In fine vocis nd, vel nn. indifferenter ſcribi poteſt; ut *Ceand*, caput; vel Ceann. Si fuerit R. in fine dictionis, & Dh. initio ſubſequentis dictionis, tum Dh. perinde, ac ſi R. eſſet profertur; ut *Muintir Dhalaigh*, Familia Dalæorum; quaſi Muintir Ralaigh protertur. Conſonæ reliquæ præter L. N. R. regiminis gratia in recto, vel obliquis nunc aſpero, nunc leni ſpiritu, nunc vicariæ Conſonæ acceſſu afficiuntur; ut *Dia*, Deus; *do Dhia* Deo; *a NDia*, in Deo. Non fruſtra vero radicales conſonæ, etſi vim ſuam ex toto vel ex parte perdant, inſeruntur; quia ex his rectus caſus, & vocum origines eliciuntur.

Ln. *Nd.* *R. Dh.*

Conſonantium Poetica diviſio.

Præterea poetæ conſonantes rythmicâ harmoniâ cohærentes in leves, tenſas, duras, molles, atque aſperas diſtribuunt præter. S. quam ſuæ cujuſdam poteſtatis literam ſterilem vocant, quod non aliam, quàm. S. ſibi reſpondere patiatur. Leves ſunt ſeptem, viz. bh. mh. dh. gh. l. n. r. Tenſæ quinque rr. ll. nn. m. ng. Duræ tres; B. D. G. Aſperæ quinque; ch. th. f. ph. Sh. Molles tres; P. T. C.

S. Leves. 7. Tenſæ. 5. Duræ. 3. Aſperæ 5. Molles. 3. Vocales. Largæ. A. O. U. Subtiles. 3. I.

Vocales ſimplices aliæ ſunt largæ A. O. U. aliæ ſubtiles

tiles E. I. Quarum in ſingulis unius dictionis ſyllabis duabus Orthographia eſt, ut ſi in poſteriori ſyllabâ primâ vocalis ſit ſubtilis, ſubtilem eſſe ultimam in priori opporteat; & largam, ſi prima in poſteriori larga; ut *Bainchelè*, ſponſa, ubi. i. ſubtilis vocalis ponitur in *Bain*, quia ſequens ſyllaba *che* incipit cum ſubtili vocali e. Bainoigh autem vitioſum eſſet, & *Banoigh* (virgo) ſcribendum, ut a vocalis larga in prima ſyllaba cum. o. ſimiliter larga in ſecunda conveniat. Sic *Tiolaictheach*, munificus: ubi o. larga vocalis poſt. i. in prima ſyllaba ponitur, quia ſecunda ſyllaba cum a larga vocali incipit, & in ſecunda ſyllaba poſt. a. inſeritur. i. ſubtilis, ut concordet cum. e. prima vocali tertiæ ſyllabæ. Largæ vocales indiſcriminatim pro ſe invicem non raro ſubſtituuntur, ut & ſubtilis una pro altera ſine Orthographiæ vitio. Qualis ſubſtitutio ſi apud veteres Hebræos fuerit ante punctorum uſum, facilius eiſdem cavere poterant. C. & G. eandem cum E. vel I. conjuncta, ac cum A. O. U. poteſtatem retinent; ſic olim apud ipſos Romanos C. ut in voce veteris intercalaris menſis, qui Merkedonius dicebatur à ſolvendâ mercede, quaſi merkede pronunciatâ.

Ex vocalibus dipthongi variæ, ac tripthongi fiunt. Duæ, aut tres vocales in una voce non totidem ſyllabas faciunt; nec ullæ vocales in conſonantes demigrant; uti I. & V. apud Latinos. Ex. A. proveniunt æ. ai. ao. aoi. Ex. E. ea. eo. eoi. eu. Ex I. ia. iai. io. iu iui. Ex O. oi. tantum. Ex. U. ua. uai. ui. Perpetuo longæ ſunt ao. aoi. eo. eoi. eu. ia, iai. ua. uai. Cæteræ communes. Sonum efferunt exteris literis non exprimendum pleræque perpetuo longæ; & oi brevis; ut *Coill*, Sylva; *Coir*, culpa. *Dipthongi & Tripthongi.* *A. 4. E 4. I. 5. O. 1. V 4.* *Longæ.* *Communes.* *Pronunciatio.*

Ex literarum variis poteſtatibus, quando voces Hi- *Tranſlatio.*

bernicæ perregrino idiomate exprimuntur diversitas Orthographiæ oritur. Siquidem quidam radicales recti literas, alii aliquorum literas tantum, & nonnulli vocis sonum verum, alii corruptum in translationibus imitantur.

Paromœon. Non parva est apud nos in oratione elegantia Schema, quod Paromœon, i. assimile dicitur, (*b*) quoties multæ dictiones ab eadem litera incipientes ex ordine collocantur; secus vero apud Latinos vitiosa compositio est, unde cacosyntheton vocatur: Compositura mala est vocum cacosyntheton illa; (*i*) ut,

h de quo supra hoc capite.

i Auct: Masinellus. Bollandi objectum diluitur.

O Tite tute Tati tibi tanta, tyranne, tulisti.
Machina multa minax minitatur Maxima muris.
——— Casus Cassandra canebat. Ennius.
Post pugnam porcorum Portii poetæ. Juno Jovi jure ira-
Sosia in solario soleas sarciebat suas. (*scitur.*

His ita præmissis præcipuum Bollandicæ assertionis argumentum, quo literarum ignorantiam Hibernis Ethnicis improperavit, facillimè impugnatur. Vitam S. Patricii tripartitam in R. P. Colgani Triade Thaumaturga septimam, & Dominum Waræum nostrum lib. 2. de scriptoribus Hiberniæ. cap. 1. super Nennii, & Tirechani verbis testes producit S. Patricium diversis in Hibernia alphabetum præscripsisse; unde malè infert eum literarum usum in Hiberniam primum induxisse. Ipsissimo enim illo D. Waræi tractatu (ubi de scriptorib. Hiberniæ author ille nobilis, ac rerum Hibernicarum diligentissimus indagator de hac quæstione, ne scrupulum quidem movit) lib. 1. cap. 1, non animadvertit Benignum S. Patricii discipulum, & in sede Ardmachana, ipso superstite, successorem scripsisse librum *partim Latinè, partim Hibernicè* de virtutibus

tutibus, & miraculis S. Patricii, quo se usum esse (Anno D. 1185.) fatetur Jocelinus: & Fiecum à S. Patricio Sleptensi Ecclesiæ præfectum, scripsisse hymnum *Hibernicè* in laudem S. Patricii, quem hymnum P. Colgani beneficio Hibernicè editum etiam hodie extantem in Triade Thaum: habemus. Hibernicè vero scribere ab omni exotico literarum charactere alienissimum est. Atqui ipsissimo huic Fieco S. Patricius *alphabetum sua manu scriptum tradidit*, ut eadem ipsa vita tripartita (*k*) habet. Itaque quomodo revera se res habet paucis explicabo.

(*k*) *par. 3. cap. 21.*

Hiberniæ Scoti, ut rectè admonet Bollandus, Romanorum armis non tentati, nec alii prius jugo, quam Christiano per Patricium subjecti Latinarum quidem literarum, quibus iis minimè erat opus, imperiti fuere: Patricio autem illæ (sine quibus sacra nequiverunt Christiana tractari) ad liturgias, & officia ecclesiastica ediscenda plurimum conducebant. Quare ad promovendum ille religionem nullum non movit lapidem, omnemque ansam quam avide arripuit. Id ergo in causa fuit, cur impiger Evangelii seminator Latinum alphabetum neophytis suis tam sedulo dictitavit. Illi è contra literis patriis apprimè versati alia elementa omni facilitate edidiscerant. Unde S. Fiecus ille Sleptensis Dubthachi regis, & regni archipoetæ discipulus primo die alphabetum saltem, quindenæque spacio (sic enim unius, vel quindecim dierum progressum ejus apud Scholiastam in Triade Thaum. (*l*) signarum distinguo) psalterium, & Ecclesiasticam disciplinam didicit. De quo S. Fieci progressu R. P. Wardæus (*m*) mentionem faciens Latinas literas expressè interpretatur illud vitæ tripartitæ alphabetum.

(*l*) *pag. 4. num. 1.*

(*m*) *in vita S. Rumold. pag. 317.*

Cæterum ante P. Bollandum de hac quæstione nulla unquam apud exterum, aut domesticum authorem

exorta est controversia. Alioquin Industrius Colganus plures illos vitæ tripartitæ de alphabeto Patriciano à Bollando perperam intellectos locos nequaquam sine explicatione præteriret; & eximius patriæ Zelator Wardæus tantum errorem, si resciviſſe, operæ pretium duceret eluere: nec acerrimus nuper in patriæ convitiatores vindex sub Gratiani Lucii nomine Venerabilis Dominus Joannes Lyncæus tacitum ferret prætermittendum. In pervetustis equidem pergamenis, & medicorum nostratium Latinis aphorismis ipsum Latinum sermonem non Latinis literis, sed Hibernicis; utpote quibus librarii nostrates versatiores fuerant, excriptum videmus.

Porro quam in literarum imperitiâ Hibernis gentilismi tempore affingendâ devius erat P. Bollandus, tam in *describendi, pingendique atramento, vel alio quovis colore corporis* perita. Hiberni enim æquè ac Latini illos inscriptos corpora non atramento, sed glasto *Cruithne* i. Pictos, seu figuratos patrio sermone (*n*) nomine ab illo artificio sumpto à se distinguebant. Hiberni vero, qui Cruithne, seu Picti audiebant (*o*), non à pingendis corporibus, Sed ex affinitate cum Pictis illud nomen contraxerant. Quod Rabanus Abbas Fuldensis scribit, *Scoti propria lingua nomen habent à picto corpore* se non capere jure pronunciat Camdenus; (*p*) nec ego, cui Scotica vernacula est, capio. Id vero scio illum hausisse ex S. Isidoro Hispalensi (*q*) ubi legitur *Scoti propria lingua nomen habere à picto corpore.* Quod sequitur, etiam verbatim ex Isidoro in M. S. codice Lecano (*r*) habetur, *eo quod aculeis ferreis cum atramento variarum figurarum stigmata annotentur.* Hos igitur Isidori, ac Rabani locos non ambigo Bollandum in errorem traxisse, & rectè Hibernos tum intelligit Scotorum nomine.

n *Usser. de Primord. Eccl. Brit. pag.* 1018.
o *Ibid m.* 1019. & *supr. c.* 18.
p *Camd. Britannia Titulo Scoti.*
q *Isidor. originum lib.* 9. *c.* 2.
r *fol.* 25. *b.*

Atqui,

Atqui, ut Clarissimus Waræus (*s*) pro me respondebit; *inde Pictos, non Scotos nomen traduxisse certum*; & *Isidorus ipse lib.* 19. *cap.* 23. *Pictos inde denominatos fatetur*, Isidori hæc sunt verba; *Non abest genti Pictorum nomen à corpore, quod minutis opifex acus punctis expressos nativi graminis succos includit, ut has ad sui speciem cicatrices ferat Pictis artubus maculosa nobilitas.* Qua de re ita Usserius noster (*t*); *Dacos, & Sarmatas corpora sua inscribere auctor est Plinius: quod Pictis nostris in usu fuisse; ex Claudiano, & Isidoro non opus est, ut admoneam.* Hactenus cum Bollando calamum incautius impingente è via desleximus, jam rursus intermissum filum prosequamur.

(*s*) *War. Ant. Hib. c.* 1.

(*t*) *De Primord. pag.* 584.

CAPUT. XXXI.

Finnacta quadragesimus primus Rex Hiberniæ. Slanollus 42 Rex Hiberniæ. Gedius Grandivocus 43. R. H. Fiachus Finnalcheas 44. Rex Hiberniæ. Berngalius 45. R. H. Olillus 46. R. H. viz. tres filii, & tres nepotes Ollamfodlai regis Hiberniæ ex Hiri progenie.

FInnacta Ollamfodlao patri Temoriæ defuncto surrogatur Rex Hiberniæ. 3276.

Slanollus Finnactæ fratri apud Moy-inis (*u*) pestè abrepto suffectus Rex Hiberniæ. 3296.

(*u*) *Nunc Lecabil' in agro Dunensi.*

Temoriæ è medio sublatus est sine morbo, aut coloris vividi mutatione. Ita Alexandri Magni corpus tradit Justinus Septem dies, Ælianus 30 dies exanimum jacuisse in Solio, nulla tabe, ac ne minimo quidem livore corruptum. Vigor quoque, qui ex Spiritu promanat, non destituerat vultum.

Gedius

3313. Gedius Grandivocus Slanollo fratri substitutus Rex Hiberniæ.

3325. Fiachus Finnalcheas Finnactæ regis filius Gedium patruum vita pariter, ac regno privavit Rex Hiberniæ.

w *Nunc Kells Anglicè, & Kentis. Hibernicè Kenannus oppidum in Midia Orientali, ubi olim celebre S. Columbæ monasterium Kenannusium.*

w Apud Dun cule-Sibrinne regiam sibi Kenannus vocatam in Midia in utriusque Teffiæ confiniis extruxit. Putearios ad excavandas teuresibus puteos, unde ciconiis aqua extrahatur primus in Hibernia admovit. Puteorum primus in Græcia repertor, auctore Plinio, fuit Danaus Argivorum Anno M. 2475. rex; qui regionem aridam, erutis fontibus, aquis abundare fecit.

3333. Berngalius Gedii regis filius, ac paternæ necis ultor Fiachum patruelem in Bregiensi acie prostravit Rex Hiberniæ.

3345. Olillus, Slanolli regis filius patruele Berngalio Sirnai Longævi ope obtruncato Rex Hiberniæ.

3353. Patris cadaver annos quadraginta in sepulchro reconditum ex humo integrum, & corruptionis immune levavit, sed post unum annum incorruptum elevatum habet Codex Lecan. fol. 291 *b.*

CAPUT. XXXII.

Sirna Longævus 47. *R. H. Rotheactus* 48. *Rex Hiberniæ. Elimius* 49. *R. H. Gillchadius* 50. *R. H. Arturus Imleach* 51. *R. H. Nuadus Finnfail* 52. *R. H. Breasus Regius* 53. *R. H. Achaius Optach* 54. *Rex Hiberniæ.*

3360. Sirna Longævus Herimoniorum Princeps regium Hiberniæ diadema, quod, ut sibi debitum, per centum annos ambiebat, Olilli regis nece ab Ultoniis Hiri progenie translatum postliminio recuperavit, Rex Hiberniæ.

x *Cod. Lecan. fol. 291. b.*

Longævus

Longævus ideo dictus, quod sesquicentum annos vixerit. Ultonios ad Araskeltair, Martineos, Ernaos, & Fomorios, variis prœliis, dum regnaret, superavit.

Aras-keltair ille locus, seu Raith-keltair mhic Duach idem est, ac Dunum S. Patricii tumulo clarum: de quo in testamento S. Patricii nomine edito; Dún a mbiat meiserge a Raiṫ Cheltaḋ mic Duaċ. Dunum ubi erit mea resurrectio in munimento Keltarii filii Duachi.

Sirna rege, Skirta in Lagenia, Doalt in regione Ros, Nithe in campo Murthemne (*y*), Leamhuin, seu Levinius in Momonia, & Slanius in Hycrimthanan flumina Scaturire cœperunt.

(*y*) *In comitatu Louth.*

Anno regni quintodecimo in memorabili prœlio Montragio in Kiennachtâ Lugarium filium Lugadii ex Heberi domo ortum Fomorios exteros adsciscentem Hiberniæ viribus fretus adortus est; & dum palantem ex acie insequeretur, Lugarium cum suis inopina pestis absumpsit. 3375.

Rotheactus ex Heberi Sanguine Sirnai regis apud Allin nece regnum acquisivit Rex Hiberniæ. 3381.

Primus in Hibernia quadrigis invectus. Erichthonius Vulcani filius Athenarum sub annum Mundi 2463. quartus Rex, primus dicitur quadrigas excogitasse ad crurum turpitudinem, quæ Serpentina erant, velandum. Trochilo Argivo non multo saniori id inventum tribuit Tertullianus; sed Virgilius

(*z*) *Primus Erichthonius currus, & quattuor ausus*
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor (*z*). 2 Georgic. lib. 3.

Elimius patrem Rotheactum apud Dun-sobarche in Ultonia è cælo tactum excipit Rex Hiberniæ. 3388.

Gilchadius

3389. Gillchadius Sirnæ Longævi regis nepos Herimonius in prœlio ad trium amnium alveum (*a*) per Elimii regis latera viam sibi stravit ad avitum solium, Rex Hiberniæ.

a Prope Ros oppidum in Lagenia.

3398. Arturus Imleach Elimii patris cædem, & imperium à Gillchadio apud Muadium campum cæso deposcit, R. H.

Septem munimenta fossis vallavit.

3410. Nuadus Finnfalius Gillchadii regis filius Arturum Imleach peremptum victor excipit, Rex Hiberniæ.

3423. Breasus Regius Arturi regis filius patris cædem, & dignitatem à Nuado interfecto exegit Rex Hiberniæ.

3432. Achaius Optach de semine Lugadii filii Ithi ad supremos fasces secundus aspiravit, Breaso rege apud Carn-conluain occiso, Rex Hiberniæ.

CAPUT XXXIII.

Finnius 55. R. H. Sednæus Innarradh 56. R. H. Simon Breac 57. R. H. Duachus Fionn 58. R. H. Muredachus Bolgra 59. R. H. Ennius Ruber 60. R. H. Lugadius Hiardonn 61. R. H. Sirlam Longimanus 62. R. H.

3433. FInnius ex Hiri posteris Achaium regem oppressit successor, Rex Hiberniæ.

3453. Sednæus Innaradh ex Heberi Sanguine Finii regis cæde ad Solium evectus, Rex Hiberniæ.

Primus mercedem militarem, seu stipendium militibus certum irrogavit. Romanos olim nullo publico

ære

ære militasse liquet; idque annis plus minus trecentis; quibus milites privato sumptu se alebant suo ad annum circiter septimum decimum ante urbem à Gallis captam, quo aliter perspectum est. Erat autem stipendium eorum triplex, in pecunia, frumento, & veste.

Simon Breac Herimonia è domo Sednæum regem crudeli membrorum dilaceratione decessorem opprimens, Rex Hiberniæ. 3467.

Duachus Fionn ex Heberiis pro Sednæi patris nece talionem Simoni in crucem acto reddidit, Rex Hiberniæ. 3473.

Muredachus Bolgra, Simone rege Herimonio genitus, in Maighe prœlio Duachum regem vita, ac sceptro orbavit, R. H. 3481.

Ennius Ruber vices, quas patri Duacho Muredachus rex intitulit, in ipsum retorquet Rex Hiberniæ. Hunc Sednæi regis filium, prætermisso Duacho, malè habet Mailinus Bruodinus (*a*). 3482.

Primus in Hibernia argentum signari curavit, idque apud Argeatros. Nummi feruntur dicti à Numa Pompilio Romanorum rege secundo (*b*), qui æs primum apud Latinos imaginibus notavit, & titulo nominis sui proscripsit (*c*).

Lugadius Hiardonn Heberius patrem, vel agnatum Ennium in monte Mis in Momonia cum ingenti multitudine peste absumptum excipit, Rex Hiberniæ. 3487.

Sirlam Longimanus Hiriadûm princeps Lugadii apud Rathclochair occisi regis exitio diademate insignitur, R. H. 3492.

a Cηηfiot cumaomaiſt eloiñ táil.

b *Ab Anno* 3436.

c *Ifidor. Epiphan. cedren.*

CAPUT. XXXIV.

Achaius Fuarchis Sexagesimus tertius Rex Hiberniæ. Ubi de priscis Hibernorum navigiis.

3508. ACHaius Fuarchis à vimineis cratibus corio obductis quibus epibatas è navibus in oras maritimas emitteret, dum à morte Lugadii regis exul mari biennio piraticam ageret, nuncupatus, Hebero oriundus decessoris cæde, Rex Hiberniæ.

Fuerunt itaque apud Hibernos veteres in usu præter Cymbas, & lintres monoxylas, qualibus nunc etiam ad trananda flumina utimur parvæ istæ vimineæ Scaphæ (Fuarchis enim Achaii regis agnomen corbem minus aptè contextum denotat) quas carabos vocat S. Isidorus (*d*), & ex vimine factos, crudoque corio contectos definit; quarum usus etiamnum littorum oras, insulasque legendo non obsolevit. Hibernicè *Corach*, vel *Noembog* vocantur.

d Origin. lib. 19.

Hujus generis navigio narrant Fabius Ethelwerdus, Annales Anglo-Saxonici, Florentius Wigornienſis (*e*), & Matth. Florilegus (*f*) tres Hibernos Dusslanum, Macbethum, & Magulmumenum *artibus frondentem*, ut de postremo prædicat Ethelwerdus (*g*), *litera doctum, magistrum insignem Scotorum* ex Hibernia ad Alfredum Anglorum regem venisse. Qui peregrinam solitariam pro Christo ducere vitam cupientes cum unius hebdomadæ viatico carabum, qui ex duobus cum dimidio, aut tribus cum dimidio bovinis coriis factus erat, intraverunt; & sine velo, & armamentis, quocunque fors concederet, ire disponentes post septem dies in Cornubia applicuerunt; & pro miraculo, & novitate inaudita Regi Alfredo præsentabantur.

e Ad ann. 892.
f Ad ann. 891.
g Chronic. lib. 4. c. 3.

Præ-

Præterea noſtris olim magnitudine, & uſu ſatis idonea extructa fuiſſe conſtat navigia bubulis tergoribus ambita, quæ illius ævi itineribus obeundis, prælīis maritimis pro finitimorum more, ac tempeſtatibus perferendis non omnino erant imparia. S. Cormacus S. Columbæ Hienſis diſcipulus, ut refert S. Adamnanus (*b*) mirabilem, & laborioſam ſuſcepit Navigationem navi *pellicio tecto* circumdatâ; quæ tamen prora, puppi, carina, lateribus, velis, remis, commeatu, pluribuſque, qui inerant, vectoribus inſtructa erat. Primâ vice ab Irroſdamnonia ſolvens per Oceanum expatiatur: Secunda vice à terris per infinitum Oceanum plenis enavigavit velis, & poſt longos circuitus ad Orcadas devenit: tertiâ ejus navis à terris per quatuordecim æſtivi temporis dies, totidemque noctes, Auſtro flante, ad ſeptentrionalis plagam cœli directo excurrit curſu, adeo ut navigatio ultra humani excurſûs modum (pro nautica illius ætatis peritia) irremeabilis videretur. Hæc Adamnanus; ſed diu antè, quo tempore Romanorum poteſtas in Britannia ad exitum vergeret, Scoti ex Hibernia id genus claſſe in Britanniam irruebant, ut habet Gildas de excidio Britanniæ. *Emergunt certatim de curucis* (*i*), *quibus ſunt trans Scythicam vallem* (*k*) *evecti tetri Scotorum, Pictorumque greges.* Hæc irruptio Scotorum in Britanniam incidit in ann. Chriſti 431. imperante Theodoſio. 2. Sub cujus patre, & patruo, qui ab Anno. 395. ad 408. ſimul imperarunt, non abſimili è claſſe conflata fuit alia expeditio, de qua Claudianus (*l*) Britanniam ita loquentem inducit.

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilico, totam cum Scotus Jernen
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.

(*b*) *Vitæ. S. Columb lib. 1. c. 6. lib. 2. c. 42.*

(*i*) *Coracli, vel cataracti.*

(*k*) *Mare Hibernicum, nunc S. Georgii canalem intelligit Seldenus in Mari clauſo lib. 2. c. 1. pag. 98.*

(*l*) *lib. 2. de laudib. Stiliconis.*

Hujuſmodi navigiorum ſtructuram, ac formam, licet non molem, robur, aut apparatum bellicum, perſpicere liquet è vita S. Brendani in codice Ms. Carthuſiæ Moguinæ in hunc modum; *Fecerunt naviculam leviſſimam coſtatam, & Columnatam, ſicut mos eſt in iſtis partibus, & Cooperuerunt illam coriis bovinis, atque rubricatis, & linierunt foris omnes vincturas pellium ex butyro, & miſerunt alias duas paraturas navis de aliis coriis in navim, & ſtipendia 40. dierum, & butyrum ad pelles præparandas ad cooperimentum navis, & cætera utenſilia, quæ ad uſum vitæ humanæ pertinent: arborem etiam poſuerunt in medio navis fixam, & velum, & Cætera, quæ ad gubernationem navis pertinent.* Convenit & alterius authoris vitæ *S.* Brendani in codice Inſulenſi de ejuſdem navigii ſtructurâ narratio; *Paraverant Naviculam leviſſimam, conflatam, atque columnatam ex pino arbore, ſicut mos eſt in illa patria, & cooperuerunt eam coriis bovinis Rubricatis, & linierunt omnes junctturas, pellium exterius, & ſumpſerunt expenſas 50. dierum, & cætera utenſilia ad utilitatem navis pertinentia.*

Coriacea navigia apud alias etiam gentes antiquitus in more poſitum fuiſſe è Senecâ, Solino, Oroſio, & aliis è veteribus ediſcimus. Quorundam eruditorum nomina, qui de naviculis hujuſmodi ſcripſerunt, in Guilielmi Somneri Gloſſario reperies. His uſos Britannos veteres, & cum iis ſex dierum ſpacium in Oceano illos interdum emenſos teſtatur Plinius (*m*). De Britannicis Syllinarum incolis ſic Feſtus Avienus (*n*).

(*m*) *lib. 4. c. 16. lib. 7. c. 55.*
(*n*) *In ora Maritima.*

——————— *rei ad miraculum*
Navigia junctis ſemper aptant pellibus:
Corioque vaſtum ſæpe percurrunt ſalum:

Et

Et Apollinaris Sidonius de Saxonicis piratis ita habet (*o*). o *Carmine.* 7.

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat (*p*), *cui pelle ſalum ſulcare Britannum*
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo;

p *pro timebat.*

Item Lucanus (*q*) Italorum, ac Britonum vitiles naves ad hunc modum deſcribit; q *Pharſal. lib.* 4.

Primum cana ſalix, madefacto vimine, parvam
Texitur in puppim, cæſoque induta juvenco
Vectoris patiens tumidum ſupereminet amnem.
Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoque Britannus
Navigat Oceano. ———————

Nec aliam fuiſſe Virgilii (*r*) futilem cymbam ex Epitheto liquet; r *lib.* 6. *Æneid.*

———————*ſimul accipit alveo.*
Ingentem Æneam; gemuit ſub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimoſa paludem.

Unde vox Hibernica *Corach* à Corio voce Latinâ, & à navicula *Noevog* nomen diminutivum derivari videtur. Romanis quidem è firmiori materia naves præſidiariæ belligerendi cauſa fuerunt ignotæ, arſque navigandi ante bellum Punicum Anno M. 3686. initum, quo Duilius Conſul. Anno. M. 3690. primum triumphum egit navalem.

Britanni, adveniente Julio Cæſare, qui Anno M. 3895. & ante æram noſtram Chriſtianam Anno 55. Britanniam attigit, *naves habebant, quarum carinæ, ac ſtatumina ex levi fiebant materia*; *reliquum corpus navium, vimi-*

s *Cæsar. lib. 1. c. 54. de Bello Civili.* t *Cæsar ibidem.* *viminibus contextum, coriis integebatur.* (s) Cujusmodi Scaphas Cæsar, uti eum *usus Britanniæ docuerat* (t) missitum tantum trajectioni paraverat, carrisque junctis per millia passuum 22. devexit. Quare primo Cæsaris in Britanniam adpulsu, longarum navium, ut ipse disertis verbis testatur, (u) *Species erat barbaris inusitatior*; paulo post, *navium figurâ, & remorum motu, & inusitato genere tormentorum permoti barbari constiterunt.* & secundo appulsu *multitudine navium perterriti à littore discesserant.* (w) Contestatur idem panegyristes Maximiani Imp. ad exitum Sæculi tertii Christiani; *illa ætate* sc. Julii Cæsaris ævo, *nec Britannia ullis erat ad navale bellum armata navigiis.* Luidus igitur Cassivelani frater, & decessor, quem sub Cæsaris ævum multas insulas maris bello occupasse Henr. Huntingdonius (a) narrat, non alia usus est classe, quam navibus coriis obductis, qualibus Scoti ex Hibernia in Britanniam transmitti à Gilda dicuntur, non ad prœlia mari conferenda, nisi cum sui generis classe, sed ad terras copiis occupandas comparatis. Frustra igitur conjecturis aucupatur, Seldenus (b) Brittannis è robore, ac firmiori, quam pelle, & vimine materiâ bellicas construi naves solitas fuisse, quæ ad unum quasi navali Venetorum in Gallia prœlio omnes ita perierint, ut anno proximè sequenti Cæsaris adpulsu nulla ejusmodi navis in mari, seu littore Britannico comperta sit. Cæsar vero testis omni exceptione major, qui utrique bello præfuit, & libro 3. de bello Gallico *auxilia ex Britannia quæ contra eas regiones posita est* à Venetis accersita fatetur, inusitatâ navium specie, & figurâ permotos Britannos non apprehenderet, si anno superiori in bello Venetorum eos ejusmodi specie, ac figura de facto usos coràm videret. Candidius scribit Camdenus (c) in hæc verba. *Quod vero in hoc nostro mari*

u *libro 4. de bello Gallico.*

w *ibidem. l. 5.*

a *Histor. Brit. l. 1.*

b *Mare Clausum. lib. 2. c. 2.*

c *Camd. Britannia titulo Oceanus Britannicus.*

mari naves primum repertas scribunt nonnulli, mihi non credere libet. Vitiles autem naves coriis intectas, quas Coraghs hodie appellant, Britannis in usu fuisse cum Plinio etiam testatur Lucanus.

De Venetis quidem Galliæ sub Ligeris ostium in Britannia Aremorica populo legitur (*d*) Cæsaris tempore eorum amplissimam fuisse oræ maritimæ Galliæ Occidentalis authoritatem, eosque scientia, usuque rerum nauticarum cæteros antecessisse, atque naves eis fuisse in jam dicto prælio navali totas ex robore factas, apprime erectas, & sive vela ex alutâ pellicea, sive catenas anchorarum ferreas pro funibus, sive trabes spectes ad quamvis vim preferendam accommodatas; & numero circiter 220. paratissimas, atque omni armorum genere ornatissimas è portu profectas Classi Romanæ adversas constitisse. Verum Cæsar, dum in Britanniam bellum pararet, quod omnibus ferè Gallicis bellis hostibus inde subministrata auxilia, (quæ quidem auxilia militum, & aliarum rerum omnium potius, quam apparatus nautici sentienda sunt) intelligebat, loca, portus, aditus, omnia ferè Gallis incognita reperiebat. *Neque enim temerè præter Mercatores adiit ad illos quisquam, neque iis ipsis quicquam præter oram maritimam, atque eas regiones, quæ contra Galliam, notum est. Itaque convocatis ad se undique mercatoribus*, neque quanta esset Insulæ magnitudo, neque quæ, aut quantæ nationes incolerent, neque quem usum belli haberent, aut *quibus institutis uterentur, neque qui essent ad majorum navium multitudinem ideoni portus, reperire poterat* (*e*).

(*d*) *Cæsar. lib. 3. de bello Gallico*

(*e*) *Cæsar ibidem, lib. 4.*

Sed Hibernia tum non adeo ignota, aut inhospita fuit, nam sesquicentum à Cæsaris in Britanniam adpulsu elapsis annis, postquam Australem Britanniæ partem Claudius Imp. in ditionem redegit, & Julius Agricola

Agricola ſub Domitiano Imp. in ultimam Britanniam penetravit, totamque inſulam circumnavigavit, Tacitus Agricolæ gener in ejus vita prodidit quod ſuo tempore *Hiberniæ quam Britanniæ meliùs aditus portuſque per commercia, & negotiationes cogniti.* Unde huc citius, quam illuc firmiorum navium uſum è frequentioribus aliarum gentium commerciis introductum fuiſſe, non ambigendum. Nunc vero propoſiti memores navigiorum veterum vela contrahamus.

CAPUT XXXV.

Achaius Venator 64. *R. H. & Conangus Impavidus* 65. *R. H. Lugadius Rubrimanus* 66. *R. H. Arturus* 67. *R. Hiberniæ. Olillus Fionn* 68. *R. H. Achaius* 69. *R. H. Argetmarus* 70. *R. H. Duachus Ladgar.* 71. *R. H. Lugadius Vitulinus* 72. *R. H.*

3520. ACHaius Venator & Conangus Impavidus Herimonio è ſtemmate fratres Achaium regem occiſum throno deturbarunt: hic in Auſtrali Hibernia, ille in Boreali reſidentiam habens Hiberniæ alternatim dominati ſunt, Reges Hiberniæ.

3525. Lugadius Rubrimanus Hebero oriundus Achaium è medio, Conangum è ſolio fratres ſuſtulit, Rex Hiberniæ.

3529. Conangus Lugadii regis caſu diadema ſibi denuo aſſeruit, R. H.

3536. Arturus Lugadii regis filius, frater, aut agnatus Hebero ſatus Conangum extinxit ſucceſſor, Rex Hiberniæ.

3542. Olillus Fionn Heberius Arturum à Fiacho Tolgrao Achaii,

Achaii, & Conangi ex Herimonis ſemine regum patruo, & à filio ejus Duacho Ladgair oppreſſum in ſolio excipit, & ſupremum magiſtratum adverſus eos novennium propugnavit, Rex Hiberniæ.

Achaius Heberi è ſemine, Olilli patris, & Arturi percuſſore Fiacho ſublato, Olillo, & Arturo continuè ſuccciſit, Rex Hiberniæ. 3551.

Duachus Fiachi filius ab Achaio rege in ordinem redactus, & Argetmarus ex Hiri ſtirpe, & Fiachi complicibus ſolum vertere coactus eſt.

Argetmarus idem Hiriades ab exilio reverſus, facta cum Duacho iterum conjuratione Achaium regem apud Knoc-aine in Limericenſi agro obtruncavit; inde Rex Hiberniæ. 3558.

Duachus Ladgar Fiacho Tolgrao Herimonio prognatus Argetmaro, cui pridem ſubſidium, jam Lugadii Ultonii ope exitium attulit ſucceſſor, Rex Hiberniæ. 3568.

Lugadius Vitulinus Dario Doimtheach Heberio patre ſatus, quibus armis Duachum regem evexit fœderatum, iiſdem Achaii regis Heberii everſorum vindex evertit, Rex Hiberniæ. 3578.

CAPUT. XXXVI.

Aidus Rufus. Dithorbus, Kimbaithus tres Hiriadæ ſeptuageſimus tertius, Septuageſimus quartus, Septuageſimus quintus Reges Hiberniæ, & Macha Regina Hiberniæ ordine ſeptuageſima Sexta.

AIdus Rufus ex Hiri ſemine à Lugadio Rege pro Argetmari avi ſui nece pœnas ſumpſit. Ipſe Di- 3582.

thorbus, & Kimbaithus è tribus fratribus patrueles Supremum magiſtratum ex pacto per vices adminiſtrarunt, RRR. Hiberniæ.

Argetmaro regi Hiberniæ quinque erant filii, Badorinus Aidi, Dimanus Dithorbi, Fintanus Kimbaithi regum Hiberniæ genitores, Fomorius, ex quo Rudricius rex Hiberniæ Rudriciorum ſator, & Caſſius, ex quo omnes ferè Ultoniæ reges à Machæ reginæ interitu ad Rudricium illum, Anno M. 3792. regem Ultoniæ creatum.

3589. Dithorbus, Aido Ruſo poſt exactum Septenne regiminis ſpacium ex pacto cedente, per proximum Septennium, Rex Hiberniæ.

3596. Kimbaithus, elapſo ſeptennali Dithorbi imperio, Rex Hiberniæ. Primus Emaniæ regnavit; quam non procul ab Ardinachâ magnificè extruxit Ultoniæ regum deinceps ſedem. Foſſis latis, veſtigiis murorum eminentibus, & ruderibus priſtinum etiamnum redolet Splendorem.

f Cimbaeth cadom Ceudfaeth gmna. *G. Coemanus in prœmate regum Hiberniæ.*

Tigernachus Cluanenſis Anno 1088. mortuus hæc Latinè inſcripta reliquit; *Omnia monumenta Scotorum uſque Kimbaoth* hoc eſt uſque ad hujus Kimbaithi regis tempus *incerta erant*; à Kimbaitho quidem rege ad Emaniæ excidium per annos prope Septingentos Ultoniæ regum tempora certiſſimis nixa rationibus ſuperiùs parte. 2. demonſtravimus; ſecus vero ante Kimbaithum.

3603. Macha Aidi Rufi regis filia unica fœmina abſoluta Regina Hiberniæ ad ſupremum ſolium, ut ſequitur, evecta.

g Eaſdaoba ſuadiò, *Cataracta Aidi Rufi.* Aidus rex ad Eaſroam, cui nomen fecit, (g) in Samario Ernai lacus fluvio cataractam undis abſorptuſeſt. Tum Macha patris vicem ſibi vendicat, & negatam armis adepta, repulſam vindicans Dithorbum, Kimbaithum exauthoravit. Hunc in Connactiam expulit, ubi

ubi apud Corann in Sligoenſi diſtrictu trium è fratre ſuo nepotum ferro occubuit: illum in regiminis, thalamique conſortium adſcivit. Quo è vita excedente, ſola Hiberniæ habenas moderabatur.

Captivitatem filiorum Dithorbi, & captivitatis prolytro Emaniam conditam ad fabulas meritò rejicimus; Kimbaithus enim primus Emaniæ conditor, primuſque qui ibidem ſedem fixit.

CAPUT. XXXVII.

Reactus Carporuber Septuageſimus Septimus, Rex Hiberniæ.

REactus Carporuber Heberi è domo Machæ Reginæ vitam, & imperium ademit, Rex Hiberniæ. 3610.

Reactus rex, ut ante eum Æneas Olmucad (*h*), Septentrionalem Britaniam excurſionibus peragravit. Ut rectè dixerit Buchananus; *Non ſemel Scotorum ex Hibernia tranſitum in Albam*, Scotiam ſc. modernam *factum noſtri annales referunt.* Fictitium autem illum Ferguſium primum, qui hoc circiter tempore Alexandri Magni diebus ex Hibernia regnum in Scotia conderet, & prolixæ illi regum Scotiæ ſeriei initium daret, nequaquam agnoſcimus. Huic fortaſſis errori anſam obtulit, quod in O Duvegani codice (*i*) legitur, *Ferc, & Iboth duo filii Irialii Glunmarii commiſſis præliis in Albania ſub Reacti Carporubri poteſtatem incolas adduxerunt; ita ut Reactus Hiberniæ & Albaniæ rex fuerit, ut è pſalterio Caſilienſi liquet.* Verum Irialius ille non ante quadringentos abhinc annos Ultoniæ præfuit;

h *Rex Hiberniæ ad ann.* 3163.

i *Fol.* 89. *b. a. apud Gra. Lucam p.* 63.

& quicunque alius Ferc, vel Fergus ſub Reacto rege in ea expeditione militavit, Scoticum tamen univerſæ ſeptentrionalis Britanniæ imperium nullum adeptus eſt, nec in poſteros tranſmiſit.

CAPUT. XXXVIII.

Hugonius Magnus 78. R. H. Laogarius Lorc 79. R. H. Cobthacus Coel octuageſimus, Rex Hiberniæ.

3619. HUgonius Magnus Herimone ſatus à Kimbatho, & Macha regibus olim adoptatus Reactum regem educatricis interfectorem pari pœna mulctavit; inde Rex Hiberniæ.

Imperium ultra Hiberniam in Occidentalibus Europæ inſulis mari Mediterraneo, quod Siculum, & Africanum continet citerioribus uſque propagavit. Axioma regium principum, ac magnatum Hiberniæ jure jurando per res creatas omnes viſibiles, & inviſibiles adhibito, ſibi, atque poſteris ſuis in perpetuum devinxit.

Cæſarea è Gallorum gente heroina ejus uxor Cobthacum Coel, Laogarium Lorc, & Aifeam, Albeam, Mureſcam tres filias enixa eſt. Viginti quinque liberos in univerſum habuit. Quorum nomina 1. Cobthacus Coel de Bregia 2. Cobthacus Murthemnius de Murthemnia 3. Roigneus ne Moy-raigne poeta 4. Laogarius Lorc de Liffea 5. Fulleus de Feibh. 6. Cuanus de Argetros. 7. Nar de Moy-nair. 8. Norba de Moynorba. 9. Faſeus de Moy femin. 10. Tarra de Moytarra. 11. Triath de Moytretherne. 12. Malius de Cliu-mail. 13. Sineus de Luachair. 14. Bardus de Corcagia. 15. Fergus Cnai de Deſiis Auſtralibus. 16. Aid-

neus

neus de Aidnea. 17. Moenus de Moen moy. 18. Sanbus de Moy-æoirdric apud Deſios Boreales in Midia. 19. Carbreus de Corann. 20. Laogarius Line de Linea. 21. Lath de Latharne. 22. Manius de Midia. 23. Aifea de Moy-naiſe. 24. Mureſca de Moy-muirske, & 25. Albea de Moy-nailbhe. Inter hos Hiberniam in viginti quinque diſtribuit plagas, manſitque ea diviſio trecentos annos, qua toto illo temporum decurſu regia omnia proventuum, ac vectigalia perſolvebantur. 3623.

Laogarius Lorc Hugonii patris ſolium à Bauchadii patrui cæde auſpicatur, Rex Hiberniæ. 3649.

Hugonium regem apud Kill-droicheat in portus Colpani margine ad Pontanam urbem vitâ privavit frater ſuus Bauchadius, inde Rex Hiberniæ Saluratus, ſed ſeſquidiem tantum titulo potitus eſt, cum à Laogario conſoſſus occumberet;

Unuſque Titan vidit, atque unus dies
Stantem, & cadentem———

Pro tantillo autem temporis illum antiquarii in regum album non retulerunt.

Cobthacus Coel Bregienſis Laogarii fratris, ejuſque filii Olilli illatâ apud Carmann cæde faſces à minori natu præreptos recuperavit. 3665.

CAPUT.

CAPUT XXXIX.

Lauradius Navalis 81. *R. H. Melga Laudabilis* 82. *R. H. Mogcorbus* 83. *R. H. Æneas Doctor* 84. *R. H. Hierngleo* 85. *R. H. Fercorbus* 86. *R. H. Coulaus* 87. *R. H. Olillus Dentiscaber* 88. *R. H. Adamarius* 89. *R. H. Achaius Comatus* 90. *R. H. Fergusius Fortis* 91. *R. H.*

3682. LAuradius Navalis Laogarii Lorc regis nepos decessoris nece, Rex Hiberniæ.

Lauradius à Patris, ac avi cæde in Galliam relegatus post annorum aliquot curriculum ingentem advenarum manum multis navibus (à quibus Navalis dictus) in Wexfordiæ sinum adduxit. Mox in Cobthachi regiam Dinrigiæ propter Bervam * fluvium irruit, regemque cum triginta è magnatibus extinxit, ac totam regiam ferro, flammisque vastavit. Anni tempus Signatum invenio pridie illius diei, quo (tertio post Sœculo) Christus Dominus apud Bethlehem Ortus; pridie scilcet diei, quos nos jam Domini natalem colimus: quemadmodum anni Juliani rationibus in anteriora extensis, Julio aut Augusto (mense) factum dicimus, quod multis Sœculis ante Julium ipsum, & Augustum genitos accidit.

* *The Barrow.*

Moriatha filia Scoriathi de Fearmorc hodie Hyconallia Gaura in Momonia Occidentali fuit Lauradii regina.

Lagenia Hibernorum arma.

A Laticuspidum armorum, quæ nostris insueta exteri illi intulerant, vocabulo *Lanceâ* Lagenia appellationem exinde Sortita est. Hibernorum arma sub adventum Anglorum Giraldus Cambrensis (*k*) ita docet; *Tribus utuntur armorum generibus, lanceis non longis, & jaculis*

k *Topogr. Hiberniæ. distin. 3. cap. 10.*

jaculis binis, Securibus quoque duplis fabrili diligentia optimè chalybatis, quas à Norwagiensibus, & Oustmannis sunt mutuati. Una tantum manu, & non ambabus securi percutiunt, pollice desuper manubrium in longum extenso, ictumque regente: à quo nec galea caput in conum erecta, nec reliquum corpus ferrea loricæ tricatura tuetur. Unde & in nostris contigit diebus totam militis coxam ferro utcunque fideliter vestitam, uno securis ictu præcisam fuisse; ex una equi parte coxa cum tibia, ex altera verò corpore moribundo cadente. Lapides quoque pugillares, cum alia defecerint, hostibus in conflictu damnosissimos præ alia gente promptius, & expeditius ad manum habent. Gladius iis ingens erat, & prælongus; una tantum parte acutus, quo cæsim, non punctim feriebant. Sed hoc de Hibernicis armis extra oleas.

Melga Laudabilis Cobthachi regis filius occisi Lauradii præmium regnum retulit, Rex Hiberniæ. 3696.

Mogcorbus ex Heberi progenie Hugonii Magni decretum transgressus in Clario prælio Melga regem cecidit, Rex Hiberniæ. 3708.

Æneas Ollamh, seu Doctor Lauradii regis è Lageniæ Herimoniis nepos Mogcorbum ab eo peremptum excipit, Rex Hiberniæ. 3714.

Irereo, seu Hierngleo Fathach Melga regis filius Æneæ decessori mortem intulit, Rex Hiberniæ. 3721.

Fercorbus Mogcorbo rege genitus Hierngleonem prostravit successor, Rex Hiberniæ. 3727.

Conlaus Hierngleonis regis filius Fercorbo regi animam haurit, & inde regnat, Rex Hiberniæ. 3734.

Olillus Dentiscaber Conlao patri Temoriæ in pace animam efflanti surrogatur, Rex Hiberniæ. 3738.

Adamarius Fercorbo rege natus Olillo regi vitam, & imperium eripuit, Rex Hiberniæ. 3763.

Achaius

3768. Achaius Comatus Olilli patris necem Adamarii regis nece rependit, Rex Hiberniæ.

3775. Fergusius Fortis Æneæ regis ex Herimoniis Lageniæ nepos decessoris excidio, Rex Hiberniæ.

CAPUT. XL.

Æneas Turmeach 92. *R. H. Conallus Columnaris* 93. *R. H. Niasedamon* 94. *R. H. Ennius Aighneach* 95. *R. H. Crimthannus Cosgrach* 96. *R. H.*

3787. Æneas Turmeach Herimonio è Stemmate Achaii Comati patris cædem talione vindicat, Rex Hiberniæ.

a1. ıſ ėŋge ėŋɱnṁėġŋ lęė eŋñ: ŋıŋ Alban: ḋaılɱıaḋa: aguſ ḋaılḃŋıatach.

Herimoniorum sequentium, unde cognomen Tuirmeach (*a*) datum, per filios duos Ennium regem Hiberniæ & Fiachum Marinum omnium, si Lagenios Laogarii Lorc regis progeniem exceperis, fator.

3819. Conallus Columnaris Ederscolii filius Æneæ patruo Temoriæ vitam claudenti sufficitur, Rex Hiberniæ.

3824. Niasedamon ex Heberi domo Conalli regis clade, Rex Hiberniæ.

3831. Ennius Aighneach Æneæ regis Herimonis è gente filius decessoris clade, Rex Hiberniæ.

3841. Crimthannus Cosgrach, seu Pugnax è Lageniæ Herimoniis in prœlio ad Arderimthann de Ennio occiso victor, R. H.

Crimthanno regi per Bresalium filium tres erant nepotes, viz. Lugadius Loitfionn Nuadi Nivei regis Hiberniæ avus, Fergusius Æquoreus stirps regum Lageniæ, & Conlaus, Ossoriorum pater, à quo genus ducunt Ossoriæ superioris Barones de familia fitz Patrick.

CAPUT.

CAPUT. XLI.

Rudricius 97. *R. H. Innatmarus* 98. *R. H. Breſalius* 99. *R. H. Lugadius Luagne Centeſimus R. H. Longalius Clairnigneach.* 101. *R. H.*

RUdricius rex Ultoniæ fidem à majoribus Hugonio Magno, & poſteris Herimoniis datam ex Hiri proſapiâ primus, effuſo Crimthanni regis Sanguine Supremum thronum conſcendens violavit, Rex Hiberniæ. 3845.

Rudricii poſteri ſola gens ex Hiri domo jam ſuperſtes. Undecim filios progenuit: quorum hæc ſunt nomina. 1. Breſalius R. H. 2. Niellus. 3. Congalius R. H. 4. Roſſius. 5. Caſſius. 6. Æneas. 7. Kinga. 8. Fea file poeta. 9. Olillus. 10. Fiachna. 11. Ledeus, quem Codex Ultonienſis ordine quintum habet.

Innatmarus Hebero ſatus, Rudricio rege apud Argatglinn peſte extincto ſubſtitutus, Rex Hiberniæ. 3862.

Breſalius Rudricii regis filius Innatmari ab eo perditi caſu è rege Ultoniæ monarchiam adeptus eſt, Rex Hiberniæ. 3865.

Lugadius Luagneus Innatmari regis filius Breſalium jugulavit ſucceſſor, Rex Hiberniæ. 3874.

Congalius Clairingeach Breſalii regis frater rex Ultoniæ univerſæ inſulæ imperium, & fraternæ necis multam Lugadii regis excidio reportavit, Rex Hiberniæ. 3889.

CAPUT. XLII.

Duachus Dalta-deagha 102. *R. H. Fachnaus Fathach* 109. *R. H.*

3892. DUachus Dalta-deagha ex Heberi Semine Congalii regis clade, Rex Hiberniæ.

Duacho cognomen non Dallta-deagha .i. Deagi fratris, qualem nullum habuit, excæcator, ut quidam fabulosè produnt, sed Dalta-deagha; Scilicet Deagi filii Seni de Ernais alumnus. Ita è codice Momoniensi tradit Codex Lecanus (*l*), G. Coemanus (*m*), & O Duvegani Codex (*n*).

l Fol. 203. *a.*
m Ibid. f. 304. *a.*
n Fol. 81. *a.*

Fiachus enim Marinus Æneæ Turmeach regis filius ex Herimonia gente filium genuit Olillum Aronn, qui terras in Ultonia obtinuit, à cujus cognomine *Aronn* posteri Ernai dicti, ab antiquioribus Ernais Belgarum è semine diversi, in Deagadas Momoniæ, & Dalfiatachios Ultoniæ postea distincti. Deagus igitur Olilli Aronn ex Seno filio nepos ex Ultonia à Rudricii regis filiis pulsus, Duacho alumno suo Hiberniæ clavum tenente, in Momonia ditionem adeptus est, & post Duachi mortem totius Momoniæ gubernaculum; ut & posteri ejus modò alternatim cum Heberiis, modo Simul: his Boreali, illis Australi Momoniæ præfectis.

Ernai. Deagadæ.

3899. Fachnaus Fathach Rudricii regis è Cassio filio nepos Rex Ultoniæ in prælio Ardbrestine Duacho regi animam extraxit, Rex Hiberniæ.

CAPUT.

CAPUT. XLIII.

Achaius Fedloch centesimus quartus R. H. Achaius Fedloch Herimônia è gente Fachnae regi in Letreachruadh prælio in Corannâ dignitatem, ac vitam eripuit, R. H.

TRes Finnios Breaso, Nario, & Lotharo nominibus distinctos filios, & bis totidem Mumaniam, Heliam, Maudam, Derdriam, Clothram & Ethneam filias procreavit. Tres Finnios tergeminos, & Clothram, uno partu enixa est Crosinnia regina filia Arturi Uctlethan. A Nario Tiranair in Umallia; à Breaso Dun-mbres propter lacum Orbsen nominatur. Mumaniam, & Ethneam Conquovarus Nessanus rex Ultoniæ duxit: hæc Glasnii regis Ultoniæ: illa Furbadii filii Conquovari genitrix. Heliæ maritus erat Fergalius filius Magach è Damnoniâ regiâ Connactiæ familia. Mauda virago potens, longæva, ac libidinibus imprimis famosa Tinneo filio Conrii Connactiæ regi elocata est; ab ejus obitu Olillum filium Rossi Rufi regis Lageniæ duxit, subinde Olilli Finnii è Damnoniis, & Ferguси Rogii regis Ultoniæ consortio usa est. 2922.

Achaius rex primo regni anno pentarchiam instituit, seu potius intermissam instauravit. Quæ non ita accipienda, ut penes unumquemque pentarcham supremum suæ provinciæ jus esset, & nullas à superiori suspensas regendi rationes haberet. Id enim monarchiæ repugnaret, quæ perpetuâ serie in hac insula viguit: & regis Hiberniæ titulus umbra foret sine corpore inanis, si quædam membra sigillatim supremo 3923. *Pentarchia.*

totius magistratu fungerentur. Nec censendum est tum primum pentarchiam Sancitam, cum à regii axiomatis initio quinque provinciis quini essent præsides substituti. Deinde Scotis rerum potitis eadem gubernandi forma invaluit. E quibus Heberii, & Dergtinnii è Lugadii filii Ithi sobole alternatim utramque Momoniam rexerunt: & licet Heberii ab Ernais Herimone satis aliquamdiu interrupti, & ad occiduos Momoniæ secessus deturbati, tamen se denuo recollegerant, & ad Anglorum ingressum dominium perennarunt. Ultoniæ ad Emaniæ excidium, & ultra Hiriadæ, admissis subinde post Sœculum primum Christianum Ernais Herimoniis, longissima serie dominati sunt. Lagenia Herimoniis, & dein Connactia tractu temporis cesserunt, ut & tandem Ultonia.

Hiberniæ divisiones.

Variæ fuerunt Hiberniæ divisiones politicæ juxta principum voluntates, ac jurisdictiones, quæ tamen jam dictis gentium dominiis nequaquam obstabant, nec primam quinque partitam divisionem penitus abrogabant. In Scotorum dynastia quinque memorantur; prima inter Heberum, & Herimonem fratres bipartita, Secunda inter Sobarchum, & Kermnaum fratres, & Hiberniæ reges etiam bipartita, quæ centum annos traditur durasse; tertia Hugonii Magni quinquies quinque partita, qnæ trecentos annos duravit; quarta hæc jam pentarcharum; & quinta bifariam inter Quintum regem Hiberniæ & Eugenium Moganuadum regem Momoniæ.

Trecentis igitur jam exactis annis ab Hugonii divisione Achaius rex, eâ rescissa, quinas iterum provincias certis limitibus circumscripsit, & pentarcham in singulis unum è gentibus tum iis dominantibus, sicubi vacabat, stabilivit, & pridem stabilitum confirmavit. Provinciis hoc tempore præfuerunt Fergusius filius

filius Ledei Ultoniæ, Deagus (*o*) filius Seni, & Tigernachus Tedbannach frater, aut patruelis Deagi utrique Momoniæ, Roſſius Rufus filius Ferguſii Æquorei Lageniæ. Connactiam tum in ternas partes diviſam poſſidebant è Damnoniorum ſemine triumviri viz. Fidhaicus Filius Fegi Fircraibiam à Fidhaci regiâ Limericum uſque; Achaius Allat Irraſdamnoniam à Galviæ fluvio ad Dubium, & Drobiſium fluvios in confinibus Ultoniæ; & Finneus filius Conrii campum Moy-ſainbh, & terras Tuatha-taidhean à Fidhaci regiâ ad Temoriam de Broga niadh in Lagenia. Ex his erant Clanna Mornai, & Gamanradii de irras, è quibus poſtremi reges Connactiæ è Damnoniis; item Tuatha-taidhean, & Sliaw-furriæ gentes, & Fircraibii, & alii priſci Connactiæ incolæ Olnegmact appellati. Tinneus Achaii regis per Maudam filiam gener è triumviro factus eſt rex Connactiæ, qui, extincto Achaio Allat, Gamanradiorum de Irras dominium Olillo Finn filio Magach tradidit.

o Supr. c. 42. Reges Ultoniæ.

Momoniæ.

Lageniæ. Connact æ. Damnonii. Fircraibii. Gamanradii.

Tuatha-taidhean.

Olnegmact. Tinneus rex Connactiæ.

Magach porro (quibuſdam Mata) de Mureſca (*p*) Olillli illius mater, à qua plerique ex eâ geniti filii Magach vocantur, regina Lageniæ Damnoniis Olnegmact orta Olillo filio Carbrei Firdaloch è Damnonia etiam gente filios præter Olillum peperit Keatum filium Magach, Anluannm, Mogcorbum, Tocaum, Scandalum, Anfindum, & Fergalium Achaii Fedloch regis per Heliam filiam generum: & Roſſio Ruſo regi Lageniæ nupta Carbreum Niafear regem Lageniæ, Finnium poetam regum Lageniæ ſatorem, & Olillum Magnum regem Conactiæ concepit. Mauda Tinneo orbata, poſtquam decem annos apud Cruachan Connactiæ regiam cœlebs præfuit, cum Olillo Magno filio Magich ex Roſſio Ruſo, quia maternâ cognatione reges Connactiæ è Damnoniis attigit, atque ut Lage-

p Vbi nunc cœnobium Eremitarum S. Auguſtini ad Oceani oram juxta S. Patricii montis radices in Umalia.

Magachæ filii.

Mauda regina Connactiæ.

Olillus regis Lageniæ filius, rex Connactiæ.

nia, & Connactia adverſus oppugnantes quoſque fœdere coirent, Connactienſium ſuffragiis matrimonium contraxit; eo prius ab illa interpoſito pacto, ut nunquam Zelotypia affectus gravaretur, ſed libenti animo ferret, ſiquando ipſa ob priſtini cœlibatus licentiam thalamum violare indulgeret. Quapropter cum Ferguſio Rogio Ultoniæ rege exule palam conſuetudinem habuit; qui Kierum, Corcum. & Conmacum ex eâ ſuſcepit.

Olillus Finn. Táinbóſlio-ȝnſ.

Olillo Finn Gamanradiorum domino uxor erat Fliguſia Fidhaci Fircraibiorum domini ex Olillo Dubh neptis poſtea Ferguſio Rogio nupta, propter quam Fliguſia præda facta eſt. Ex Fidhaco illo, atque ex Keato filio Magach Olilli fratre reges poſtea Connactiæ è Damnoniis deſcenderunt, Keati poſteri Clanna Morna dicti ſunt.

Reges Momoniæ

Deago ſucceſſit in Momonia Hiarus cum Sex fratribus Deagi filiis viz. Dario, Binneo, Roſſio, Forraio, Glaſſio, & Congano Cneas. Darius fratribus Superfuit rex Momoniæ. De cujus filia uterum novies novem menſibus Druidum artibus geſtante, & non impuberem, ſed promiſſis crinibus, & menti lanugine præcocem, non infantem, ſed Sententias dicentem pariente fabulam poeticam rejicio: ut & tres fuiſſe in Hibernia mox ab utero locutos Cidum filium Ollavi, regnante Fiacho (*g*) filio Dalboetii patruo ſuo; Morandum filium Main Feradachi Juſti (*r*) R. H. à judiciis, & hunc Darii nepotem. Eugenius Hiari nepos Darium excepit, & hunc Curoius Darii filius.

g ſupr. c. 34.

r infr. c.

CAPUT.

CAPUT. XLIV.

Achains Aremh 105. *R. H. Ederscolius* 106. *R. H. Nuadus Niveus centesimus Septimus, R. H.*

ACHaius Aremh decessoris Achaii Temoriæ vitam in pace claudentis germanus Herimonia è domo, R. H. 3934.

Edania filia Edarii Eochradiæ domini, à quo Binnedair prope Dublinium, Margâ matre genita Regina Hiberniæ Achaio regi Esam filiam peperit, quæ Cormaco Conlongais filio Conquovari regis Ultoniæ nupta Mesbocallam edidit Ederscolii regis Hiberniæ Reginam.

Ederscolius filius nepotis Hiari (s) nonnunquam patronymicè appellatus è Deagadis Herimoniis Rex Momoniæ Eugenii regis Momoniæ filius, Achaii Aremh prosoceri sui apud Fremonn Teffiæ collem in Westmidia fulmine tacti solio investitur, Rex Hiberniæ. 3944. s Hac ri.

Mesibocalla regina Achaii Aremh regis ex Esâ filiâ, & Conquovari regis Ultoniæ é Cormaco filio neptis Ederscolio regi Conarium. 1. edidit regem Hiberniæ.

Cathirio Ederscolii regis filio sunt sati Ernai de Momonia media, & Ernai de Dun-kermna Australes Cathirii ejusdem filio Dubnio Corcodubnii prognati.

Nuadus Niveus è Lageniæ Herimoniis Ederscolii regis apud Allen profuso Sanguine, Rex Hiberniæ. 3949.

Sex tantum menses Hiberniæ solio potitus est, cum in Ederscolii patris necem inquirens, Conarius ei in prœlio apud Cliach concisо vicem reponeret. Tum victor

victor Lageniis paternæ cædis mulctam irrogavit, ſeptem deinde Momoniæ regibus Caſiliæ ſolutam Oſſoriæ inſuper tractum à Gauran ad Greniam, qua patet, Caſiliæ regibus in ejuſdem cædis expiationem Lagenii cœlum, & terram, ſolum, & ſalum, Solem, & Lunam pacti fide juſſores adhibentes æternum reſignarunt.

CAPUT. XLV.

Conarius. I. 108. *R. H.*

COnarius Primus Ederſcolii regis ex Mesbocalla filius ad ſupremum magiſtratum aſcendit, Rex Hiberniæ.

Moltaca filia Mornai Mellach Regina, ex qua Carbreum Einmor regem Momoniæ tulit.

Conarii regis tempora pacis tranquilitate, aeris ſerenitate, fructuum, frugumque ubertate, æquoriſque, ac fluminum præſertim Boindi, ac Boſii fœcunditate celeberrima fuiſſe illius ævi Scriptores literis conſignarunt. Mira ſanè tempeſtatum memoriam hactenus conſervantium diligentia; quorum fidem temporum collatio quam maxime conciliat; cum non mirandum videatur hos dies præ aliis auſpicatiſſimos, quibus ab infantia ad mortem elementorum conditor, bonorumque omnium largitor communi nobiſcum aura veſcens ſub humana ſpecie terras luſtravit, ac illuſcente aureo Chriſtianæ fidei diluculo Evangelii nuncium, prædicantibus Apoſtolis, ubique percrebuit.

Initio

Initio regiminis post Bruighean-da dhearg, ubi ejus Regia, primum excidium, cujus Secundo excidio ipse periit, pentarchiam denuo confirmavit, metasque provinciis pro statuentium arbitrio definivit. His tum præfuere Conquovarus Nessanus Ultoniæ, cujus Regia in Magh-inis, hodie Lecahil Dunensis agri propter Fergusianæ rupis sinum tum extitit; Carbreus Niafear Lageniæ, cujus regia tum apud Temoriam de Broghaniadh in Lagenia, à qua sc. Rex Temoriæ dicitur: Olillus, & Mauda Connactiæ apud Cruachan; Achaius Abratruadh Luctæ filius vir humanam staturam magnitudine longè excedens Momoniæ Australi, & Curoius filius Darii Boreali; à quibus hæc Achaii, illa Curoi Quintana; ut & Ultonia Conquovari, & Lagenia Carbrei Niafear Quintana audiebat.

Provinciarum Reges.

Conquovarus Rex. Ultoniæ.

Carbreus Niafear Lageniæ.

Olillus, & Mauda Connæ.

Achaius Abratruadh Moræ Australis.

Curoius filius Darii Moræ Borealis.

Carbrei regis Lageniæ uxor fuit Fedelmia filia Conquovari regis Ultoniæ mater Erici filii, à quo Rath-erc in Bregia, Erici uxor Fianscotha filia Cuculandi: ab Acaill Erici germana Acaill Temoriæ nomen sumpsit. Fedelmiæ gratia Carbreas in provinciarum finibus Signandis tres ditionis suæ centurias inter Temoriam, & mare soceri provinciæ, ut fama est, adjiciendas permisit.

Rath-erc.

Acaill.

Curoni regis Momoniæ mater fuit Moranda filia Hiri, filii Ansindi è Manniæ Pictis soror Achaii Eachbheoil, qui fuit Conalli Kearnach Socer Pictos hoc ipso tempore sc. Carbreo Niafear in Lagenia regnante ex Arctois Britanniæ partibus Hebridas, ac finitimas insulas occupasse Ketingus testatur. Curoium in Momonia secutus est Carbreus Finnmor Conarii regis filius, Carbreum Niafear in Lagenia Finnius poeta frater excepit.

Conarius Rex, postquam Sexaginta annos regnasset in Hibernia, cum Bruighean-da dhearg (*a*) regiæ excidio nocturnis incendiis subversus est à quibusdam præ-

Anno Christi 60.

a Bruighean-da dhearg *vel* bruighenda-

donibus. Vacavit inde Temoria sine rege quinque annos. Ankelus cæcus O Conmaic, Dekellus, & Dartadus è prædonibus, quos Conarius Hiberniam tumultibus infestantes regno abegit, sunt, qui alienigenarum sibi turbâ ad scitâ illud excidium intulerunt, Hos Areco filio Milesii, vel Damnoniis Connactiæ oriundos ferunt, & Ankelum regis Britonum dictum filium, quia mater ejus fuit Bera filia Ocha principis Britonum Manniæ, filii Ochmasii.

CAPUT. XLVI.

Fergusius Rogius Rex Ultoniæ, Olillus, & Mauda Rex, & Regina Connactiæ.

3934. ANno primo Achaii Aremh regis Hiberniæ Fergusius Rogius ex matre Rogiâ filiâ Achaii filii Carbrii ex Itho Milesii patruo, aut Areco Milesii filio genus trahente cognominatus Rudricii regis Hiberniæ (patre Rossio Rufo) nepos, postquam Rudricii lacus Fergusium Ledidem Ultoniæ regem fluctibus obrueret, factus est Rex Ultoniæ; sed vix expleto in regimine triennio, eum clavo amovit Conquovarus Nessanus ex eadem Rudricia domo.

3937. Fergusii filii diversis, amplisque olim per Momoniam, Connactiam, & Ultoniam familiis, & multis Sanctis originem dederunt viz. Conrius, ex quo Dalconrii, de quibus Elimius Ultoniæ, & Hiberniæ rex; Aulamus, seu Corb-aulamus, ex quo Dal-aulamii, de quibus S. Ercus Slanensis, & S. Brendanus Birrensis, & Corco-aulamia; Conrium, & Aulamium geminos ferunt natos, & Aulami aurem à Conrio inter nascendum ore avulsam;

Dalconnii.

Dalaulamii.

avulſam, unde *Au-lom* aure mutilatum ſignificat: Buindus, ex quo Dal-mbuinne; Dalannus, ex quo Corcodalann, unde Cannicus in Hy-dalann; Ferkidhecus, ex quo Orbradii; Ethneanus, ex quo Mendradii, Maſcus, ex quo Maſcradii; Fertlactus, ex quo quadruplicis Aradiæ cliach regionis Limerico urbi ad Orientem vicinæ populus, & Æneas Fionn, ex quo Gregragiæ (*b*) populus propter lacum Techet in Connactia.

Dal-mbuinne. Cor odalann.

Orbradii. Mendradii. Maſcradii. Aradia cliach. Gregoria.

b Hodie Culavinn Sligonenſis diſtrictus ſemibaronia.

Ferguſius ſolo pariter, ac Solio Ultoniæ exterminatus in Connactiam ad Olillum, & Maudam ibidem regnantes profugit; quibus patrocinantibus memorabile exarſit bellum Septennale inter Connactos, & Ultonios multis poeticis figmentis, ut ea ferebat ætas, adornatum. Hujus belli circiter medium, Octennio ante caput æræ Chriſtianæ, Mauda regina Connactiæ, Ferguſio Rogio ductore, immenſam boum prædam conſpicuis agentium & inſectantium virtutibus memorabilem è Cualgnia in agro Louthiano reportavit. Non enim alio tempore militari paleſtrâ præſtantiores in Hibernia pugiles, quam Croebroii athletæ apud Emaniam ſub Conquovaro, Gamanradii de Irras damnonia ſub Olillo, & Deagadæ ſub Curoio rege Momoniæ.

3941.

Táinbó Cualgne.

His temporibus Ferguſius Maudæ adulterio tres filios multarum inſignium familiarum majores progenuit; utpote Conmacum Mogadoid, cujus Soboles regiones Conmhaicne dictas condiderant, ſc. Conmacniam de Moyrein in Brefinia in Angalios in comitatu Longford, & Eolaſios in comitatu Letrim diſtinctam, è quibus O Farell hic, illic Magranell familiæ etiamnum Superſunt. Conmacniam de Kinel-dubhan, hodie Conmacniam de Dunmor diſtrictus Galvienſis, in qua ſita eſt ſedes Archiepiſcopalis Tuamenſis Connactiæ metropolis, cujus primus Præſul S. Hierlathius de eadem progenie, cujus prophetiæ de futuris illius ſedis præſulibus ad finem mundi Hibernico metro

Conmacnii.

O Farell. Magranell.

Tuam.

extant: Conmacniam marinam in eodem districtu baroniam de Balynahinsii: & Conmacniam Cuile tola in Mayonensi districtu baroniam de Kilmain: Kierum alterum filium Mogatæth dictum, a quo Kierrigii, qui Kierrigiam Luachra comitatum Momoniæ Occidentalem O Conor Kierrigii dominium, Kierrigiam Ai nunc Clannkethern in Roscoman, & Kierrigiam de Loch-nairne in Mayonensi agro baroniam de Gostelo, præter Cuirke, Coneand, & trium camporum Kierrigias insederant: Corcum Feardoid cognominatum tertium Fergusii ex Mauda filium; qui Corcomodhruaadh, seu Corcomroæ duabus in Tuamonia baroniis dominos produxit O Loghlin, & O Conor Corcomroum.

Kierrigii.

O Conr Kerry.

Corcomroi.

O Loghlin.

O Conor corcomro.

Fergusius brevi postea Olilli rivalis, ut aiunt, insidiis mortem oppetiit; & Conquovaro æmulo Ultoniam invitus cessit; postquam Fiachnaum filium Conquovari, Gergandum filium Illadii, & Eugenium Durthacti filium Fernmoyæ dominum præter innumera alia damna eo bello Ultoniæ illata suis manibus pessum dedit.

Mauda post Olillum maritum nonagenarium decedentem octo annis superstes tandem grandæva fatis cessit, postquam nonaginta octo annos in Connactiâ dominata est, quos in decem annos post Tinnei prioris mariti obitum, octoginta annos in consortio Olilli, & octo annos ab Olilli morte Dr. Ketingus distribuit; sed æquum est, ut anni, quibus Tinnei consortio potita est, inter 98. annos computentur, non minus quam anni, quibus Olillo conjuncta. Quibus admissis nihil absonum occurrit, modo admittamus illam ad annos paulo minus centum viginti, quod non insuetum est vitam protraxisse: nam anno Vespasiani Imp. primo demortuam adnotavit Tigernachus, atque ita æræ Christianæ 70. & mundi juxta nostrum computum 4019. Quibus

Anno Christi 62.

Anno Christi 70.

bus poſitis, illa in Connactiam venit Anno M. 3921. aut 3922. quo pater Achaius regnare cœpit in Hibernia tum 17. annos, ut ſupponimus, nata: eodem circiter tempore Olillus editus, cujus pater Anno 3223. Lageniæ rex memoratur, & Tinneus Maudæ conjux è triumviro factus rex Connactiæ: anno deinde 3927. Tinneus, ut ſupponimus, mortuus eſt; & illa decem annos genio indulgens vidua, 34 annos nata, Anno 3937. priuſquam Fergnſius ex Ultonia pulſus, Olillum 17. circiter annorum adoleſcentem duxit, & 73. annos Convixerunt. Illud autem inaer fabulas magnopere referendum cenſeo, quod Olillus nonagenarius Conalli Kearnach nonagenario majoris manibus ſuccumberet, cædis authore ab Olilli Satellitio confeſtim capite plexo, & Octennio pòſt elapſo Maudam centenariam, & quod excurrit, Furbadius Conquovari regis Ultoniæ filius, ſuuſque è ſorore nepos confoderet; Tantæne animis capularibus iræ? Non equidem conſentaneum eſt: Conallus enim ille Conquovari adverſus Connactos bello vigebat fortitudinis laude in paucis celeberrimus: quod bellum ſeptem tantum annos, aut decem, ut alii habent; geſtum non ſeptennale, aut decennale foret, ſed ſeptuagenarium, ſi ad Olilli, & Maudæ prænotatos exitus graſſaretur. Porro, quod omnem tollit controverſiæ ſcrupulum, compertum eſt Euryalum Conalli ejuſdem filium decem annos in Ultonia regnaſſe ante ſupra ſignatum Maudæ exeuntis annum, atque ita duobus annis ante Olilli exitum; quo tempore Conallus, aut dudum inter mortuos, aut præ ſenio inter vivos ineptus exiſtimandus.

Maudâ defunctâ, Manius Aithreamhuil unus è ſeptem Maniis homonymis, quos Olillo peperit, filius à Cruachaniæ incolis, Tuatha-taidhen, Gabradiis de Suca, Fircraibiis, Cathragiis, & populis de Badhna Rex Connactiæ acclamatur; reclamantibus poſteris Magach, Clana-

Clannhuamoriis, poſteris Gananni, & Senganni regum Hiberniæ aliiſque Damnoniis qui Sanbum Magachæ è Keato filio nepotem armis præferre contenderunt. Manium excepit Sanbus per annos 26. uſque dum Senex admodum grandævus Tuathalio rege, in acie occubuit.

CAPUT XLVII.

Conallus Kearnach, & Cuculandus conſobrini.

3937 IN illo, quod diximus, bello Ferguſii, & Conquovari regum Ultoniæ ſingulari fama claruerunt ex Conquovari parte Conallus Kearnach, & Cuculandus. In quo bello Keatus filius Magach Olilli regis Connactiæ frater uterinus, & Olilli Finnii Gamanradiorum domini germanus Conalli armis occubuit. Conallus ab utroque parente ex eadem cum Ferguſio, & Conquovaro Rudriciâ domo patrem habuit Amerginum, avum Caſſium. proavum Cathbadium, abavum Kinga Rudricii regis filium, matrem Finncoemam, Congalii regis Hiberniæ ex Cathbadio Druide filio neptem. Uxores habuit. 1. Lonncadam filiam Achaii Eachbheoil è Pictis matrem Euryali Glunmar regis Ultoniæ, ex quo Dal-aradii; & Lagiſii Lannmor, ex quo Lagiſii in Lagenia. 2. Landabariam filiam Eugenii filii Durthacti (72) Fernmoyæ domini: 4 Mainam filiam Keltcharii matrem Eugenii filii Conalli: & 4. Phœben filiam Conquovari Neſſani regis Ultoniæ, matrem Fiachi filii Conalli, qui Fiachus mac Fir-phœbe à matre nuncupatus. Euryalus Glunmar Pictorum nepos ob Lonncadam matrem vocatur; à qua Cru-

Conalliparentes.

Uxores, & liberi.

72 *Dubractus filius Falbei filii Æneæ filii Rudricii R. H.*

ithne,

ithne, ſeu Pictorum nomen ad Dalaradios poſteros ejus emanavit. Circa hanc Curoius filius Darii, & Cuculandus dicuntur contendiſſe, dum vi eam è Mannia forma admodum eximia præditam abſtulitſent. Loncadæ vero pater fuit Curoi avunculus. Conallum porro ſatorem præferunt Hyconallii in territorio olim Conalliâ Murthemne, ſeu Macharii-chonaill; hodie in Louthiano comitatu. De qua Conalliorum gente S. Monema de Monte Culinn Virgo, quæ & Darerca vocatur, anno Domini 518. longæva decedens, ſed cum Darerca S. Patricii ſorore non confundenda. Huc ſpectat ejus Epitaphium. *Hyconallii.* S. *Monenia ſeu Modwenna.*

Ortum Modwennæ dat Hibernia, Scotia finem:
Anglia dat tumulum, dat Deus alta poli.
Prima dedit vitam, ſed mortem terra ſecunda:
Et terram terræ tertia terra dedit.
Aufert Lanfortin, quam terra Conallea profert.
Felix Burtonium Virginis oſſa tenet.

Ubi obſervandum hoc Epitaphium multis ſæculis poſt virginis mortem compoſitum, in quo Scotia moderna, & Anglia memorantur. Patrem ejus Mocteum Hyveachiæ in agro Dunenſi, & terris inde in circuitu Ardmachæ, ac agro Louthiano dominantem prodit author vitæ ejus. Unde inferendum Conalliorum gentem non ab alia Conalli propagine, quam Dalaradia deducendam.

Cuculandus decantatiſſimus pugil anno poſt inſtauratam pentarchiam primo naſcitur. Septennis militari ordine decoratus fuit, ut ad exitus annum notat Tigernachus. Quod cum quatuor Hibernicorum principum narratione in Joannis Froiſſardi Galli hiſtoria (*a*) apprimè congruit. Qui, cum Dublinii Anno Domini 3924. *Militaris ordo.*

(*a*) *Vol. 4. c. 63.*

Domini 1395. Richardus 2. Rex Angliæ ordinem militarem Anglicano more in eos collaturus esset, dicebant se à patribus suis diu antea, nimirum cum annos nati essent septem creatos fuisse milites, & (quod ad cæremonias attinet) quemque tyronem tempore creationis hastam tenuem puerili ætate aptatam in clypeum palo in medio prati affixum cursu impingere solitum, deinde pro numero hastarum ibi fractarum magis, aut minus honoratum; si vero contigerit patrem non fuisse, Superstitem, id officii propinquiorem sanguine principem solitum præstare. Sed tum quatuor illi principes solenniter in Ecclesia cathedrali vigiliis peractis, & missa audita in festo annunciationis Beatæ Mariæ feria quinta (*b*) iterum manu Richardi regis milites creati sunt, & cum rege eo die pro dignitate palliati mensæ accubuerunt. Ita Frois sardus.

b litera feriali. C.

3941. Septemdecim annorum erat Cuculandus octennio ante caput æræ Christianæ cum prædam Cualgniam infectando primum virtutis suæ specimen exhibuerit. Ea ætate Romani militare incipiebant, ut refert Plutarchus in Gracchis, & quinquagenarii ad summum desinebant. In illo bello Cuculandi manu cecidit Ferdia filius Damani è Damnoniis Connactiæ, à cujus excidii loco Ath-firdia, nunc contracte Ardee, seu Atherdea, alias de Atrio Dei opidum inter Louthianos nomen desumpsit.

Ferdia filius Damani, filii Delbradii filii. Darii Damnonii.

Soaltamius Cuculandi pater Ernais, aut alia Herimonis propagine oriundus, & Conallus Kearnach post Lugadium Longimanum è Danannis regem Hiberniæ primi dicuntur unius equi ephippiis insedisse. Nam hactenus curribus, carpentis, aut essedis modo bigugibus, modo quadrijugibus pugnare, ac iter facere mos invaluit; equos fræno & virga moderante auriga,

Soalta filius Dubtbii f. Caubarii. f. Lir. f. Constantini. e femine Herimonio.

rigâ, quem *Ara* dicebant. Ita de Britannis, quos paulo ante hæc tempora bello petiit, Anno V. C. 699. mundi 3895. Cæſar teſtatur; (c) *In prœliis plerumque uti conſuerunt eſſedariis: terrore equorum, & ſtrepitu rotarum ordines plerumque perturbant; ex eſſedis diſſiliunt, & pedites prœliantur. Aurigæ interim paulum è prœlio excedunt.*

(c) lib. 5. de bello Gallico.

Cuculandus maternâ cognatione reges Ultoniæ, & Rudricios omnes, à quibus ſtetit, ſibi propinquos attingebat. Matrem habuit Dechtiram, avum Cathbadium Druidem, aviam maternam Neſſam filiam Achaii Sulbhuidhe regis Ultoniæ, avunculos Conquovarum Neſſanum regem Ultoniæ & Cormacum ejus filium, materteras Inlendam, & Finncoemam matrem Conalli Kearnach. Inlenda filia Cathbadii è patruo ſuo Uſlennno filio Congalii regis Hiberniæ tres filios ſuſcepit. 1. Niſum maritum Derdriæ, generum Fedlimii Dall Conquovari Neſſani regis Ultoniæ à cubiculis. 2. Annlium per Aifeam uxorem generum Eugenii filii Durthacti Fernmoyæ domini, & 3 Ardanum.

Cuculandi cognatio materna.

Cuculandi uxor Emeria, ſocer Forgallus Manach filius Roſſi Rufi regis Ultoniæ, ſocrus Tethra filia Ochmandi Fomorii, filia Finſcotha, gener Ericus filius Carbrei Niafear regis Lageniæ, & Conquovari Neſſani è Fedelmiâ filia nepos.

Uxor. Filiæ.

Anno æræ Chriſtianæ ſecundo Cuculandus 27. annos natus occubuit à filiis Calitini, vel ut tradit Tigernachus, à Lugadio Carbrei Niafear regis Lageniæ nepote obtruncatus. Tigernachi, de eo verba ſubjiciam; *Mors Cuculandi fortiſſimi herois Scotorum* hæc Latinè, dein Hibernicè *per Lugadium filium filii Carbrei Niaſear: Septennium ejus ætas cum militari ordini initiaretur: annorum ſeptemdecim Cualgniæ prædam infectatus eſt; & ſeptem ſupra viginti annorum erat, quo tempore occidit.*

Mors. Anno Chriſti. 2.

CAPUT. XLVIII.

Conquovarus Nessanus, Rex Ultoniæ, & primus Jesu Christi passionis rumor in Hibernia.

3937 CONquovarus Nessanus ex Nessa matre filiâ Anchaii Sulbhuidhe ita cognominatus Fachna Ultoniæ, ac Hiberniæ regis filius; Fergusio Rogio deposito, sexaginta annos Ultoniæ clavo assedit, & Anno Christiano 48, vitam placida morte finivit.

Hunc Fachna rex Cathbadii Druidis patruelis sui ex uxore Nessa genuit, ex qua Conquovarus itidem Cormachum Conlogais filium ebriâ, ut aiunt, procreavit.

Egit qui in ortus semet, & matri impios
Fœtus regessit, quique nec mos est feris,
Fratres sibi ipse genuit. Seneca in Oedipõ vers. 638.

OEdipus rex Thebarum, patre Laio rege ab ipso interempto, è Jocasta matre liberos suscepit Eteoclem, & Polynicem, quorum causâ toti Græciæ funestissimum bellum ad Thebas est gestum: sic Thyestes fratris uxorem stupravit, & per filiam suam Pelopeiam Ægisto Clytemnestræ adultero pater, ac avus extitit.

Quod apud Cathbadium vitricum educatus fuerit, Conquovarus Cathbadii etiam appellatur. Unum supra viginti filios genuit quorum progenies à multis jam Sœculis non constat. Glasnium regem Ultoniæ ex Mumania, Furbadium ex Ethnea Achaii Fedloch regis Hiberniæ filiabus genuit. Phœbe ejus filia mater Fiachi mac Fir-febe filii Conalli Kearnach. Alteram filiam Fedelmiam, à qua Rath-fedelin apud Temoriam de

Conquovarus Nessanus idem, ac Conquovarus Cathbadii. ejus liberi.

Bro-

rogadhniadh in Lagenia vocatur, Conallus Kearnach à Carbreo Niafear rege Lageniæ abstulit matrem Erici filii Carbrei, & Acaill filiæ. Cormacus Conlongais Conquovari filius Achaii Aremh regis Hiberniæ gener Mesibocallam progenuit reginam Hiberniæ & Conarii 1. regis Hiberniæ matrem. Cormaco huic musicus erat Crabtine crutaire, seu Crabtineus cytharœdus.

Passionis Dominicæ auditionem hujus Conquovari Nessani ex Hiberniæ magnatibus primi auribus insonuisse nostrorum scriptorum fert traditio. Narratio autem, ut in talibus obscurioribus, ac procul remotis evenit, variis, ac diversis modis perhibetur: Clariorem vero Druidibus nostris revelationem, quam prophetis Dei factam nequaquam credendum est; aut certiorem ex anomalo Solis excursu à climate procul semotis, quam facti theatro, vicinioribus perceptam Scientiam: è vicinioribus ipsis solus exclamasse dicitur S. Dionysius, tantumque hausisse, aut Deum naturæ pati; aut mundi machinam dissolvendam. Avia illa trichorii à meridie Eclipsis publicis populi Romani tabulis cum Olympiadis 202. Anno quarto adnotata fuit, ut Phlegon Trallianus Adriani Imperatoris libertus, teste Eusebio, patefecit, sed quid portenderet tam insueta naturæ anomalia nemo pro certo assequi poterat. Alii tradunt, Conallum Kearnach, ut liber habet interitus Athletarum, pugilem celebratissimum Jerosolymis inter alios *ex omni natione, quæ sub cælo est* (a) tum forte diversantem rerum gestarum nuncium extitisse. Sed Conallus bello Ultorum adversus Connactos famâ conspicuus septem primis Conquovari annis quinquennio ante caput æræ Christianæ effluxis non videtur, tum sexagenario non minor ad aucupandam fortitudine gloriam varias gentes peragrando satis promptus. Conquovarus etiam

Passionis Dominicæ fama.

(a) Act. 2.

auditor, qui dicitur tanto paſſionis filii Dei ſtupore incitatus, ut lymphatus ſibi vitam impetu finiret in arbores proximæ Sylvæ de Coill-lamrigh in Feraroſſia, quaſi in Judæos lictores ſtricto enſe debacchatus, vitam ad quintum decimum poſt paſſionem annum grandævus protraxit; neceum plus ſacrâ paſſione commotum cenſendum eſt, quam Centurionem *& qui cum eo erant cuſtodientes Jeſum, viſo terræ motu, & his, quæ fiebant timuerunt valde, dicentes verè filius Dei erat iſte.* (*b*) Ipſe ſententiarum iniquiſſimæ cenſor Pilatus intra quadriennium Tiberio Cæſari rei geſtæ relator, & auctor fuit, (*c*) ut Jeſus Chriſtus miraculis clarus in divos referretur. Tiberius detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui: Senatus, quiâ non in ſe probaverat, reſpuit; Cæſar in ſententia manſit comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Sed nec Tiberius, aut quiſquam è ſenatu adeo attonitus, uti Conquovarus traditur fuiſſe. Ex hac igitur traditione hoc tantum certitudinis depromendum eſt, Conquovarum quidem paſſionis Dominicæ tempore vixiſſe, rumoremque ſiquem hauſit, hauſiſſe ex fama diverſantium Jeroſolymis, aut veroſimilius ex Apoſtolorum prædicatione; cum, non refragante Cæſare, *in omnem terram exivit ſonus eorum* (*d*).

b *Matth. cap.* 26.

c *Euſeb. ad ann. ultimum vel penultimum Tiberii.*

Nam ſub Chriſtianæ lucis diluculum, Tiberio, Caligula, & Claudio imperantibus, ad Neronis decimum abſque obſtaculo Evangelicæ tubæ clangor Apoſtolorum prædicationibus omnibus nationibus percrebuit *ab India uſque ad Britanniam* (*e*). Immunes fuiſſe *non inſulas, non continentem, non ſiquam tertiam habitationem hominibus natura conceſſit* teſtatur Greg. Nyſſenus (*f*). *Verbum Dei non inſola continente terra prædicatum eſt, ſed etiam in inſulis, quæ conſtitutæ ſunt in medio mari* (*g*). De S. Paulo Chryſoſtomus (*h*) prædicat, ut *& Romanos, & Perſas,*

d *Pſalm.* 18.

e *Hieronym. Epiſt. 3. ad Heliodorum.*

f *in oratione in SS. Petrum, & Paulum.*

g *Auguſtin. in Pſal.* 96.

h *Homil. 4. de laudib. S. Pauli.*

Persas, & Medos, & Indos, & Scythas, & Ethiopas, & Sauromatas, atque Saracenos, & omne prorsus hominum genus sub jugum miserit veritatis vix triginta annorum spacio. Triginta quinque annis Evangelico pro Christo certamine peracto (i). Quod confirmat B. Pauli discipulus S. Clemens in Epistola ad Corinthios (k). *In Oriente, ac Occidente verbi præco factus illustrem fidei suæ famam sortitus est, in justitia Mundum universum instruens.* Quod & ipse Paulus testatur, *Dominus autem mihi adstitit, & confortavit, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes.*

i *Nicephor. Histor. Eccl. lib. 2. c. 34.*
k *Usser. de Primord. Eccl. Brit. p. 1053.*
l *Ad Timoth. 2*

Britannicas insulas, quæ magnam Britanniam & Hiberniam continent, Apostolicis visitationibus perlustratas disertis verbis tradunt à Simone Zelote Nicephorus (*m*), Dorotheus in Synopsi (*n*); & Græca menologia, (ubi eum martyrio coronatum asserunt 10. Maii, sed in Persida passum ad 28. Octob. alii (*o*) volunt) à Simone Petro Apostolorum principe Eusebius, & Metaphrastus ad 29. Junii; à Doctore gentium Paulo, ut alii scribunt (*p*) de quo ita Venantius Fortunatus lib. 3. de vita Martini,

Britannia & Hibernia visitate.
à Simone Zelote.
m *lib. 1. 2 c. 42.*
n *Tom. 2. Antiq. Lection. Hen. Canisii.*
à S. Petro.
à S. Paulo.
o *Breviar. Roman. Martyrolog. Rom. Bedæ, Usuardi, Adonis Martyrologia ad 28. Octobris.*
p *Sophron. Patriarch. Hierosol. Magdeburg. lib. 2. cap. 2. Cent. 1. Robert Person de 3. Conversionib. Angliæ par. 1. c. 1. sect. 22. Jo. Pitsæus Tom. 1. Relat. Anglic. pag. 11.*

Transiit Oceanum, vel quà facit insula portum;
Quasque Britannus habet terras, quasque ultima Thule.

Britanniæ Episcopum ordinavit (*q*) Zebedæum (de quo ipse ad Rom. 16. 10.) SS. Apostolorum Jacobi, & Joannis patrem, Mariæ Salomes maritum, & è 72. discipulis unum, cujus natalis festum 15. Martii.

S Jacobum Zebedæi in Hispania, & Occidentalibus locis prædicavisse diversi (*r*) asserunt. In Britannia e-

q *Ut habent Græca Menologia, Dorotheus in Synopsi, & Helec. Cæsar-august. Episcopus.*
r *Anast. Patriarch. Antioch. apud Jo. Marianum de adventu S. Jacob. in Hisp. c. 27. Isidor de Patrib. utriusque testam. c. 72. Preculph. Lexov. Chronicorum tom. 2. lib. 2. c. 4. Maximus Cæsar-august. Episcopus in Chronico ad ann. 621.*

um

um prædicaviſſe tradit Flavius Dexter (*s*), in Hibernia Vincentius Bellovacenſis (*t*); è domeſticis etiam Stanihurſtus (*u*), & diu ante eum Godfredus O Cluan (*w*). Addit Julianus Petri Archipræſbyter Toletanus illum epiſtolam canonicam in Hibernia Scripſiſſe. Verum enimvero Epiſtolam canonicam illam à S. Jacobo Alphæi Scriptam ſatis liquet (*a*): Nec deſunt (*b*), qui S. Jacobum Zebedæi Hiſpaniæ, & occiduis partibus deſtinatum ante Apoſtolorum *in diverſa Mundi climata* diſperſionem ab Herode Agrippa occiſum verius volunt juxta Actorum 12. *Occidit Jacobum gladio, & appoſuit, ut apprehenderet & Petrum.* His ſuffragatur Manchenus noſtras Lethenſis, aut quicunque alius poematis (*c*) author, quatenus ait utrumque Jacobum Apoſtolum pedem è patria non extuliſſe.

Utcunque tamen id ſe habet abſque controverſia eſt Evangelium à primo exortu Britannis, & Hibernis annunciatum; & licet ab incolis tepidè ſuſceptum; *apud quoſdam tamen integrè, & alios minus.* De Britannis ſuis teſtatur Gildas Britannicus, qui à ſummo Tiberii tempore, & æræ vulgaris anno 36. quo lumen Evangelii per univerſum terrarum orbem ſpargi cœptum eſt, veritatis ſuæ radios Britanniæ Chriſtum primo indulſiſſe ſignificat ad annum uſque 61. quo Paulinus Suetonius, devicta Boadicia regina, cæſiſque Britannorum 80. millibus, provinciam iterum recuperavit. Quo temporis ſpatio Conquovarus Rex Ultoniæ ab anno duodecimo ante caput æræ vulgaris ad annum ejuſdem 48. poterat aliquam accepiſſe narrationem de iis, *quæ facta ſunt in Jeruſalem his diebus.* * Quibus inter prima Evangelii germina Hibernia protulit S. Manſuetum S. Petri Apoſtoli diſcipulum, qui Leucorum genti in Lotharingiâ (ita poſtea nuncupatâ) fidem prædicavit, Tullenſium in urbe, primus ibidem Epiſcopus.

CAPUT.

s *Flav. Dexter ad annum 41.*
t *In Speculo Hiſtor. lib. 8. c. 7.*
u *In vita S. Patricii.*
w *Apud O Duvegan.*
a *Bellarmin. de Scriptor Eccl. Uſſer de Primord. Eccl. Brit. p. 743.*
b *Turpin de geſtis Caroli Magni Baronius ad ann. 44. §. 1. 14. Uſſer de Primord. pag. 6.*
c Ιοάαl ὁ μο hậggεὁſom *Manchenus ille ſterus. Seculo 7.*

* *Luc. 24.*

S. Manſuetus.

CAPUT. XLIX.

Lugadius Rubricatus Centesimus nonus Rex Hiberniæ. Lugadius Rubricatus Achaii Fedhloch regis nepos Herimone satus post quinquenne interregnum Salutatur Rex Hiberniæ.

TErgemini Finnii Achaii regis filii Venereo œstro aliquando perciti suam uno, eodemque partu germanam Clothram aliam, ut aiunt, se mentitam fœdo concubitu compresserunt. Illa è triplici coitu (alterutro potius) gravida Lugadium regem exacto ponderi debito curriculo in lucem edidit ad singulos tergeminos paternum genus referentem: qui rubris circulis in cute notatus traditur ad cujusque concubitus discretionem, unde Sriabhndearg i. Rubricatus dictus est. Sed hæc procreandi ratio, ut Phisici norunt, naturæ repugnat. Adultus postmodum detestabiliori incestu Crimthannum filium, & successorem è matre genuit; in cujus facinoris memoriam hoc ex Hibernico distichon; *Ann. Christi 65.*

Crimthanno frater, genitorque Lugadius; eidem
Clothra Salax, avia incesta, parensque fuit.

Lugadio regi uxores erant Crifanga è Boreali Britannia, & Dervorgalla è Loplandia, seu Dania, ut nunc loquimur, principum filiæ. Illum vero materni concubitus pœnitentem; juxta illud Senecæ;

Sed matrem amavi; proh loqui Hymenæum pudet.

atque adeo vitæ pertæsum ultro in gladium incubuisse qui

qui scripserant, non advertêre filium eo procreatum incestu non posthumum, sed qui intra vertentem annum à morte patris paternam hæreditatem armis vendicavit, super fuisse: ut taceam Clothram Achaii Fedhloch regis filiam fœcunditatis annos longè supergressam diu ante Lugadii non tantum finem, sed regni etiam initium.

Verior sane, ac communior Sententia est ob immaturam reginæ suæ Dervorgallæ mortem animi dolore confectum elanguisse (*f*). Nec meo judicio audiendi sunt, qui literis mandarunt tergeminos Finnios bellum adversus Achaium patrem molitos sorori stuprum intulisse, ex quo esset genitus Lugadius, & mox in Druimcriaidh prælio confossos interiisse; cujus eventi prætextu Achaius Rex liberis orbatus *Fedhloch* i. Gemebundus diceretur, quod à jugibus suspiriis inde dum vixerit, non temperasset. Nam ex irrefragabili regum Ultoniæ temporum fide ab Achaii excessu ad Lugadii initium anni intersunt octoginta; quot vitæ annos ad minus oportuit Lugadium regnum ineuntem habere, si, avo vivente, gigneretur; nec adeo grandævum decuit conjugis desiderio potius, quam extremo senio immarcescere, quippe nonagenarium circiter decedentem. Diu ante hoc ævum humanæ vitæ stadium expertus est regius Psaltes, cum cecinisset; *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni. Si autem in Potentatibus octoginta anni & amplius eorum labor & dolor*, Psalm. 89.

(*f*) *G. Cormac in poemat. RR. H. Codex Lecan fol. 194. b. Tigernachus, & Dungall annal.*

Cum igitur extra naturæ ordinem fuerit diversos coitus simul posse ad unius prolis generationem adæquatè concurrere, octogenarium ex efficta matre semen suscitare, & senio delumbem amore deperire, aut filium ejus posthumum infra bimatum belligerare; pro certo statuendum est Lugadium non avo superstite, sed diu pòst genitum; nec rubricatis circulis ob plures patres signatum: Crimthannum etiam filium non infantem, sed

ſed ætate maturum patre orbatum; denique patrem non decrepitum, ſed ætate vegetâ amiſſæ conjugis luctu contabuiſſe. Proinde fabulæ ſpeciem præ ſe ferre videtur Lugadium Achaii regis filio, & filiâ, Crimthannum Lugadio, ac matre creatum: ſecundum quod neceſſe eſt Clothram cum fratribus poſtremo circiter Achaii patris anno fuiſſe genitam; plus, minuſve tricenariam ex uno è fratribus; quinquagenariâ minorem è filio generaſſe; ut Lugadius nonaginta circiter annorum ſpacio, quod inter Achaii avi, & ipſius mortem interceſſit, ſexagenario minor decedens quadragenario minorem filium ſuperſtitem relinqueret.

Lugadio rege, Neachus, & Rivius lacus erumpentes; hic Bannam, ille Sinannum fluvios ſua acceſſione auxerunt. De campis, quos occuparunt, ſic Hibernicè legitur; Tomaiom lioṁṫne tam liaṫṁne: agus loca Rib for maġh nabṫeṁ.

In Rivio lacu eſt Clothranna Inſula à Clothra Lugadii matre appellata. Neachi lacus Metamorphoſis, qua aquifolii lignum in ferrum, & cotem convertitur, inter tredecim Hiberniæ mirabilia refertur, quæ infra ſubjiciam ex Hibernico.

CAPUT. L.

Mirabilia Hiberniæ.

SEquentia tredecim Hiberniæ mirabilia alia vera, alia falſa, alia falſis permixta, poſteriorum ſaltem temporum experientiâ comprobantur; ſed quia ab antiquis tradita circumferuntur, ea heic totidem tetraſtichis libuit inſerere.

1.

Temoriæ nani tumulum lapis obtegit, in quo
Vir, puer, aut infans tres, & non amplius, æquat.
Quiſque pedes longo: numerum diſcrimine nullo
Multiplicat, minuitve pedum proportio diſpar.

2.

Terra ferax Sylvis tumulos Amlunnia jactat,
Quos ſimul ac quiſquam numerat, felicior olli
Deſinit inde Status: Sed protinus omnia lævo
Omine lapſa ruent ſuſcepta negotia retro.

3.

Eſt lacus Ultoniæ, Neachum quem nomine dicunt:
Cujus ſi quivis aquilentam affigat ad imum;
In tres ſeptenis ſpecies diſtinguitur annis:
Pars ſundo ferrum, cos fluctibus, arbor aprico.

4.

Monte ſitus Gamo fons eſt Sligoenſibus agris;
Qui licet Oceani non ſit conterminus oræ,
Quoque repletur aquis modo dulcibus, & modo ſalſis,
Sole bis; alternis ſemper variabilis undis.

5.

Mons eſt Lageniæ piſcoſi in margine Liffei,
Fons ubi naturæ permanat munere præſtans:
In quem de nuceo projectus ſtipite ramus
Fraxineam aſſumens formam ſit fraxinus undis.

6.

Inſulâ Iniskeâ, Scriptis ut fama priorum
Credula commendat, regio quâ prominet Irras
Oceani in fluctus, grus eſt ab origine rerum
Unica Syderibus minimè conſumptâ coævis.

7.

Cernere Iniſgloriâ eſt pelago, quod proſpicit Irras
Inſulâ avos, atavoſque ſolo poſt fata Sepultos

Effigies

Effigies servare suas, vegetisque vigere
Unguibus, atque comis. Hominum caro nulla putrescit.

8.

Littore Eothulio Sligoensibus insuper agris
In mediâ refugo vix eminet æquore arenâ
Congeries lapidum; tamen accedentibus undis
Vertice nuda sali restuos supereminet æstus.

9.

Distrittu Mayo foris, atque Tirauliæ in oris
Loch-cauis ad ripam spacio remeabilis æquo
Exundante lacu, vel subsidente Scaturit
Proximus; accessu fugiens, redienſque recessu.

10.

Momoniæ stagnum Lochlenius undique Zonis
Quattuor ambitur: prior est ex ære; secunda
Plumbea; de rigido conflatur tertia ferro:
Quarto renidenti pallescit linea stanno.

11.

Visibilis nulli ramis vetus arbor opacis
Palma datur; si palma dari dicatur, imago
Cujus aquis Magii cataractam propter amœnam
Cernitur, ast alibi nullum (mirabile) corpus.

12.

Galvensis regione lacus Loch-rechius urbis
Multicolor variat diversos sæpe colores:
Qui modo cæruleus, modo luteus, inde rubescit;
Induit & virides aliquando Smaragdinus undas.

13.

Effectum ostendit, sed causas Asdia nullas:
Res signata latet, dum signum fumat in auras
Argumentum ignis; quem nullo fomite nutrit
Asdia, fumosos semper mentita vapores.

Nennius Sæculi noni author Britannus ſub titulo de Mirabilibus Hiberniæ ita de primo habet, *Eſt aliud miraculum in regione, quæ vocatur Cereticum; eſt ibi Mons qui cognominatur crucmaur, & eſt Sepulchrum in cacumine illius, & omnis homo quicunque venerit ad Sepulchrum, & extenderit ſe juxta illud, quamvis brevis fuerit homo & parvus; ſimiliter longitudo Sepulchri juxta ſtaturam hominis invenitur: & ſi fuerit longus, & procerus, etiamſi fuerit in longitudine quatuor cubitorum; juxta ſtaturam uniuſcujuſque hominis ſic tumulus invenitur.* Hoc ut ait D. Waræus, (e) in quibuſdam exemplaribus rectius ponitur inter Mirabilia Britanniæ, in qua certe eſt Cereticum, ſive Ceretica, quæ nunc nobis Cardigan-ſhire appellatur

e *Antiquit. Hiberniæ c. 14. pag. 72.*

De decimo Mirabili, & tertio ſic ibidem Nennius: *Eſt ibi Stagnum quod vocatur Loch-lein (f), quatuor circulis ambitur; primo circulo gronnâ (g) ſtanni ambitur; Secundo circulo, gronnâ plumbi ambitur; tertio circulo, gronnâ ferro ambitur, & quarto circulo gronnâ æris ambitur. Et in eo ſtagno margaritæ multæ reperiuntur, quas ponunt reges in auribus ſuis. Eſt aliud Stagnum, quod facit ligna dureſcere in lapides. Homines autem ſtudunt ligna, & poſtquam formaverunt, projiciunt in ſtagnum; & manent in eo uſque ad caput anni, & in capite anni lapis invenitur, & vocatur Stagnum Loch-echac (h).* Hic eſt lacus Neachus, de quo capite præcedenti, Echac enim ſeu Eacha eſt viri proprium (quod Achaium Latinè verto, alii Eochodium) à cujus obliquo [Neacha] lacus Neachus deflectitur; qui quidem aquifolii ligna in cotes pro certo convertit: an vero anni, aut Septennii ſpacio? An etiam partim in ferrum, ut ſuperius traditur? Mihi utrumque incompertum.

f *Lacus Léin in Kiterigia.*

g *Gronna eſt locus paluſtris, & aquis obductus habet pro vena, vel ſodina capitur.*

h *Loch-neach in Ultonia.*

CAPUT

CAPUT. LI.

Conquovarus Abratrous, Centeſimus decimus R. H.

CONquovarus Arbatrous Roſſi Rufi regis Lageniæ ex Finnio filio nepos è Lageniæ Herimoniis Lugadio Rubricato mœrore abſumpto ſuccedit Rex Hiberniæ. *Anno Chriſti. 73.*

Cucorbus ſæculo abhinc proximo Chriſtiano rex Lageniæ. Conquovari regis è Mogcorbo filio nepos, quatuor filios progenuit Niacorbum ſtirpem regum Lageniæ, Cormacum Luſcum, ex quo Dal cormaic, Meſſincorbum, & Carbreum Cluthicar. Meſſincorbo Dal-meſſincorbiorum ſatori filius erat Achaius Lamhdhearg, cujus nepos Garchuo Hy-garchon in Lagenia regionis, & familiæ pater Meſſincorbiâ è domo fuere inter alios hi quatuor Sancti Epiſcopi Conlæthus de Kildariâ, Nathias de Cuil-fothribh in Dalaradia, Ethchænius de Cluanfoda, & Daganus Epiſcopus. Carbreo Cluthicar dominium obtigit in Momonia, ubi ex ejus ſemine familia O Duyr ſupereſt. *Rex Lageniæ. Dal cormaic. Dalmeſſincorbii. Hy-garchon. O Duyr.*

Cucorbus, Momoniis Lageniam ad Maiſtean uſque ſubigentibus, Lugadium Laighis in auxilium accivit. Is erat Conalli Kearnach ex Lagiſio Lann-mor * filio nepos, & Fiachi ab Anno Domini 100. ad ann. 120. regis Ultoniæ patruelis; qui eliminatis Momoniis, Lagiſiam ſeptemplicem in Lageniâ ſibi, & poſteris erexit. Lexia, Leſia, & Liſia ſecundum vocis ſonum à modernis appellatur hæc regio in Reginali comitatu ſita cujus priſcus dominus O Morra à primo conditore genus ducens, terris regio fiſco ex aſſe adjudicatis, inde ejectus eſt, Anno D. circiter 1555. Phillippo, ** alius Lagiſius Keannmar. Lagiſia. O Morra.*

po, & Maria Angliæ regibus: poſtea ab O Morris regio bis recuperata eſt; & Elizabethæ reginæ diplomate Calvacho O Morra permiſſa, donec tandem eam cum aliis terris commutare coactus eſt.

Sed collatis temporibus, hallucinari deſinant, qui Achaium Fothartorum patrem ab Arturo Unico (*i*) in Lageniam pulſum Lugadio Laighis contemporaneum; Maudam Arturi Unici uxorem, eandem ac Cucorbi illius; Arturi avum Fedlimium Cucorbi interfectorem; & Meſſincorbi, ac Carbrei filiorum Cucorbi matrem Ethneam filiam Æneæ Muſc è filiis Carbrei Muſc filii Conarii 2. regis Hiberniæ (*k*) dicendo nugantur.

(*i*) *Rege Hiberniæ ab Anno D.* 220.

(*k*) *ab Anno* 212.

CAPUT. LII.

Crimthannus Nianair, centeſimus undecimus Rex Hiberniæ.

Anno Chriſti. 74. CRimthannus Nianair Lugadii Rubricati regis filius ex Herimonis femine Conquovari regis nece, Rex Hiberniæ.

Naria filia Loichi filii Dareleti de Pictis Aquilonaris Britanniæ Crimthanni regina, à qua Nia-nair cognominatum cenſeo.

An. Chriſti. 77. Anno Crimthanni regis tertio Julius Agricola, qua patet Britannia viginti duo tantum millia paſſuum anguſtiſſima inter duos maris ſinus Glotam, & Bodotriam, ut loquitur Tacitus ejuſdem Agricolæ gener, imperii terminum *præſidiis firmavit, ſummotis velut in aliam inſulam hoſtibus.* Duo illi ſinus fuere fretum Edenburgicum ab Oriente, & fretum Dunbritannicum ab Occidente, quæ in utrumque latus inſulæ irrumpen-

rumpentia Caledoniam, quæ hodiernæ Scotiæ pars maxima eſt, in quam velut in aliam inſulam hoſtes ab Agricola ſummoti, ab Auſtrali Britannia Romanorum tum provincia ſecernebant. Hiberni, & Picti erant tum Britonum hoſtes; quorum incurſiones (ut Gildas, & V. Beda conteſtantur) Scotorum ſc. ex Hibernia à Circio, & Pictorum è Caledonia ab Aquilone Britones identidem per multa annorum ſpacia innumerabili miſeria ad Saxonum appulſum afflixerunt. Quamobrem non abs re erit res Britannicas his temporibus ab Hibernicis non penitus alienas heic leviter perſtringere.

Anno igitur abhinc quarto Julius Agricola inſulam eſſe Britanniam circumnavigando primus detexit, ac ſimul incognitas ad id tempus Orcadas domuit. *Chriſti.* 81.

Anno proximo Agricola diſcedens Romanam in Britannia provinciam ſucceſſori ſuo quietam, tutamque tradidit; ſed non diu pòſt Arviragus è Britonum gente Domitiani Imp. ignaviâ neglectam ad Caledoniam uſque recuperavit, Britannorum rex ſalutatus. De quo Juvenalis (*e*) Domitianum alloquens. *Chriſti.* 82. *Satyr.* 4.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Arviragus. ——————

Crimthannus, poſtquam ſedecim annos regnaſſet, equo dejectus mortem caſu oppetiit apud Duncrimthan regiam ſuam juxta Binnedair recens ab expeditione celebri tranſmarina reverſus multis pretioſis ſpoliis onuſtus: inter quæ recenſentur carpentum ex auro cælatum; alveus luſorius trecentas gemmas pellucidas complexus; ſingulare ſtragulum colorum, & figurarum multitudine variegatum; læna trilix auro intexta, qualem memorat Virgilius, *Anno Chriſti.* 90. Carpath. Pricciolli. Centaci Iean.

Tyri-

——Tyrioque ardebat murice læna
Demiſſa ex humeris.

Cloıdeam catbuadac. Sciat. Sleag. Tabull. Da Chom. Gladius præliaris multis ſerpentum formis è puro obryzo conflatis inculptus, ſcutum argenteis bullis nitentibus ornatum, lancea immedicabile vulnus ſemper infligens; funda adeo ad collimandum certa, ut nunquam à ſcopo aberret; duo canes venatici catenâ copulati, quæ ex nitido argento confecta trecentas vaccas (*n*) valebat, hæc præter alia non vulgaria cimelia.

n Ceud cumal.

CAPUT. LIII.

Arma veterum jaculatoria.

MAchinam bellicam, ex qua lapides eminus in hoſtes Conjiciebantur Hibernicè Cnaŋ tabɲl. Fundam ſuperius interpretatus ſum, quod nullam aliam ejaculandi tela machinam veteres noverint præter manum, & fundam: jacula è manu ſuerunt rudia, aut ferrata: rudia, ut ſudes aduſta, & faces urentes: ferrata, ut haſta, lancea, verutum, Geſum, tragula & ſecuris. Haſta dicitur tam de grandi illa, qua cominus utuntur, quam de leviore, quam eminus jaculantur, uti & ſecuris miſſilis fuit, & ad pugnandum cominus.

Manus.

Haſta.

Funda.

Funda Latinis dicta, quod ex ea fundantur tela, quorum duo genera fundis emiſſa; lapides quippe, & glandes plumbeæ. Fundæ materies prima ſpartum junci acuti ſpecies, cujus copia in Hiſpania, atque eo nomine

mine linum, & cannabin etiam comprehendimus; altera pili, vel setæ; tertia nervi. Forma, funiculus in medio latior ovali forma, & paulatim in strictius abiens. Inventionem Plinius Phœnicibus tribuit, Strabo Ætolis, communis opinio Balearibus in mari Hispanico.

Stuppea torquentur Balearis verbera fundæ. *Virgil. 1. Georg.*
Non secus exarsit, quam cum Balearica plumbum Funda jacit. *Ovid. Metamorph. 2.*
Roboraque, & gravidas fundæ Balearis habenas. *Statius. lib. 10.*
Et Libys, & tortâ Balearis sævus habenâ. *Silvis lib. 5.*
Et flexæ Balearicus author habenæ. *Stat. lib. 4. Achil.*
Cautius Hispanæ certamina dicere fundæ. *Mantuanus.*

Puer Balearis, ut author est Florus, cibum à matre non capit, nisi quid, ipsa monstrante, percusserit è funda; Hæc, quam rotobant ter circum caput, ut vires darent, variis gentibus erat in usu, quia prompta, iteratu facilis, tum etiam, quia longè, & fortiter feriret. Nam sæpe adversum bellatores cassidibus cataphractis, loricisque munitos territes lapides de funda destinati sagitis omnibus sunt graviores.

Præter communem fundam fuerunt distinctæ quædam species; ut Achaica, Cestrosphendonis, & Fustibulus. De Achaica sic Livius: *Itaque longius, certiusque, & validiori ictu, quam Balearis funditor, eo telo sunt usi: & est non simplicis habenæ, ut Balearica, & aliarum gentium funda; sed triplex scutale crebris suturis duratum, ne flexa habenâ volutetur glans, sed librata cum sederit, velut nervo missa excutiatur.* Hoc loco *Scutale* dicitur quia pars ea fundæ, cui lapis imponitur, quasi scuti formam refert.

Cestrosphendonis sic describitur apud Suidam.: *Novum*

vum hoc inventum bello Persico. Ipsum spiculum bipalme fuit, tubulum habens æqualem mucroni. Huic hastile ligneum insertum erat, longitudine spithamæ mensuram æquans, crassitie digiti. In hujus medium tres pinnulæ è ligno infigebantur, plane breves. Hoc in funda, quæ duo funalia imparia habebat, in medio utrorumque amento leviter, & ut solvi posset, ligatum, imponebatur. Tum igitur in circumactione fundæ, intentis funalibus manebat; cum vero alterum solveretur in emissione, excidens amento suo, velut glans è funda ferebatur, & cum impetu incidens, quidquid incurrisset, validè lædebat.

Tertium fundæ genus, *Fustibulus*; appellatur ita funda fusti alligata, quo incusso, lapis scitè, & robustè emittitur Qui eo utuntur, Fustibulatores dicuntur, non Fundibulatores: nam Fundibulus, & Fundibulator, idem ac Funditor. Antiqui has vocabant Librilia, & Fundas libriles; quas quæ lapides libræ pondo emittant: Libratores, qui iis utuntur. Ita describit Vegetius: Fustibulus *fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & utraque manu impulsus, prope ad instar Onagri dirigit saxa.* Hoc postremum genus videtur fuisse Hibernica funda, quæ ligno alligabatur, ut ex nomine Crann tabuill conjicitur.

Tormenta autem majora, & machinæ ad diruendos muros, & opprimendam multitudinem Romanis erant *Aries* prominulo ferro muros quatiens; *catapultæ* majores, quæ telum ferè trium cubitorum; minores, quæ telum trium Spithamarum jaciebant. Interdum tamen tela grandiora, imo non tela, sed tigna, & asseres duodecim cubitorum, & ad stadii spacium jaciebant: *balistæ* minores centenariæ ad centum ferè pondo; majores ad tria talenta, seu trecenta pondo jaciebant. & non solum rotundi lapides istis

Aries.

Catapulta.

Balista.

jaciebantur

jaciebantur, ſed enormes etiam, & ſepulchrales, imo & molares: quibus domos, & ædificia confringerent, & quidquid occurriſſet; etiam equorum hominumque cadavera jaciebant: in pugna etiam interdum iis uſus erat. Catapultis itaque olim tela, & grandiores ſagittæ, baliſtis lapides, & ſaxa jaciebantur; ſed à poſteris pro invicem ſumuntur. *Scorpiones* quæ & manu, baliſtæ dictæ, vir unus dirigebat a baliſtis, & Catapultis diverſos. Baliſtæ tamen modò Scorpionis, modò Onagri nomen inditum. *Scorpio* appellatur, ut ait Annianus, *quoniam aculeum deſuper habet erectus. Cui etiam Onagri vocabulum indidit ætas novella, ea re, quod aſini fori, cum venatibus agitantur, ita eminus lapides calcitrando poſt terga emittunt, ut perforent pectora ſequentium, aut diffractis oſſibus capita ipſa diſplodant.* *Scorpio* propriè dictus, ut definit Tertullianus, *Spiculam, & fiſtula eſt patula tenuitate in vulnus, & virus, qua figit, effundit.* Ad omnia hæc tormenta Funda ſtuppea, aut ferrea, receptaculum lapidis, & Nervi requirebantur. Nam tormenta nihil proſunt, niſi funibus nervinis intenta. Equorum tamen ſetæ de caudis, & jubis utiles, indubitanter vero crines fœminarum: illi enim cum tenues ſint, longi, multo oleo perfuſi, cum plectuntur, vires, & intentionem validam accipiunt, ut nec diſſonent multum à robore nervorum. Carthaginenſes obſeſſi ad catapultarum intentiones raſerunt fœminas; idem fecerunt Romani in capitolii obſidione, Unde Veneri Calvæ templum nuncupatum. Atque hæc de oppugnantibus, & repugnantibus veterum jaculis ſufficiant.

Scorpiones.

Onagri.

Nervi.

Setæ.

Capilli.

CAPUT. LIV.

Carbreus Feliceps centesimus duodecimus R. H. Feradachus Justus centesimus tertius decimus R. H.

Anno Christi 90.

CArbreus Feliceps Cathragiorum Connactiæ secessione, & plebeiorum insolentia ad Supremum regni fastigium evectus Sceptrum integris membris ad mortem detinuit, Rex Hiberniæ.

q Αἰβὶν γὶν ἐρὲ ἀρὸ *Sed hi illius tempore posteriores erant.*

Dubthaco patri nomen erat; qui è Belgis, Damnonis, Danannis, vel Luagniis Temoriæ, aut ex alienigenis cum Lauradio Navali rege appulsus secundum varias authorum Sententias originem traxit.

Anno Christi 95.

Feradachus Justus Crimthanni regis è Naria Regina filius Carbrei regis ab obitu inauguratur R. H. Quæ furit ejus uxor inter Antiquarios non constat.

Morrannus Mainius ex Maina regina regis Ultoniæ filia Carbrei Felicipitis filius non minus æqui observantiâ, quam literis ac legum peritiâ celebris prædicatur, qui à patris morte regni fasces sibi delatos Feradacho tanquam legitimo hæredi ultro cessit. Supremus in judiciis ferendis Judex adhibitus Feradacho regi Justi nomen, sibique in patria Judicis, non Rhadamantho, aut Æaco in Græcia inferioris, laudem promeruit. Ad veritatem indagandam, atque ut delegati sui, quod æquum erat, decernerent, adeo accuratus dicitur, ut annulum ei fuisse antiquitas fingeret, qui cujuspiam collo circumdatus non nisi verum, æquumve è gutture aliàs arctè oppilando prodire sineret, Unde etiamnum in ambiguis per adagium *ad Moranni annulum* sæpe voto fit appellatio.

CAPUT.

CAPUT. LV.

Fiatachus Finn centeſimus quartus decimus R. H. Fiachus Finnoladh centeſimus quintus decimus Rex Hiberniæ. Elimius Conrius centeſimus decimus ſextus Rex Hiberniæ.

FIatachus Finn, ex Ultoniæ Ernais Herimone ſatus, Feradacho regi apud Liatruim (Temoriæ id nomen) in pace morienti ſufficitur, Rex Hiberniæ. *Anno* 116.

Dal-fiatachii regia olim in Hibernia familia ab eo deſcenderunt.

Fiatachi regis initio Adrianus Imp. Britanniam petens murum primus duxit, ut imperii fines à barbarorum incurſibus tutaret, magnis in modum muralis ſepis funditus jactis ſtipitibus per octoginta duo paſſuum millia inter Tinam fluvium ab Oriente juxta Novum-caſtrum in altera Tinæ ripa, & Eſcam fluvium ad Carleolum in occidente porrectum. Qui octoginta paſſuum millia Auſtrum verſus diſtabat ab imperii termino ab Agricola poſito. *Anno* 117. *Adriani murus in Britannia.*

Fiachus Finnoladh Feradachi regis filius paternam dignitatem deceſſoris cæde acquiſivit, Rex Hiberniæ. *Anno* 119.

Elimius Conrius Rex Ultoniæ è Rudriciorum gente Hiriades Fiachum monarcham à provinciarum regibus Temoriæ vita exutum excipit, Rex Hiberniæ. 126.

Provinciarum tum reges. Elimius Ultoniæ, Sanbus Connactiæ, Lugadius Allathaim Conarii 1. R. H. abnepos Connarii 2. R. H. avus Momoniæ, Achaius Ancheann filius, Brandubii Brec Lageniæ, Forbrius filius Finei ex Ithi ſemine alterius Momoniæ, qui conjurationis, qua Feliceps Feradacho Fiachi regis patri prælatus *Reges Provinciarum.*

ad

ad regnum evectus erat, memores similem moliti Fiachum è medio sustulerunt Temoriæ (*r*): non vero apud Moybolg, ut iis placet, qui fabulam de Tuathalio filio in utero matris servato cuderunt.

r *Tigernachus.*

Tuathalius igitur regius hæres in Borealem Britanniam ab his calamitatum procellis aliquamdiu secedere coactus socios tum foris tum domi sibi adscivit. Apud Irrasdamnoniam in Hiberniam appulsus, copias quam potuit maximas conflavit, patris necem, ac regnum asseruit, Belgarum posteros Damnonios, Galenios, omnesque alios pristinæ in domum suam conjurationis participes fudit, contudit, delevit; octoginta, & quinque prœlia de imperio conseruit. In prœlio ad Acaill Elimium; altero apud Ocha in Lagenia Achaium Ancheann, Forbrium in prœlio ad Femin in Momonia, & Sanbum summa affectum senectute in Dumha-sealga prœlio in campo Ai in Connactia morte mulctavit. In his insuper prœliis in Lagenia signis ab eo collatis occubuerunt Ecradius Damnonius in prœlio Edair, Finnchadus è Galeniis ad Belach-oirbthe, Fithirus Dodii filius è Magach semine in Resad prœlio, Lauradius Longimanus Carbrei Niafear [73] abnepos ad Liffeum, Manius & Olillus Sednæi Sithbac [72] adnepotes. In Momonia concidit Feminus in Raigneo prœlio (*r*), Conallus in Clario prœlio, uterque è Deagadis Momoniæ, Lugadius filius Rossii è Mumnei regis Hiberniæ Herimonis filii domo ad Allam, & in Fernensi prœlio Nuadus de eadem domo. In Connactia ceciderunt Amerginus è Belgis ad Orbsen prœlio; quatuor filii Trithemii è Damnoniis ad Moyfleucht in Brefinia præter plures alios in prœliis in Umallia, Brefinia, Keara, & ad Cruachan-aigle (*s*), aliisque per Hiberniam commissis.

1 Mag Raigne.
73. *Carbreus Niafear, rex Lageniæ. Ann. M.* 3949.
74. *Achaius Imbhoda.*
75. *Aibhmanius.*
76. *Orbsenius.*
77. *Laurad Longimanus.*
72. *Sednæus Sithbac ad ann. M.* 3949.
73. *Eugenius Earg.*
74. *Ugius.*
75. *Ogamanius.*
76. *Indadius.*
77. *Manius, & Olillus.*

His malorum incendiis, cladibus, ac ruinis adscribi debet, si Elimii regnum, ut perhibent, fructuum, frugumque

s *Hodie S. Patricii mons in Umallia.*

gumque penuria, omni infortunio, inopia, ac miseria laborabat.

CAPUT. LVI.

Tuathalius Bonaventura, centesimus septimus decimus R. H.

TUathalius Bonaventura Fiachi regis ex Ethnea Imgheal Pictorum regis filia natus paternæ necis vindex, Elimio rege apud Acaill prope Temoriam acie prostrato, ad Solium pervenit, Rex Hiberniæ. *Anno Christi* 130.

Bania filia Scalii Balbi Finlandiæ regis, Tuathalii regina, quæ Rathmor, seu Regiam Magnam apud Moyleamhna campum in Ultonia extruxit, in Knockbaniæ colle ab ea appellationem sortito sepulta. Fedlimium regem Hiberniæ, Fedelmiam Rubram trium filiorum Fiachrii genitricem, Fideram, & Darshineam liberos protulit. *Finlandia.*

Scalium illum Tuathalii socerum *regem Fomoire i. Finnlaind* dictum reperio (*t*) ex quo Finlandiæ eum fuisse regem intelligo, & illos terrarum Septentrionalium incolas (nunc Danos, Suecos, Jothos, Finnos) à nostris antiquitus communi vocabulo *Fomora* i. Fomorios nuncupatos, quos à Sæculo octavo Christiano piraticis, & incursionibus famosos, nos Lochlunios à re piratica diximus, alii à situ Normannos. Finlandiæ enim hodie Sueciæ regni appendix ab ortu, meridie, & occasu mari abluitur cujus incolas à nostris Finnlochlunios piratas pictos non ambigo, quorum respectu cæteri Dubhlochlunii i. nigri piratæ dicebantur, quia Finn apud nos candidum denotat. Finlandia etiam apud ipsos *Fineland* quasi

(*t*) *Cod. Lecan. fol.* 194. *b.*

quaſi bella terra dicitur, quia amænior, & feracior eſt, quam Suecia.

Tuathalius regni diademate potitus Comitia Temoriæ indixit, ad quæ Hiberniæ proceres magno numero confluxerunt. Ubi omnes per ſua gentilitia Sacramenta Solem, Lunam, ac cætera numina terreſtria, & cœleſtia, quemadmodum ſui majores ipſius majoribus pridem Herimoni, & Hugonio voverunt ſe cum poſteris ſuis ipſi, ac nepotibus Hiberniæ regibus, quamdiu ſolum Hibernicum ſalo ambitum, inviolatam fidem, & obſequium præſtituros.

Midia. Midiæ regionis in Inſulæ meditullio fines, ademptâ è ſingulis provinciis portione, dilatavit; idque Supremi regis peculiare patrimonium inſtituit. Ubi tres ſolennes panegyres quotannis tenebantur: una apud Tlactga in Momoniæ portione pridie Kalendas Novebris noctu ad Deos topicos Druidum miniſterio victmis, & ſtructis ignibus placandos: altera ad Kalendas Majas apud Uſneach in Connactiæ portione pro mercium diſtrahendarum emporio; & tertia apud Talten ſub Kalendas Auguſti ad connubia parentum, & amicorum ſuffragiis contrahenda in Ultoniæ portione. In Lageniæ præterea parte ſingulis triennis circa Novembris Kalendas Temoriæ comitia reip. conſulentia habebantur. Quæque ex his loca provinciarum regibus à quibus ſeparata erant, certum panegyrium ſuarum debebant vectigal.

Reges Ultoniæ. Momoniæ Connactiæ Lageniæ. Reges à Tuathalio tum provinciis conſtituti dicuntur Fergusius Febhal, & Achaius Conrius in Ultonia, Eugenius filius Olilli, & Achaius filius Darii in utraque Momonia, Conrius filius Derg in Connactia, & Achaius filius Achaii Domlenii de Damnoniis in Lagenia. Horumverò neminem præter Achaium Lageniæ inter provinciarum reges alibi uſquam recenſitos lego. In Ultonia

nia post Conquovari Anno Christi 48. excessum quinde-
reges enumerat Achaius O Floinn (*a*) ad Emaniæ exci-
dium, quod accidit Anno 332. Horum nomina, ac
tempora carmine (*b*) complexus est Colmanus O Sesnan;
inter quos supradicti reges locum non habent. In Con-
nactia post Sanbum Æneas Fionn filius Donaldi è se-
mine Fidachi in fine Tuathalii præfuit è Damnoniorum
gente: Carbreus filius Manii regis Connactiæ in Sanbi
tempus incidit; sed Achaius Carbrei filius ultimus è
Sanguine Olilli, & Maudæ rex Connactiæ Tuathalii
initio inter Sanbum, & Æneam fuisse videtur. Æneam
secutus est filius Æneas Fert, Rex Connactiæ.

a Eamhain
Iodnacaibh
dibh.
b Eámham
alain anuf
ulaidh.

Connactiæ reges.

Anno regni quarto Tuathalius rex Achaio regi La- *Anno* 134.
geniæ bis genero bellum intulit ob filiarum Darthineæ,
& Fideræ casum infensus. Moyluagat tum regis Lage-
niæ, vel Rath imil, alio nomine Garbhthanach regia
sedes extitit. In hoc bello Ultonii Fergusium Febhail
desiderarunt, & Nasiam, Allen, Maisten, ac Rairen-
dam in flammas dederunt. Achaius capite plexus est, *Rex Lageniæ.*
ejusque frater Ericus filius Achaii Domlenii suffectus à
Tuathalio, qui tum gravissimam mulctam Lageniis ir-
rogavit, Boariam appellatam alternis annis sibi, & ex se-
mine suo Hiberniæ regibus in perpetuum solvendam; *Boaria.*
cujus unus triens regibus Ultoniæ, donec post Emaniæ
excidium Muredachi regis Hiberniæ consulto Orgiellis
cessit, alter triens regibus Connactiæ debebatur; tertium
inter Temoriæ reginam, & regem Momoniæ distribuit
ipse Rex Tuathalius. Hæc ultrò sæpius etiam invitè
soluta ad novissima Finnactæ Epularis regis Hiberniæ tem-
pora duravit, & plurimo sanguine, his poscentibus, illis
refragantibus, identidem utrimque stetit. Quamo-
brem S. Molingus à Finnacta rege remissionem Anno
Christiano 693. impetravit. Utrumque impositionis,
& remissionis annum Codex Cluanensis designavit.

Anno Chriſti 144. Anno quarto decimo Tuathalii Antonimus Imp. Britannos per Lolliun Urbicum legatum ad pluſquam dimidiam Britanniæ partem devicit; alio muro ceſpititio, ſubmotis barbaris, ducto in eodem anguſto terrarum ſpatio, quod Julius Agricola præſidiis prius firmaverat.

CAPUT. LVII.

Malius centeſimus decimus Octavus Rex Hiberniæ. Fedlimius Legiſer centeſimus decimus nonus Rex Hiberniæ.

Anno 160. MAlius ex Rudricia Hiri domo rex Ultoniæ, Tuathalii regis cæde ſummum gubernaculum auſpicatur, Rex Hiberniæ.

Tuathalius rex occubuit in prœlio Moyline apud Moin-an-chatha, unde Ollar, & Ollarba fluvii emanant, juxta Linn-ann-ghobhann ad Kenngubam collem in Dalaradia Ultoniæ regione.

Anno 161. Anno proximo Calphurnius Agricola pro Romanis in Britannia bellum gerit.

Anno 164. Fedlimius Legiſer Tuathalii regis ex Bania regina filius Malii regis nece avitum jus repetiit, Rex Hiberniæ.

Ultoniæ rex. Malio ſucceſſit in Ultonia Breſſalius Briuni fratris ſui filius; cujus conjux Mora, à qua Rath moire regia apud Moyline in Dalaradia appellatur, à Breſſalii mariti obitu, mœrore contabuit.

Fedlimio regi filii extiterant Fiachus Sugdius ante patrem mortuus Deſiorum pater, Quintus Centimachus Rex Hiberniæ. Achaius Fionn Fothartorum Sa-

tor,

tor, tres Conalli, & Luagneus à quo Luagnii Temoriæ. *Luagnii.*

Legiferi cognomen tum à ferendis, tum exactè obſervandis legibus adeptus eſt; de quo ita Latinè author vetuſtus (a) *Dicebatur Fedlimidh Reachtmar, eo quod magnas in ſuo regno in Hibernia leges fecit, Reacht enim Scoticè, Latinè ſonat legem.* Legem talionis juxta illud Regum 3. cap. 20. *Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exige*; in mitiorem mulctæ pro damni qualitate pendendæ legem, quam *Eruic* dicimus, commutavit.

a *Author vitæ S. Brigidæ apud Colganum ordine 4. cap. primo.*

Mulcta hujuſmodi pro homicidiis impoſita, quam quidam priſcis noſtris legibus multum exprobrant, in Angliâ eadem antiquitus invaluit Angloſaxonum tempore, ut in Athelſtani regis legibus habetur capite de diverſis occiſorum ſanguinis pretiis; *Pretium Archiepiſcopi, aut Ducis occiſi quindecim millia Thrymſarum (e); Epiſcopi, aut Comitis octo millia, Vicecomitis quatuor millia; Presbyteri, aut Baronis duo millia.* Item, *Si Ceorlman (f) provehatur, ut habeat quinque Hidas (g) terræ ad utwarum (h) regis, & occidatur, reddentur duo millia Thrymſarum.* Item de his, & aliis mulctis in libro Domeſday, ſeu Angliæ cenſuali inter 14. & 20. annum Wilihelmi Baſtardi compilato inter priorum temporum leges ita habetur. *Pax manu regis, vel Sigillo ejus data, ſi fuerit fracta emendetur per* 18. *Hundreda (i)* 12. *Hundreda emendent Regi, & 6. comiti. Qui numerus complet* 144. *libras, quoniam forisfacturam Hundredi Dani Norwegienſes* 8. *libris habebant. Multiplicatis igitur* 8. *per* 18, *fiunt* 144. Ibidem etiam: *Pax data manu regis, vel ſuo brevi, vel per ſuum legatum, ſi ab aliquo fuiſſet infracta, inde Rex centum ſolidos habebat. Siquis liber homo Regis pacem datam infringens in domo hominem occidiſſet, terra ejus, & pecunia tota Regis erat,*

e *Thrimſa fuit tertia pars ſolidi apud eos.*

f *Churle i. homo plebeius.*

g *A plowland* 120 *jugera idem ac Hida.*

h *Quas a rege per ſervitium militare tenebat.*

i *Hundredum octo libras valet.*

k *Forfeitur i. Mulcta, ſeu confiſcatio.*

li. Exlex. rat, & Utlagh (h) fiebat. Cuilibet autem Utlagh nullus reddere poterat pacem, niſi per Regem. Qui Sanguinem faciebat à mane Secundæ feriæ ad nonam Sabbati, 10. Solidis emendabat; à nona vero Sabbati uſque ad mane Secundæ feriæ Sanguis effuſus 20. ſolidis emendabatur. Similiter 20. Solidos Solvebat, qui hoc faciebat in 12. diebus Nativitatis, & in die Purificationis S. Mariæ, & primo die Paſchæ, & primo die Pentecoſtes, & die Aſcenſionis, & in Aſſumptione, vel Nativitate S. Mariæ, & in die feſto omnium Sanctorum. Qui in iſtis Sacris diebus hominem interficiebat 4. libris emendabat. In aliis autem diebus 40. Solidis. Qui Revelach faciebant, vel latrocinium, vel violentiam fœminæ inferebat, unumquodque horum 40. ſolidis emendabatur. Vidua ſi alicui ſe non legitimè commiſcebat, 20. ſolidis emendabat; puella vero 10. ſolidis pro ſimili cauſa. Siquis civitatem comburebat, de cujus domo exibat emendabat per tres oras denariorum, & ſuo propinquiori vicino dabat 2. ſolidos. Omnium harum forisfacturarum duæ partes erant Regis, & tertia Comitis.

Effuſio Sanguinis.

Homicidium.

Fedlimius Rex poſt novem annorum regnum anno decimo pacificè vitæ ſtadium abſolvit.

Quo regnante, Conallus Cruachna è Damnoniis Æneæ Fert filius, Connactiæ Rex præſidebat.

Connactiæ Rex.

CAPUT.

CAPUT. LVIII.

Britannorum ad Chriſtum converſio.

QUoniam Britannicis Doctoribus debita univerſalis Hiberniæ ad fidem Chriſtianam converſio, non alienum ab inſtituto duxi communem Britonum converſionem, & converſionis tempus attingere. In illa igitur Britanniæ parte, quæ Romanis parebat, cujus indigenæ Britanni propriè appellati Romanorum permiſſu cujuſdam ditionis rex erat (illi enim & reges Servitutis inſtrumenta habuerunt) Lucius patrio idiomate Llês agnomine Lever Maur. i. e. Magni Splendoris (*m*):

Nam lucet in ejus
Tempore vera fides, errorum nube fugata (*n*).

Coilli regis filius, & Marii regis nepos, qui initio Eleutheri Papæ, & Lucii Aurelii Imperatoris anno poſtremo miſſis ad eundem Eleutherum literis SS. Fagani (*o*), & Duviani, ſeu Derwiani (*o*) Doctorum miniſterio cum ſua veterum Britonum ex parte magna natione nomen Chriſto dedit. Unde *Britanniam omnium provinciarum primam publicitus Chriſti nomen recepiſſe* notant (*p*).

De hujus Solemnis converſionis tempore ab anno 137. ad ann. 190. maxima eſt inter Scriptores diſcrepantia. Cæterum duorum Impp. Marci, & Lucii Aurelii cum Eleutheri regimine in alio non conveniunt tempora, quam anno 171. quo Eleutherus 14. Maii juxta Onuphrium Summus Pontifex creatus eſt, & Lucius Imperatorum alter apoplexiâ ſublatus. In hoc etiam

m *Nennius, vel Samuel Beulani in additionibus ad Nennium.*

n *Gildas quidam poeta Britannus.*

Anno 171.

o *Variè uterque legunter, ut apud Uſſer. de Brit. Eccl. Primord. pag.* 54.

p *Sabell. Pol. Vergilius, Georgius Lilius, Oratores regis Angliæ in concilio Baſil. anno* 1434. *Guil. Lombardus, Legum Edwardi Confeſſoris interpolator, Petrus Crateolius, & Cardinalis Polus.*

etiam omnes ferè concurrunt Lucium regem Eleut herum ipſo pontificatus initio legationibus conſuluiſſe, atque in ſocialis duorum Impp. imperii anno poſtremo docet V. Beda, capite 4. libri 1. Hiſt. Angl. & Epitome ejuſdem hiſtoriæ inter ſe collatis; quatenus cum Julio Capitolino, Aurelio Victore, & Eutropio undecim annos imperii Lucio Aurelio tribui innuit; non vero novem annos, ut alii tribuunt.

Lucius primus Chriſtianus rex Britannicus ſine ſobole defunctus traditur, Anno æræ Chriſtianæ 201. atque hoc ipſo tempore ſcribens Tertullianus *Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto ſubdita* teſtatur.

CAPUT. LIX.

Cathirius Magnus centeſimus viceſimus R. H.

Anno 174. CAthirius Magnus Herimone ſatus, ultimus è Lagenia, R. H.

O Kellii Cualann. Manius Mal Cathirii regis frater Imalæ regioni nomen dedit, ex quo O Kelly Cualann in Wickloenſi agro.

Cathirio regi è triginta filiis decem poſteritatem propagarunt nempe. 1. Roſſius Palige natu maximus, ex quo Hy falgii; de quibus tres adhuc familiæ ſuperſunt viz. O Conor Falgius Hyfalgiæ dominio Philippi & Mariæ regum Angliæ tempore eliminatus, O Dempſy dominus de Clannmalugra, & O Duinn; 2. Darius Barry, ex quo O Gorman; 3. Crimthannus, à quo Hy-crimthanna regio; 4. Breſſalius Enachlas; 5. Achaius Fimine; 6. Olillus Ketach, à quo regio Crioch-na Ketach; 7. Fergusius Loſcan; 8. Dearc-

O Conor Falgius. O Dempſy. O Duinn. O Gorman.

8. Dearcmaiſeach, cujus poſteri olim propter Dublinium inſederant; 9. Æneas Nig: & 10. Fiachus Bacchus ſtirps regum Lageniæ natu minimus; cui ex Breſſalio Belach filio Ennius Niadh, & Lauradius Hykenſaliorum ſator duo nepotes ſecutos Lageniæ reges generarunt. Cathirii regis uxores fuere Marnia filia Morandi princeps Pictica, Mauda filia Breſſalii mater Roſſii Failge, Darii Barrii, Achaii Timine, & Breſſalii Enachlas: Crimanda filia Achaii Dentinigri ex Ultoniis mater Crimthanni: Æneam Nig ex ſua filia genuit. *Hykenſalii.*

Antequam in pugna ad Talten cecidit rex Cathirius Roſſio Failge filio mandavit ſequentia legata reliquis filiis, & aliis Lageniæ nobilibus elargiri. *Cathirii R. Teſtamentum.*

Breſſalio Enachlas quinque naves onerarias, quinquaginta ſcuta umbonibus ornata, limbo argenteo, & aureo ad oras ſinuoſè circumpoſito, quinquè enſes capulis aureis aptatos, quinque currus cum ſuis equis.

Fiacho Baccho quinquaginta crateras, quinquaginta cuppas, ſeu patula dolia * è taxo confecta, quinquaginta equos maculis aſperſos, cum æneis * frœnis. * Dabaè * Cnedumá.

Tuathalio Tigech ex Manio fratre nepoti decem currus cum equis, quinque tabulas luſorias, * quinque Scacchias (*q*), triginta ſcuta cum limbis aureis, & argenteis per oras, quinquaginta enſes limatos. * Fiṫċioll. q Branoab.

Dario Barrio ter quinquagenas haſtas teretes argenteis laminis obductas, quinquaginta ſcuta thecis auro, & argento cælatis incluſa, quinquaginta enſes appoſitè fabricatos, quinque annulos ex auro decies liquefacto, ter quinquagenas lænas Babylonica arte variatas, 7. vexilla militaria;

Crimthanno quinquaginta pilas luſorias æneas cum totidem æneis baculis * ad eas agitandas, decem alveos luſorios affabrè confectos, duas ſcacchias cum latrunculis * Comán.

trunculis ſuis maculis diſtinctis, & poteſtatem, qua ludorum præfectus per Lageniam erat conſtitutus.

Alveolum ita delineat Vida Cremonenſis Albæ Epiſcopus in poemate, cui titulus Scacchia Ludus.

Sexaginta inſunt, & quatuor ordine ſedes,
Octono parte ex omni via limite quadrat
Ordinibus paribus, nec non forma omnibus una.
Sedibus, æquale & ſpacium; ſed non color unus.
Alternant ſemper variæ, ſubeuntque viciſſim
Albentes nigris; teſtudo picta ſupernè
Qualia devexo geſtat diſcrimina tergo.

Latrunculos item ſic;

Agmina bina pari numeroque, & viribus æquis
Bis nivea cum veſte octo, totidemque nigranti.
Ut variæ facies, pariter ſunt & ſua cuique
Nomina, diverſum munus, non æqua poteſtas.

Mogcorbo filio Laogarii Birnbuadhach centum vaccas maculis albis aſperſas, & auribus rufas cum totidem vitulis quorum bini quique æneo nexu inter ſe ligati, centum ſcuta, centum rubras haſtas, centum lanceas candentes, quinquaginta lænas croco intinctas, centum ſpinas aureas, centum equos diſcolores, centum crateres affabre compoſitos, centum patulas cuppas * è rubea dolatas taxo. 50 currus affabrè extructos, quorum decem erant eximii operis, quinquaginta Scacchias. 50 alias tabulas luſorias, quibus ludunt pugiles. 50 tubas. 50 lebetes æneos, quinquaginta vexilla cum poteſtate, ut Lageniæ regis eſſet à conſiliis;

* Dobaċ.

Lagiſiæ regi centum vaccas, centum ſcuta, 100. enſes,

ſes, 100 haſtas, ſeptem vexilla lævia, & maculoſa. Hæc omnia juxta ſupremum patris præſcriptum Roſſius exequi non dubitavit. Ita Cathirii regis teſtamentum literis conſignatum invenio.

CAPUT. LX.

Quintus Centimachus 121. *Rex Hiberniæ.*

QUintus Centimachus Fedlimii regis ex Una Danica, ut nunc loquimur, principe filius Cathirium regem Luagniorum Temorenſium ope in Moyacha prælio proſternens regnavit, Rex Hiberniæ. *Anno.* 177.

Sub ejus natalem, qui in diem Lunæ incidit, multa admiranda naturæ indulto traduntur. Ea Lugadius O Clerii in civili diſceptatione cum Thadæo Bruodino Darii filio non refragante, Arnei Fingini authoritatem citans, vendicavit ad hunc ſenſum:

Callibus inſignis Temorenſia ad atria quinis
Quo primum natus tempore Quintus erat.
Bonnius hac muſis ſacer, hac via triplicis amnis (r) r Cumaſna.
Fluxit cum Neacho nocte, duoque lacus. τριπηγε.
Quinque etiam viſæ monumenta celebria plantæ,
Tunc primum patulas explicuiſſe comas.

Arbores illæ primâ inter alias Hiberniæ celebritate per multa ſæcula floruerunt; earumque caſus à ſcriptoribus ſociali filiorum Aidi Slaine ad an. Chriſti 665. deſinentium regno in hunc modum adnotatur. Eo-roſſa taxus fuit, & ad ortum æſtivum Drumbar verſus decidit. Croebh-dathin fraxinus Ferabile regioni Eo-roſſa. Craobdathin. *Ferabile.*

in Westmidia nomen relinquens suâ ad Austrum Carn-ochtair-bile versus ruinâ Dathinum poetam prostravit. Eo-magna robur trans campum Moy-ailbhe ad Austrum Carthe-crainn-beodha versus declinavit. Bile-torton fraxinus ad occasum brumalem Kill-hiachtair-thire versus procubuit; & Croebh-usnigh in Westmidia fraxinus Granard versus in Carbria, & comitatu Longford rectâ ad Aquilonem corruit.

Eo-mugna.

Bile-torton.

Craobh-ruadh.

Quinque viæ Temoriam versus, quæ Quinto rege nascente fuerunt, ut aiunt, detectæ, hæ memorantur; Slighe-asuil, Slighe-midhluachra, Slighe-cualam, Slighe-mhor, ubi Eskir-rieda se obviam offert, & Slighe-dhala.

Verum Bonnius, seu Boindus fluvius supra regnante Conario primo, piscibus fœcundis petinbetur: Trium amnium etiam alveus Belgarum tempore Lageniæ meta à Boindi ostio statuitur (s). Neachi lacus origo cum lacu Rivensi ad Lugadii Rubricati regnum supra refertur. Tres lacus, & tres amnes ad Quinti regis natalem exortos hos memorat prælii Lenensis historia sc. Neachum, Lochrechium, & Lochleniium lacus; Surium Feorum, & Baroum * amnes ad illum Trium amnium alveum confluentes. Barous vero, qui & Berva inter decem primos Hiberniæ fluvios numeratur (t).

s *Supra. cap.* 8.

* *aliis Reorum.*

t *Supra. cap.* 2.

Quinti regis filii fuere Consa, Orinna, & Arturus, cui cæsis fratribus Unico agnomen inditum; his additur alius filius Achaius Ulètlethan. Fuere etiam tres filiæ clarissima progenie heroinæ; Maina mater trium Ferguiorum, quorum unus Dentiniger rex Ultoniæ, & Hiberniæ è Dalfatachiis; Saba mater Lugadii Mac-con ex Ithi femine regis Hiberniæ & secundis nuptiis mater filiorum Olilli Olom regis Momoniæ Heberiorum, quotquot extant, Satoris, à qua Sabini.

Quinti regis filii.

bini à poetis patronymicè vocantur; & Saradia regina Hiberniæ trium Garbreorum filiorum Conarii secundi regis Hiberniæ mater, quorum uno Dalriedii Scotiæ regum familiæ oriundi. Uxores erant Aifea filia Alpini ex Albania Britannica princeps, mater Sabæ, Conlæ, & Arturi; Landa filia Crimthanni Cas regis Lageniæ mater Crinnæ, Achaii, Mainæ, & Saradiæ; Landabaria filia Cathirii regis Hiberniæ, & Aifea ipsius soror, & uxor. *Uxores.*

Bellum gessit cum Achaio rege Lageniæ è Damnoniis pro Boaria mulcta, quam avus suus Erico Achaii patri, & successoribus Lageniæ regibus imposuit. Illam una, atque altera vice armis exegit; tertio autem rex Lageniæ eum apud Maisten prœlio superavit, & Temoriam usque progressus eam annos quatuor tenuit. Tum Quintus se recolligens Temoria potitus est, & Boariam mulctam, quoad vixit, Lageniis imperavit. *Rex Lageniæ.*

Hoc rege, Conallo Cruachna in Connactia successit filius Feradachus, & huic Forgna filius. *Rex Connactiæ.*

Eugenius Magnus Mognuadus ex Heberi sanguine rex Momoniæ matre Sida, filia Flanni filii Fiachrii de Ernais Momoniæ satus strenuissimum se Antagonistam gessit adversus Quintum regem; quousque à Quinto solum vertere coactus est. In Hispania novem annos exul tandem societatem iniit cum Froecho Heberi filio Midnai nepote Hispanico principe, cujus sororem Beram in uxorem duxit. Quo duce, magnas advenarum copias in Hiberniam intulit; & non tantum patria Momoniarum sceptra, sed & universam Australem Hiberniam qua Riedæa juga, seu Eksir-rieda per editiores Dublinnii plateas ad Medrigiæ peninsulæ vadum prope Galviam rectâ lineâ porriguntur, devicto decem prœliis. Quinto, pro pa- *Momoniæ Rex.*

cis conditionibus excuſſit. Uude pars Auſtralis exin
Lethmogha. Leth-mogha i. Mognuadi medietas, & Aquilonaris
Lethquinn. Leth-quinn à Quinto denominatur.

Prælium Lenenſe. Anno. 192.

Annum non amplius unum illa bipartita diviſio ſtetit, cum Eugenius res novas moliretur. Aquilonarem Dublinii ſinum, & portum ad Quintum ſpectantem navalium vectigalium, piſcationum, & commerciorum commodis præcelluiſſe cauſatus ſibi ex ſemiſſe vendicavit. Quapropter priſtinæ reerudeſcunt ſimultates; ad Moylena campi in Feralellià Regii comitatus regione ericetum fixis utrimque caſtris convenitur. Quintus, ut erat viribus longè inferior incautum hoſtem bene mane adortus eſt, & profligavit.

——— *Dolus, an virtus quis in hoſte requirat?*

Eugenium nimium ſecurè lecto cubantem Gollus Mornæ filius è Sanbi [74] regis Connactiæ ſemine celebris pugil oppreſſit. Extant adhuc eo loci duo colles, quorum alter Eugenii, alter Frœchi Hiſpani ibidem Occiſi corpus ſepultum traditur contoxiſſe: Quintus exacie totius Hiberniæ rex inſtauratus viginti exinde annis ſumma pace, ac proſperitate regnavit. Ab hoc Lenenſi prœlio Forga rex Conactiæ principatum auſpicatus eſt, Feradacho patri ſuffectus, tenuitque ad prælium Mucromium, quo occubuit. Anno D. 250. Felia filia Garadii Golli jam dicti amita fuit mater illius.

74. *Sanbus Rex Conactiæ ſupra.*
75. *Conallus.*
76. *Aidus Kinnclari.*
77. *Aidus Duanus.*
78. *Garadius Glundub.*
79. *Mofus.*
80. *Gollus. Rex Connactiæ.*

CAPUT.

CAPUT. LXI.

Res Britannicæ Quinti regis tempore.

SEverus Imperator post cæsum 11. Kal: Martii Clodium Albinum, rebus Britanniæ ordinatis, in duas superioris, & inferioris Britanniæ ordinatis, provinciarum præfecturas Insulæ administrationem dispertiit. *Anno.* 197.

Verius Lupus Britanniæ præses, desciscentibus Caledoniis, à Mœatis terrarum inter Adriani, & Antonini valla incolis pacem magna pecunia redimere coactus est. *Anno.* 201.

Severus Imp. cum exercitu in Britanniam profectus est, & Adriani Imp. murum cespititium imperii tunc limitem transgressus Mœatarum primum, deinde Caledoniorum fines ultra cespititium Antonini Pii murum ad extremam usque Insulæ partem penetravit; atque suorum 50. millibus morte absumptis, & hostibus ad fœdus faciendum coactis, murum lapideum *maximum imperii ejus decus*, ut refert Spartianus, ubi Adrianus cespititium duxit, à mari usque ad mare obliquo per transversam insulam porrectum tramite inter caput capræ * (prope Tinam fluvium) ab oriente, & Escam fluvium alias Scotswath ad Carleolum in Occidente. Thirlwall * hæc prætentura dicta est, juxta quam est V. Bedæ Hefennield (*l*) i. cœlestis campus, hodie Haledon non longè ab Hagustildensi, sive Hexamensi Ecclesiâ & Tina fluvio positus, & villa regia Admurum (*m*) dicta. In cujus vicinia ipse Beda natus, & educatus fuit, sed fallaci muri, & valli, quæ promiscuè Latinis usurpantur, distinctione deceptus (*n*) *Anno.* 208. *Severi murus.* * *Gaytis bevid Anglicè.* l *Bed. Histor. lib.* 3. *c.* 2. m *ibidem cap.* 21. 22. *nunc etiam Walltown.* n *Ibidem. cap.* 5. 12. * *vel Thrillwall Anglicè, Latinè murus perforatus ob aditus, & recessus per murum factos a Pictis, & Scotis illum perforantibus.*

Seve-

Severi vallum, non murum lapideum ratus est. Thirlewall autem castrum in Severi muro adhuc cernitur in Northumbriæ, & Cumbriæ confinibus.

Ann. 211. Mœatis una cum Caledoniis deficientibus, Severus in eos expeditionem parans Eboraci 4. Februarii extinctus est, & ubi rogo impositus *Severs-hill*, sive Severi collis nomen hucusque retinet.

CAPUT LXII.

Quinti regis mors, & de diebus Hebdomadis, ac feriæ quartæ jejunio.

Ann. 211. TIpradius Tirius rex Ultoniæ Bressalii decessoris ex Mora conjuge filius Quintum Centimachum Hiberniæ regem agnatorum (o) proditione traditum apud Tuathamros prope Temoriam dolosè trucidavit 20. Octobris, & die Martis, dum ad comitia Temorensia proximis Kalendis Novembris tenenda in procinctu esset. Die Lunæ natum, & die Martis denatum Senchanus egregiè adnotavit.

o *Achaii Vienn & Fiachi Sgadii fratrum Cambr. Eversus p. 69. sed Fiachus tum non vixit.*

Hinc, & ex die Dominica supra parte 2. ad ann. 100. item ex feria quinta infra ann. 250. & similibus elici videtur septenorum dierum in orbem perpetuo recurrens Systema, quam Græci hebdomadem, Latini septimanam dixerunt, à SS. patribus divino instituto ab origine mundi observatum, à quibusdam in Oriente gentibus, præsertim Arabibus olim receptum, & hinc apud Mahometanos in usu, cum fide verò Christiana longe, lateque propagatum, in Hibernia his temporibus, licet non penitus Christiana, fuisse familiare. Ex his diebus feriam secundam diem Lunæ, tertiam

tiam Martis, & septimam Saturni appellamus: quatuor reliquis Christianæ fidei ritus nomina indiderunt: prima enim feria à *Dominica* Domhnach vocatur; quarta, & sexta à jejunio Ecclesiastico his hebdomadis diebus observato nomen retinent: hæc *Ceut-aine.* i. primum (hebdomadis) jejunium, illa antonomasticè *Aine* i. jejunium nuncupatur. Feria quinta inter quartam, & sextam posita appellationem mutuatur *dia Dardaine* hoc est dia-edir-dha-aine quasi dies inter duo jejunia.

Heic occurrendum censui iis, qui feriæ quartæ carnisprivium Hibernis censurâ, nescio qua Ecclesiasticâ impositum credulitatis vitio, aut calumniandi studio, non ex ulla notitia circumferunt; cum illud primis fidei cum rudimentis imbibitum ipsi feriæ nomen fecerit. Nam *veteres, & primitivi Christiani non modo feriâ 6. & Sabbato abstinebant à carnibus, sed etiam feriâ quartâ, ut docet Victor Antiochenus ad caput* 14. *Marci, quam abstinentiam retinet adhuc Hibernia*; inquit Petrus Redanus è Societate Jesu presbyter (*a*); cui suffragatur Baronii Epitome ad ann. 24. n. 47. *Constat quidem Sanctam ipsam totam Hebdomadam* (majorem) *magnâ cum abstinentiâ, & carnis afflictione eosdem majores nostros ex traditione Apostolica transigere solitos esse: sicut & feriam quartam, & sextam cujusque hebdomadæ totius anni; quod in illa de morte Christi sit initum consilium, in ista fuerit affixus cruci*, &c. Item ad annum 57. n. 59. De quarta etiam, & 6. feria cujusque hebdomadæ præter Apostolicum canonem 68. & Clementis Romani nomine editam constitutionem lib. 5. cap. 16. & ult. & lib. 7. c. 22. habentur expressa testimonia S. Ignatii Martyris Epist. ad Philippenses, Clementis Alexandrini Strom. l. 7. Origenis Hom. 10. in Levit. Tertulliani adversus Psych. Petri Alexandrini in Canone, Cyrilli Alexandrini lib. 10. in Levit. S. Augustinus *quarta, & sexta-*

(*a*) *Commentar. in Macchab. pag. 464.*

sexta feria, & Sabbato frequenter Romanam plebem (*b*) suo tempore jejunasse testatur: ante id temporis S. Nicolaus Patarænus Myreæ Episcopus divino instinctu quarta, & sexta feria nutricis papillis ad vesperam infans parcebat. Theodosii Junioris (*c*) in aula ab escis carnalibus quarta, & sexta feria abstinere mos erat. S. Aidani nostratis Sœculo 7. Lindisfarnensis in Anglia Episcopi exemplo *Religiosi quique viri ac fœminæ consuetudinem fecerunt per totum annum, exceptâ remissione quinquagesimæ Paschalis quartâ, & sextâ Sabbati jejunium ad nonam usque horam protelare* (*d*). Egbertus Archiepiscopus Eboracensis V. Bedæ Synchronus in dialogo de Ecclesiastica institutione hæc habet; *Jejunia constituta feria 4. & 6. propter passionem Domini, & Sabbato; propter quod illo die jacuit in Sepulchro plerique jejunaverunt.* Quartæ feriæ jejunium in Polonia hucusque quodammodo servatur. De Gregorio 14. S. P. ita in ejus vita legitur: *Singulis feriis sextis jejunabat, & feriis quartis à carnibus abstinebat.* Itaque Hibernis hæc primitus cum fide recepta quartam feriam abstinentia carnaria (quemadmodum & Sabbatum) & Sextam quadragesimali jejunio (excepta unius refectionis restrictione, quæ apud plerosque tamen inolevit) colendi lex invaluit ad annum Domini 1671. quo præsulum regni rogatu Summus Pontifex bulla data 14. Septembris S.N. indulsit quarta feria carnibus, & Sexta ovis vesci ad aliarum gentium catholicarum ritum; quod plurimi apud exteros versati peregrè licitis domi abutebantur, aliosque ad sua exempla alliciebant. R. adm. P. Valentinus Brown ordinis Seraphici per Hiberniam pridem Provincialis Dominica Paschali anni 1672. plenus dierum & meritorum fato functus dicere solebat se juvenem discendi ergô è patria solventem, & in patriam reversum plures animadvertisse à lacticiniis in quadragesimâ temperantes,

(*b*) Epistol. 86. ad Casulanum.

(*c*) Anno 421. 7. Junii uxorem duxit.

(*d*) Bed. Histor. Ecclesiastica. lib. 3. c. 5.

perantes, quam à carnibus cum ſenex eſſet; breviori longè ſpacio, quam ut præſcribit Horatius;

Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores.———————

Feriæ quartæ, & ſextæ jejunii relaxationem vulgus majori ex parte plurimum abhorrebat, & infauſtum prædicabat; quare ex iis nonnulli priſtinæ abſtinentiæ mordicus adhærent. Bubulcus in eadem cum præſule quodam diu Londini diverſato domo oblatam feria 4. carnem neutiquam perſuaderi poterat manducare, & cum Epiſcopi mandatum, ut comedat, acceſſiſſe audiret, reſpondit ſe Epiſcopo Londinenſi, quoad jejunium minimè confiſurum, nimirum credebat jejunium in deſuetudinem abiiſſe apud quenquam diu Londini moratum. De feriis, ac jejuniis jam ſatis, ſuperque, unde ad propoſitum redeamus.

CAPUT. LXIII.

Conarius 2. centeſimus viceſimus ſecundus R. H.

COnarius Secundus è Deagadis, ſeu Ernais Momoniæ Herimonius Conarii primi trinepos Quinto Centimacho ſocero ſurrogatur, Rex Hiberniæ. *Anno* 212.

Hujus Conarii genitrix fuit Ethnea filia Lugadii filii Darii è Corcolugadiis, amita Lugadii Mac-con regis Hiberniæ; eademque mater Lugadii Laga filii Eugenii Magni Mognuadi. Saradia Quinti Centimachi regis filia uxor erat, ex qua tres progenuit filios cognomines, ſed adjecto ſingulis cognomento diſtinctos multarum illuſtruim *Conarii 2 mater.* *Uxor. Liberi.*

strium propaginum à multis jam sæculis in Hibernia non extantium authores, viz. Carbreum Musc, à quo familia, & regio Muscrigia in comitatu, & diœcesi Corcagiensi in tres partita plagas; Muscraighe-breoghuin, Muscraighe-Mitine, & Muscraighe-thire, quæ hodie Ormonia dicitur in Tiperariæ comitatu, appellationem accepit; Carbreum Baschain, cujus olim progenies in Corcabaskin Occidentali comitatus Clare regione claruit; & Carbreum Rieda, qui & Achaius Rieda Bedæ (e) Reuda pro Rieda (f) appellatus regioni Dalriedæ, hodie contractè Reuta 30 millia passuum à Bosio flumine ad crucem de Glennfirinnaght in districtu Antrim protensæ, ac Dalriedinorum ibidem olim familiæ nomen, & originem fecit. *Dal* juxta V. Bedam (g) lingua Scotorum partem significat, sed propriè hoc loco progeniem signat, à qua denominari solent terrarum tractus, & certæ familiæ addito primi conditoris nomine (quemadmodum nunc cognominibus ab aliis distinguuntur familiæ); ut Dalgcais, Dal-araidh, Dal-fiatach, Dalriada i. stirps Cassia, stirps Aradia, stirps Fiatachia, stirps Rieda, seu Riedina. Rieda etiam dicitur ab agnomine Carbrei primi Satoris; qui Righ-fhoda i. lacertus, seu carpus longus est cognominatus, & omissis in sono mediis consonantibus, inde Ri-oda, Riada, & Rieda emanavit.

Muscrigia.

Dalrieda.

e *Bed. Hist. Eccl. l.* 1. *c.* 1.

f *Colgan.* 8 *Mar. Append. ad vitam. S. Senani ap.* 2.

g *Ibid. l. c.* 1.

Dal.

Rieda.

Ad hunc Carbreum Rioda collineat V. Beda (e), dum scribit; *Scoti, duce Reuda de Hibernia egressi amicitia, vel ferro sibimet inter Pictos, sedes, quas hactenus habent, vendicarunt.* Sed nomen familiæ patronymicum pro ducis proprio vocabulo, quod ille supposuit, usurpavit. Dalriedini enim trecentis ferè post Carbreum progenitorem annis, ducibus ex eadem progenie filiis Erici filii Achaii Munreamhar, è Dalrieda in Ultonia æquor emensi Dalriedam aliam in Britannia ad si-

nus

nus Dunbritannici partem Septentrionalem ulteriori Romani imperii metæ confinem condiderunt Kentiream, Knapdaliam, Lornam, Argatheliam, & Brun-alban, (vel Braidalban) regiones vicinis cum insulis complexam.

* *Ardnargidheel à Gaidelis i. Scoto-hibernis profluxit nomen Scoticum Argathelia; Polychron. lib. 1. c. 58. Hect. Boet. lib. 1. fol. 7. Camdeni Britannia titulo Scotia.*

Ex his Erici filiis Fergusii posteri aliis præluxerunt, à quibus Scotiæ regnum temporis tractu conditum, & nunc Magnæ Britanniæ & Hiberniæ reges florentissimi originem traxerunt. Huc Spectant pervetusti, ac fidelis à Camdeno (*b*) citati authoris verba; *Fergus filius Eric fuit primus, qui de semine Chonaire* sc. Conarii regis Hiberniæ de quo jam agimus, *Suscepit regnum Albaniæ à Brunalban ad mare Hiberniæ, & Insegall.* i. Hebrides & *inde reges de semine Fergus regnaverunt in Brun-alban, sive Brunhere usque ad Alpinum filium Eochaidh* patrem quippe Kinethi regis, qui Pictis domitis majorum pomœria dilatavit, sedemque suam è Dalrieda in Pictaviam transtulit. Itaque Fergusius pro prima, & præcipua sobolis suæ claritate dicitur primus, non quod illius expeditionis solus dux fuit, aut cæteris fratribus præfuit. Loarnus enim frater ei præfertur in metro-Scotico regum Scotiæ catalogo Malcolmi 3. tempore contexto; de quo poemate Wardæus in vita S. Rumoldi pag. 361. 362. 371. & Colganus in Triade Thaum. p. 115. ubi omissis, quæ de Pictis in poemate habentur, primum distichon ad hunc sensum legitur Hibernicè;

h *Camd. loco cit.*

*Erciadùm post hos * armis Albania cessit:*
Conarii hæc soboles; & gens selecta Gadelùm.

* *Scoti Pictos*

Hæc de Conarii secundi regis progenie jam sufficiant, usque dum ad filiorum Erici tempora perveneri-mus.

Anno. 213. Ogamanius è familia Dalfiatachia, seu semine Fiatachi regis Hiberniæ, primus ex Herimoniis rex Ultoniæ, Tipradio Tirio substituitur. Hactenus enim Rudriciis Hiri filii Milesii nepotibus inserviit Ultonia, donec Conarii regis, ut credibile est, consulto hæc jam Herimonia propago sese inseruit, cum uterque Conarius, sc. & Ogamanius eodem Ernaorum stemmate fuerint oriundi.

Nemethus filius Srabginni regis Momoniæ nepos Niuli è stirpe Fothadii filii Deagi Deagadûm satoris Ernaorum Momoniæ princeps Conarium regem ex eadem domo agnatum è medio sustulit, & uxorem ejus Saradiam sibi copulavit.

CAPUT. LXIV.

Arturus Unicus centesimus vigesimus tertius R. H.

Anno. 220. ARturus Unicus Quinti Centimachi filius Conario regi sororio suo subrogatur. Rex Hiberniæ Mauda filia Canani de Cualann, à qua Rathmeadhbha Temoriæ regia nomen sumpsit, è Lagenia genus trahens, fuit Arturi regina, sed Cormaci filii genitrix non fuit. Hanc diversam à Mauda Niacorbi, & Cormaci Cucorbi regis Lageniæ filiorum matre, ut superius, attigi (*i*) satis evincunt diversa tempora.

(*i*) cap. 51.

Cocaid Finn fuadairt. Arturus rex patruum Achaium Finn Fothart, & filios ejus, eo quod Conlaum, & Crinnaum fratres interemerunt, & Quintum patrem Ultoniis prodiderunt, Temoriæ è finib. expulit. Achaio uxor erat Cathirii regis Hiberniæ ex Currico filio neptis Uchdelba. Quare in Lageniam perrexit, & rex illius provinciæ

Fothartorum Origo.

vinciæ duas plagas Fothartas ex ejus agnomine dictas, unam à Momoniæ confinio ad ostium Slanii, alteram ab adversa ripa, Slanio inter utramque medio in Wexfordiæ sinum occurrente. Ibi dominati sunt nepotes per multa sæcula ad interitum non ita pridem O Nuallan ultimi domini. Alias quoque regiones condiderunt, quæ Fothartæ dicuntur; utpote Fothartam Airbreach, quæ & Bri-eli dicta est, coluerunt posteri Corci, Lugadii, & Crumathii (ex Ænea filio) nepotum Achaii, [80] Fothartam Liffei orientalis nepotes Fergusiii Tarbræi [85], Fothartam Imchlair juxta Ardmacham soboles Sednæi [83] filii Artcorbi [84], Fothartam Fea semen Adnadii [85] filius Artcorbi [84], à cujus Adnadii semine Fotharta de Moy-itha quoque habitata. Sunt etiam Fotharta File, Fotharta Thuile, & Fotharta Bile. Bressalius Conlæ [86] filii Artcorbii ex Denio filio nepos, à quo Hy-bresail in Hyfalgia proavus extitit Sanctissimæ virginis Thaumaturgæ Brigidæ communis Hiberniæ patronæ.

O Nuallan.

Fothartæ.
Airbreach.

80. *Achaius*
Finn Fothart. f.
Fedlimii Legiferi regis Hiberniæ.
81. *Æneas Meann.*
82. *Cormacus.*
83. *Carbreus Niadh.*
84. *Artcorbus.*
85. *Fergus Tarbræus, Sednæus File, Adnadius, & Connla.*
85. *Conla. f. Artcorbi.*
86. *Denius.*
87. *Bressalius.*
88. *Dremsius.*
89. *Dubtachus.*
90. *S. Brigida.*

Maximino Imperatore consule cum C. Julio Africano; S. Ursula cum undecim virginum millibus dicitur passa. *Anno.* 236.

Maximini Imp. ille in consulatu collega, ut obiter adnotem, fuit Julius Africanus historicus, cujus legatione Nicopolis urbs, ubi Emmaus in Evangelio castellum, in Palestina condita est.

CAPUT.

CAPUT LXV.

Olilus Olom, Rex Momoniæ.

Momoniæ Rex. Ann. 237. Kenfebra cæsa prælium.

Olillus Olom Eugenii Mognuadi ex Bera Hispanica filius, & Quinti regis Hiberniæ per Sabam filiam secundis nuptiis junctam gener cum filiis suis, & tribus Carbreis Conarii 2. regis Hiberniæ filiis aciem instruunt apud Kensebrat adversus Nemethum Ernaorum Momoniæ principem, qui Conario 2. mortem intulit violentam, & adversus Lugadium Maccon, patre Macniada, avo Lugadio Laidio filio Darii è posteris Lugadii filii Ithi prognatum, Olilli, Saba matre, privignum. In quo prœlio Eugenius Olilli filius Daderam Druidem interfecit, Carbreus Rieda Nemethi sanguine paternis manibus parentavit, & Carbreus Musc Lugadii suræ vulnus inflixit, quo deinceps claudicavit.

Ab hoc prœlio Olillus, privigno æmulo ultra mare amandato, Momoniæ universæ principatum videtur auspicari, quem viginti tres annos primus ex Heberi sobole suorum ipsius filiorum Eugenii, & Cormaci Cas posteris alternatim gerendum, dum salva res stetit Hibernica in perpetuum transmisit cum priùs Lugadii illius partim majores, partim supervenientes Herimonis progenies Ernai vices suas obirent.

CAPUT,

CAPUT. LXVI.

Fiachus Araidh, Rex Ultoniæ.

Fiachus Araidh Dalaradiæ familiæ, & regionis in Ultonia conditor è Rudricia domo rex Ultoniæ, regibus Ultoniæ ex Hiri stemmate, multisque familiis originem dedit. Hyconallia in agro Louthiano, & quotquot ejusdem nominis per Hiberniam regiones ab illius semine erant insessæ. Sodanius ipsius filius, Sodaniorum sator, qui Sodaniam Aitchi, in Fernmoya Ultoniæ regione, Sodaniam in Media, & Sodaniam in Hymania Galviensis agri ditione præter siquas alias incoluerunt. De his Antiquariæ, & poeticæ facultatis Wardæorum, & O Duveganorum familiæ prodierunt.

Rex Ultoniæ Anno. 240.

Hyconallii.

Sodanii.

CAPUT LXVII.

Lugadius Mac-con centesimus vicesimus quartus R. H.

Lugadius Mac-con ex Ithi progenie Arturi avunculi cæde, Rex Hiberniæ. *Anno. 250.*

Lugadius hic, postquam Kènnsebrafensi prælio à vitrico, & sociis Anno 237 susus est, in transmarinis partibus exul tandem cum immensa alienigenarum manu in sinu Galviensi appulsus infra septem post appulsum dies Arturum regem feria 5. (uti Tigernachus signanter notat) ingenti clade apud Moymucroimhe prope Athenriam octo millibus passuum Gal-

Mucromium prælium.

via

Connactiæ rex. via dissitam prœlio evertit. Forga rex Connactiæ inter alios ab Arturi parte cecidit; cui successit Kedgin Cruachna patruus. Ab eadem quoque parte occubuerunt septem Arturi regis ex Saba sorore nepotes, filii Olilli Olom regis Momoniæ, & Lugadii ipsius fratres uterini viz. Eugenius, Dubmercon, Mogcorb, Lugadius, Achaius, Dicorb, & Tadæus, quibus, superstite patre Olillo, superfuerunt duo ex eodem toro germani Cormacus Cas à patris morte rex Momoniæ, & Kienus Kienactorum, sive Keniadûm, Eliorum, Lugniorum, & Galengarum per Tadæum filium sator. Eugenio fratrum seniori à Beneo Britone hac acie perempto supererat ex Monica filia Dil Druidis filius post patris casum matris interitu natus Fiachus Latus vertex post Cormacum patruum rex Momoniæ, cujus posteri Eugeniadæ terras ab ipsis possessas Eoganactas i. Eugenii tribum dixerunt. Hæ sunt Eoganacta Aniæ, Eoganacta lacus Lenii, Eoganacta Casiliæ, Eoganacta Rathlennæ, Eoganacta Glenndamnach vallis, Eoganacta Arannæ, in sinu Galvienſi insulæ, & Eoganacta Rosargaid præter Eoganactam de Moy-gerrgin (*k*) in Scotia Britannica. Extat poema pervetustum (*l*) Olilli regis nomine ad Fiachum nepotem deplorans septem filiorum in Mucromio prœlio, præsertim Eugenii casum, & Fiachi pupilli miseriam patre, & matre orbati: sed ne Olilli genuinum suspicor, siquidem de benedictionibus, quas Eugenio tam mortuo, quam vivo impertit, mentionem faciat Ethnicis vocabulo, & praxi inusitatâ. Lugadius Laga Olilli frater, sed Lugadio Mac-con maternâ prosapiâ conjunctus, & Ligurnus è Fothartis [80], quos Arturus eliminavit, Lugadii in exilio comes Arturi ex acie fugientis gradum ad paludem in Aidhnia steterunt, & agressi in terram dejecerunt, semianimisque caput abscissum

Momoniæ rex.

Kienacti.

Eoganactæ.

k ubi Fordunum oppidum in Maria.

l A Macain na ci cid fo.

80. *Achaius Fothartis cap. 64. supra.*

81. *Æneas Balbus.*

82. *Ligurnus.*

ad

ad victorem reportarunt. Uter eorum vero lethale vulnus inflixit, uter caput abſcidit? diſquiſitione, aut controverſia dignum non judico. Turloch-airt in facti memoriam paludi nomen adhæſit, quæ inter Moyvoelam; & Killcornan ſita in hunc uſque diem eodem nomine gaudet.

Inter Arturi regis, & Finnii filii Cuballi exitum annorum 35 Summa interponitur; unde 57 annorum ſpacium in poematis Chronologici depravato apographo corrigendum; ut in margine (*n*).

n Sɛ̃mbliaġna caġad ɡan cṡáō. *rectius,* Cṡiɡ bliaɡna tṙioċadɡanċṡaō.

Darius Prædabundus ex Ithi per Lugadium filium Herimonis ſocerum proſapiâ ſex filios genuit viz. 1. Lugadium Laidium avum Mac-conii regis Hiberniæ. 2. Lugadium Cal, ex quo Calrigiæ de Lochgile in Carbria Sligoenſi, & non procul inde Dartrigiæ populus, cujus dominus Maglanchii fuit; item Calrigia Luirc, Calrigia An-chala, Calrigia Inſe niſc, & Calrigia Muighe-muriſc in Tirawlia. 3. Lugadium Oirchi, ex quo Corca-oirche. 4. Lugadium Laighis, ex quo Lagiſii O Nenachlais in Cualann agro Wickloenſi. 5. Lugadium Corb, ex quo Dalmeſcorb in Lagenia, & 6. Lugadium Coſcair, ex quo Coſcradii in Deſiis agro Waterfordienſi, è quibus Daniel filius Fothadii.

Calrigia. Dartrigia. Maglanchii. Corca. Oirche. Lagiſii. O Nenachlais. Dalmeſcorb. Coſcradii.

Lugadius[82] Macconius rex Hiberniæ genuit Macniadam, Fothadium Airgtheach, Fothadium cairptheach, & Fothadium Canann: Macniadæ, ex quo Corcolaidii, erant tres filii viz. Æneas Bolg, Duachus, à quo O Cowhy, & Fiachrius, à quo O Floinn Arda ortus: ab Ænea quartus decimus Ederſcolius[86] pronepotem habuit Finnium[101] patrem Fothadii, & Kiermaci O Kerwick familiæ Satoris. Fothadio ſatus eſt O Hederſcol, ſeu O Driſcol Corcolaidiæ à Lugadii Laidii poſteris ſic dictæ dominus. Hæc regio diſtrictu Corcagienſi ad Baltimorenſem ſinum ſita diviti hale-

82. *Lugad Macon, R. H.* 83. *Macniadas.* 84. *Æneas Bolg.* 85. *Natbias.* 86. *Ederſcolius.* 87. *Brandubius.* 88. *Flannanus.* 89. *Cobdanus.* 90. *Flannanus.* 91. *Felaſius.* 92. *Æneas.* 93. *Dungus.* 94. *Muriadus.*

95. *Dongalius* 96. *Nuadus.* 97. *Finnius.* 98. *Ederſcolius* 99. *Fothadius.* 100. *Macconius* 101. *Finnius.* 102. *Fothadius, & Kiermacu.*

halecularum piſcatura admodum celebris eſt, unde in Hiſpaniam exportantur. Fothadius Canann Macconii regis filius Argatheliæ in Scotia Comitibus Cambellis (Hibernicè mac Cathlin) qui hæreditariò ſunt Juſtitiarii Scotiæ generales, & aulæ regiæ præfecti, originem dedit.

Ex Lugadii filii Ithi præterea ſemine fuerunt Dungalius Pugnax, & Lugadius Mal, qui apud Carn-mail in Murthemnia agri Louthiani victoriæ palmam reportavit.

Corcalaidiæ populus primus in Hibernia in Chriſtum credidit, idque ante S. Patricii miſſionem; de quo fuit mater S. Kierani Sagirenſis Liedania, ex qua ibidem Anno 352. natus eſt in Inſula maris Iniſ-clera, nautis Cape clere nuncupata. De hoc etiam populo, & Macconii regis ſtemmate fuit S. Fachnaus Epiſcopus, qui in eodem Corcagienſi comitatu in Carbria Roſalithri juxta mare monaſterium, & ſedem Epiſcopalem erexit, academiam olim celebrem; ut in vita S. Mochoemoci 13. Martii; *Ibi crevit civitas, in qua ſemper manſit magnum ſtudium ſcholarium.* Claruit S. Fachnaus ſæculo ſexto Chriſtiano, & ejus memoria ibidem celebratur. 14. die Auguſti. A Fachnao autem ad Dengalium filium Folacti de eadem domo viginti ſeptem epiſcopi in eâ ſede fuiſſe memorantur juxta ſequens vetus diſtichon è codice Lecano;

S. Kierianus.

Sɛ̀ᴛ neᵹʏᴩᵹ ꝼiᵹiod ᵹobáᵹ ᵹoᵹab Roʃᵹa bꝛoᵹ bꝛiᵹbáᵹ.
Oᵹe ꝼaɛ̀ᴛᵹa aᵹ biᵹblaᵹaiᵹ: Ꝺo ᵹe ᵹoʃᵹiᵹaᵹ ᵹadoᵹᵹhalaᵹᵹh.

Dongalus à Fachtna, ter nonus Epiſcopus, extat
Lugadia de gente, dedit cui Roſſia mitram.

CAPUT.

CAPUT. LXVIII.

Ferguſius Dentiniger 125. *Rex Hiberniæ.*

FErguſius Dentiniger Imchadii filius de Dalfiatachio Ernaorum ſemine Herimonius, rex Ultoniæ, Lugadio Mac-con rege ab Arturi regis filio Cormaco Temoriæ ſolio ejecto, Hiberniæ ſceptrum præripuit. *Ann.* 253.

Maina Quinti Centimachi regis filia Imchado Ogamanii regis Ultoniæ ex Finnchado filio nepoti tres Ferguſios peperit, Dentinigrum hunc, Dentiſcabrum, & Comatum.

Poſtquam Cormacus Arturi Unici regis filius, & Centimachi nepos Macconium regem, ut demonſtratum eſt (*o*), gubernaculo amovit, & obſides undequà que, præſertim Ultoniæ imperavit, omnia ſibi ad ſuccedendum ſecura ratus Ferguſium Ultoniæ regem amitæ filium in Bregia Boreali convivio excepit. Ferguſius autem iniquo in eum animo ſupremam affectans dignitatem inſidias clam animo agitabat; quocirca, ut opprobrio illum quamprimum irritaret, miniſtrorum unus Cormaci cæſariem, adjectâ face, in flammas dedit; ſed ſtipantium ope vix laqueis evadens ægrè ſe in Connactiam recepit. Tum Ferguſius pulſo regni Candidato, ut erat copiis inſtructus vi ſibi viam ad ſummum ſtravit faſtigium, & commiſſis duobus prœliis, quorum uno Kienus, & altero Achaius de longo latere Olilli Olom regis filii occubuerunt, victor Temoriam adiit, ubi rex Hiberniæ inauguratus eſt. o *Supra p. 2. ad annum.* 254.

Verum enimvero non diuturna permanſit violenta proſperitas. Nam anno proximo Thadæus Olilli O- *Ann.* 254.

lom ex occiso Kieno nepos immensum exercitum pro Cormaci, qua pater occidit, causa, sub triginta dynastis, & quinquaginta prœliatoribus comparavit. Fergusii regis vires apud Crinnam in Bregia prœlio attrivit; Tres Fergusii rex cum duobus fratribus hac acie Lugadii Laga manu conciderunt, qui pro decollato Mucromio in bello Arturo rege, si rependi damnum capitibus posset, ut Cormaci gratiam rursus iniret, suam in hoc bello operam navavit, & tria ea capita amputata retulit,

Crinnam prælium.

Kienacta.

Hac victoria Cormacus Rex Hiberniæ acclamatus Thadæo in belli mercedem Tricenariam, seu Centuriam in Bregia concessit à Glaisnera ad Maldodii colles Lissæo amni vicinos Kiennactam à Keniadis, seu Kieni semine ita appellatam. Thadæus filios progenuit Conlaum Leprosum, Cormacum Galeng (*p*), Muredachum, & Conlaum Frithir poetam, a quo Muntir-creachain in agro Mayonensi in Connactia. Conlao Leproso filii erant Finnchadus Huallach, & Finnacta, à quo O Meaghir: à Finnchado Coemh[87] Finnchadi Huallach ex Fiego filio nepote descenderunt incolæ Kienactæ supradictæ in agro Midensi, in qua apud Damhliagh, seu Dulekam celebris est memoria S. Kienani[91] (quem S. Patricius infantem baptizavit) & alterius Kienactæ de Glenngemhin in agro Londinodorensi, à qua O Conor de Kienacta denominatus est.

p De quo infra capite 69. Muntir creachain.

O Meaghir.

87. *Finnchadus Coemh.*

88. *Tigernac.*

89. *Trenius.*

90. *Sedæus.*

91. *S. Kienanus.*

O Conor Kienact.

Helias Finnchadi Huallach per Sabærnium filium abnepos Heliæ regioni nomen, & O Caroll Heliæ domino originem dedit. Helia illa Carollina regio ad Momoniam, quemadmodum incolæ, olim spectabat in Ormoniæ confinio sita: sed in comitatum sæculo superiori distributione Regis in Lagenia comitatus pars facta est, & Ormonia pars Tiperariæ in Momonia.

85. *Finnchadus Huallach.*

86. *Sabarnius*

87. *Ericus.*

88. *Imchadus.*

89. *Helias. ex Cod. Lecan. f. 213. b.*

CAPUT.

CAPUT. LXIX.

Cormacus centeſimus vigeſimus Sextus, Rex Hiberniæ.
Achaius Gonnat 127. Rex Hiberniæ.

COrmacus Arturi Unici regis filius à Crinnao prælio regnum auſpicatus, Rex Hiberniæ. *Anno 254.*

Roſſius filius Imchadi è Rudricia gente eodem anno Dentinigrum regem in Ultonia excipit; à cujus armentario Boirche nomine montes in Ultonia, quos pecoribus paſcendis incolebat, *Benna Boirche* dicuntur. *Ultoniæ Rex.*

Fiachus Sugdius Fedlimii Legiferi regis filius Deſiorum ſtirps filium habuit Fiachum Raide[81], ex quo Corcoraidii Ferabiliæ, & Fera-aſuil in Weſtmidia populi, cujus filius Fothadius Dubnium genuit, cujus nepos Diermitius O Duibhne, & Lugnium Firtrium id eſt, virum Treæ, ita appellatum à Trea uxore, quæ fuit Olilli Olom ex Kenio filio neptis, & Quinti Centimachi regis ex Saba filia proneptis. Ex hac Lugnii uxore Arturus Unicus Cormacum regem generavit. Ob quam igitur cognationem Kenius avus maternus, & Thadæus avunculus pro Cormaci jure decertarunt. Fabula proinde perquam abſurda eſt Etanam, vel Ectacam fabri ferrarii filiam ab Arturo rege pridie, ut aiunt, quam in bello Mucromio pateretur compreſſam Cormacum concepiſſe: ſiquidem non poſthumus intra triennii ſpacium è Temoria patris deturbatorem Macconium expulit, & ipſe viciſſim à Dentinigro, ambuſtis crinibus, in Connactiam cedere coactus: quamvis tum valde juvenem fuiſſe non inficiar, cujus proavus Olillus Olom adhuc in vivis ſupererat. Lugnius porro vitricus regio ortus ſanguine non ab Etana infimæ ſortis fœmina, ſed à Trea cognatæ nobilitatis

Corcoraidii.
81. *Fiachus Raide.*
82. *Fothadius.*
83. *Dubnius.*
84. *Dondus.*
85. *Diermitius O Duibhne.*

Cormaci regis mater.

nobilitatis Firtrius Cognominatus est; cujus filii Cormaci fratres uterini ab omnibus agnoscuntur.

Cormacus O Quin dictus. Cormac ɛpiche conainn.

Cormacus O Quin, utpote Quinti regis nepos patronymicè vocatur, & Cormacus de Corann, in Coranna quippe apud Athcormaic prope montem Keis ad Austrum natus, & ibidem apud Lugnium vitricum educatus.

Coranna.

Coranna regio olim Galengam in agro Mayonensi, Lugniam, & hodiernam Corannam in agro Sligoensi complexa est.

Corcofirtrii.

Corco-firtrii, Lugnii soboles ab ejus cognomine sic dicta eam inhabitarunt. De his S. Senachus de Tirolilla Episcopus, & Machiag poeta, qui fuit de familia O Conchearta de Lig-gnathaile in Coranna; item O Dobhailen, & O Donncathii, qui Corannæ prefuerunt, donec ad O Hara primum, deinde ad mac Donoghos pervenit dominium. Regioni, ut fama est, nomen indidit Dian Kecti è Danannarum gente Cytharœdus, Corann nomine, qui hanc plagam in Musicæ mercedem adeptus est.

Lugniam Cormacus Rex avunculi sui filio Cormaco Galeng, Lugnii etiam filiis pari propinquitate conjuncto elargitus est, & Galengam in agro Mayonensi conterminam baroniam. Has regiones, & Corannæ partem à Camnoniis, & Galeniis eatenus insessas legimus Cormacus Galeng tres filios, habuit Laium, à quo Lugniæ, & Galengæ populi, Glasradum, à quo Satnii in Midia, & Sescadum Sengad *, à quo Galenga minor in Bregia. Laio [85] pronepos Fidcurius, à quo O Hara Lugniæ, & O Gara Culavinnæ dominus, aliam in Midia Lugniam posteris condidit.

Lugnia.
Galenga.
Satnii.
* Sɛɣcaδ Seaŋʒɐδ a
O Hara.
O Gara.

Aidus Conalli Cruachan regis Connactiæ ex Achaio filio nepos post Kedgin Cruachna Connactiæ rex Cormaci regis indignationem meritus, prælio apud Moy-ai in Roscomanio ab eo devictus est; & Connactiæ principatu à Damnoniis translato, Niamorus Lugnii Firtrii filius,

Connactiæ Reges
85. *Laius.*
86. *Niacorbus.*
87. *Artcorbus.*
88. *Fidcurius.*

filius, & Cormaci regis frater uterinus factus eſt rex Connactiæ. Sed brevi pòſt Niamoro ab Aido interfecto, Cormacus, Aido cum Damnoniis è Connactia exterminato, Lugadium Niamori fratrem ſubſtituit, qui Aidum è medio ſuſtulit, & triginta annos in Connactia regnavit.

Cormac Ulfhada.

Cormac Ulfhada alio cognomine Cormacus rex dignoſcitur, quod Ulidios, ſeu Ultonios procul à patria ſemel, atque iterum in Manniam inſulam, & Hebrides relegarit. Illos apud Granard in diſtrictu Longford prœlio contudit, & alio apud Sruthair ibidem; eorumque regem Æneam Finn Fergusii Dentinigri regis filium in Crinna-fregabhail prœlio ingenti Ultorum clade vita ſpoliavit, cui ſucceſſit Fergusius Foga è Rudriciorum familia poſtremus Ultoniæ apud Emaniam rex.

Rex Ultoniæ.

Anno 257. occiſus.

Dunlongius Ennii Niadh filius Cathirii regis Hiberniæ abnepos rex Lageniæ Temorenſe apud Clænfertam gynœceum immani feritate adortus, triginta regias puellas cum trecentis ancillis famulantibus ad unum internecione delevit. Quocirca Cormacus rex duodecim Lageniæ dynaſtas parthenicidii conſcios morte plexit, & Boariam Tuathalii regis mulctam Lageniis cum acceſſione imperavit.

Rex Lageniæ.

Magnem claſſem tranſmare in Septentrionalem Britanniam miſit, qua triennii ſpacio eas oras infeſtante imperium in Albania exegit. Momonios diverſis cladibus attrivit. Verum Fiachus Latusvertex à patris (Anno 260.) & patrui Cormaci Cas exceſſu rex Momoniæ illum apud Druim-damhgoire (*a*) retrogredi, & ad damna ultra debitum Monarchis cenſum reſarcienda pactum inire coegit.

Momoniæ rex.

(*a*) *Ad Lic Crocha nge.*

In hoc bello claruit Mogruthius filius Sindunii è Kierrigia Luachra in Momonia Fergusio Rogio rege Ultoniæ, ſatus de Druidum genere, qui magicis artibus à Fiacho meruit

meruit ſibi, & ſemini duas Tricenarias (hodie Rochiorum, & Condonum dictas terras in Corcagienſi diſtrictu) Fera muighe-ſene viz viros Mogruthii militis appellatas, & contractè Farmoy, unde Rochii, ſeu Vice-Comites de Rupe honoris titulum ducunt. Mogruthii pronepote Cumſcragio tres Cumſcragiorum familiæ oriundæ permulta abinde ſæcula in Farmoya floruerunt. Cumſcragio hoc ſatus eſt Cuanna filius Calchini terræ illius dynaſta ab eximia liberalitate mirum in modum ſæculo ſeptimo Chriſtiano celebratus, ut & SS. Mochullcus, & Molagga de Teghmolagga cum aliis Sanctis. Alium ab hoc Mogruthio cenſeo Mogruthium, cujus filii Buanus, à quo Corcomogha in agro Galvienſi, Aretus, à quo Carn aret in Medrigia, Muachus, à quo Moy-ithæ populus in Ultonia, nimirum in Kienacta. Medrigia peninſula ad Auſtrum Galviæ ab horum matre Medara fertur denominata.

Cuanna filius Calchini.

Medrigia

Cormacus magnificentia, munificentia, prudentia, ac eruditione, nec non rerum geſtarum laude ſuperiores omnes Hiberniæ reges anteivit. Ampliſſima regia gemmeis, aureis, & argenteis inſtrumentis inſtructa, & numeroſa familia majeſtatem, & munificentiam ſatis teſtantur: eruditionem libri ab eo editi, & culturam tria gymnaſia Temoriæ aperta, unum ad militarem diſciplinam, alterum ad rem hiſtoricam, & tertium ad juriſprudentiam exercendam. De tribus his gymnaſiis, & de Temoriæ magnificentia Cormaci tempore, ac de ipſius laudibus, & rebus geſtis extat poema 183. diſtichorum in O Duvegani codice fol. 175. quod incipit,

Teamhair na mogh nath Cormaic.

Regia Cormaci, regum Temoria ſedes.

Ex

Ex hac Schola prodiit liber, quod pſalterium Temorenſe dicimus, in quo congeſtis in unum patriæ archivis, ſupremorum, & provincialium regum ſeries, ac tempora cum exteris Synchronis principibus collata, tributa quoque & vectigalia provincialium monarchis debita, nec non metæ, ac limites cujuſque regionis à provincia ad territoria, à territorio ad pagos, a pago ad pagi particulas continebantur.

Quæ patriis literis commiſit monumenta vetuſtis pergamenis Ms. etiamnum extantia Summam juris, & antiquitatum patriæ in eo indicant peritiam Sanctiones ejus ad publicum regimen ſtabilitæ in Juriſperitiæ M. S. codicibus, quæ etiamnum videre licet, donec Hibernicæ res ſteterant, nunquam fuerunt antiquatæ. Sibi, & Succeſſoribus honoris, ac ſubſidii ergo præſcripſit, ut decem hi à latere regis nunquam diſcederent; nempe Magnatum unus, Magus, vel Druis, Judex, Medicus, Poeta, Hiſtoricus, Muſicus, & tres à famulatu, Atque hic mos, ſubſtituto Druidis loco, poſtquam Chriſtiana fides illuxit, Epiſcopo, adeo non refixus inoleverat, ut vix fuerit per univerſam Hiberniam illuſtrius dominium, in quo non extitit Epiſcopalis ſedes diœceſim cum dominii circiter finibus circumſcribens, & quædam ſtata prædia certis familiis aſſignata, quæ ſingulæ in unis ex jam dictis muniis illius dominii toparchis inſervirent. In noviſſimæ vitæ ſeceſſu libellum ad Carbreum filium *præcepta* regia, ſeu *principis inſtitutionem* inſcriptum elucubravit. Extat hic libellus in O Duvegani codice folio 190. a. ubi & filio. 192. b. aliud Cormaci ejuſdem opuſculum multa ad ternarium numerum revocans. Notum eſt Auſonii poetæ Latini poema, quo de eadem materia luſit ſub titulo *Griphus ternarii numeri.* Fithilus ſub eo ſupremus Judex fuit; cujus, & Flathroi filii *Fithilus Judex.*

Molendinum.

Jurisprudentiæ opera in Juridicorum scriniis adhuc conspicienda sunt. Molendini usum ex Magna Britannia traductum primus traditur pro pistrinis introduxisse. Antiquitus Romani in castris frumentum molis manuariis frangebant. Imo Caracalla Imperator triticum sua manu molens, quod ipsi satis esset, massamque ex eo conficiens, & in carbonibus coquens eo vescebatur.

Cormaci uxor, & liberi.
80. *Cathirius. R. H. ad ann.* 174.
81. *Fiachus Bac.*
82. *Brsalius. Bel.*
83. *Ennius Niadh.*
84. *Dunlengius*
85. *Fibaea.*

Ethnea filia Dunlongii [84] regis Lageniæ Cormaci regina Carbreum successorem edidit Lissecarium à Lisseo amne in Lagenia, propter quem infantiæ nutricationem in matris patria nactus est, nuncupatum. Non desunt, qui Ethneam etiam Cathirii [80] Magni filiam Cormaco junctam tradunt: sed ut supputanti liquet, prius opportuit Cathirii filiam, etsi posthumam, annos aniles attigisse, quam Cormacus nasceretur: Dunlongii vero filiæ, Cathirii adnepti cum Treæ filio satis æquè convenit. Fuerant & alii duo filii Cormaco Kellachus, & Darius ambo improles; fuit etiam gener per Graniam filiam, deinde, hac cum Diermitio O Duibhne fugiente, per Albeam aliam filiam Finnius ex Mornia filiâ Thadæi Druidis filius Cuballi de familia O Baisgne Nuadi Nivei, R. H. è progenie Summus Hibernicæ militiæ præfectus, Jurisprudentiâ etiam, super qua scripta ejus hactenus extant, carminibus patriis, & ut quidam ferunt prophetiis celeberrimus, qui ob egregia sua, & militiæ suæ facinora uberrimam vulgo, & poetis comminiscendi materiem relinquens à nulla ætate reticebitur, Graniam rursus uxorem admisit, postquam Donnchadum, Illandum, Ruchladum, & *Herodem* Diermitio filios adulterio peperit.

Gener. Finnius. Cuballi.

1. hiruaċ. Aingus Gaoibuaibteach.

Æneas Gaibhuaibhtheach è Desiis Temoriæ celebris princeps indignè ferens Hiberniæ sceptrum à sua domo

mo præſcriptione alienari, quippe qui Fiachi Sugdii è ſemine deſcenderit, Quinti regis Hiberniæ majoris natu fratris, cujuſdam injuriæ ſibi illatæ prætextu armatâ manu in Temoriæ regiam impetum fecit, & Kellachum regis filium, pariterque Sednæum Blathmaci filium Majorem domus vitâ, ipſumque regem oculo ſpoliavit, anno Cormaci regnantis penultimo. Quocirca Rex Deſios ſepties adverſo Marte infractos in Momoniam abegit. Ubi agros à Surii ripa ad mare Auſtrale, & Liſmoriâ ad Kenncriadan Lageniæ conterminos manu forti ſubegerunt; quos Na-ndeſi i. Deſios priſtinarum circa Temoriam poſſeſſionum nomen appellarunt. Quibus Æneas Natfraichi filius rex Momoniæ diu poſtea Moy-ſemen campum à Surio ad Corcathrach, (*a*) Clonmelam & ternionem medium continentem, Deſiis contra Oſſorios plagæ illi hoſtiliter dominatos victoribus, elargitum addidit; Deſios Boreales priorum reſpectu exinde vocatum: Priores Waterfordiæ, poſteriores Tiperariæ comitatus nunc complectitur.

Deſii.

a Magh Gaiſil. *id eſt Campus Caſilienſis jam dictus.*

Fiacho Sugdio præter Fiachum Raide, de quo hujus Capitis initio diximus, erant tres filii Deſiorum Satores, quorum nomina Roſſius Righ-fhoda, Eugenius, & Artcorbus. Author vitæ S. Declani (*b*) Roſſium, Æneam, & Eugenium habet, ut & Doctor Ketingus; (*c*) ſed contra ejuſdem authoris mentem, qui S. Declanum ex Artcorbo, pro quo in tribus filiis nominandis omiſſo Æneas legitur genitum agnoſcit. Itaque Æneas, propter quem Deſii in Momoniam ejecti, non fuit Fiachi Sugdii ante patrem Anno 174 extinctum decedentis filius, ut putabat Ketingus, ſed nepos, aut pronepos; nec ipſi tres fratres, quorum natu minimus, ſi tunc vixiſſet, centenario major eſſet, ſed poſteri eorum Deſiam in Momoniâ incoluerunt. Artcor-

b *Cap.* 1. & *cap.* 33. c. *in regno Cormaci.*

bo erant duó filii Eugenius Brec, & Æneas, qui videtur eſſe Æneas (Fiachi Sugdii filius, omiſſo Artcorbo patre, dictus) belli author Temoriæ regiam invadens, & a Cormaco proſcriptus. Malachias O Fœlan ultimus ex hac gente Deſiæ dynaſta primo Anglorum in Hiberniam inſultu dominio excidit. Quod in Waterfordiæ diſtrictu Roberto le Poer tum obtigit; cujus familia Deſiæ dominiorum titulo hactenus potiuntur.

Cormacus rex ita oculo Temoriæ privatus, poſtquam viginti tres annos regnaſſet, regni faſces Carbreo filio (licet alius ſucceſſor unum annum ſe ingeſſerit) in manus tradidit; mos enim illis diebus invaluit non decere luſcum regnare. Ita Bazes Cabadis Perſarum regis filius, vir fortiſſimus, ſed Monoculus; atque ideo regni honore Anno æræ Chriſtianæ 531. vi legis Perſicæ excluſus eſt.

Qui vero quadraginta regni annos Cormaco concedunt, annos enumerarè videntur, quibus, abdicato ſceptro, prope Temoriam apud Acoill, & Teachclethigh à forenſi ſtrepitu remotus theoricæ vitæ animum incubuit, ubi, abjectis idolis, *Deum qui fecit omnia*, traditur adoraſſe. In hoc ſeceſſu, dum ita ſibi vacaret, tandem urgentibus fatis Salmonis ſpina inter edendum gulæ inhærens vitalem ſpiritum obturavit. Anacreonta Teium poetam lyricum uvæ paſſæ acino legimus ſtrangulatum; de quo Politianus in Nutricia.

Tandem acino paſſæ cădis interceptus ab uvæ.

Anno. 277. Achaius Gonnat è Dalfiatachiis Herimoniis Ferguſii Dentinigri regis ex Fiego filio nepos, Rex Hiberniæ, intra vertentem annum à Lugadio Meann Æneæ Fionn filio, patruele ſuo, trucidatur.

CAPUT.

CAPUT. LXX.

Carbreus Liffecarins 128. *Rex Hiberniæ.*

CArbreus Liffecarius Cormaci regis filius Rex Hiberniæ septem prœliis Momonios fudit, Lageniensium jus defendens; Eo rege, Aidus filius Garadii Lugadio Firtrii filio successit, Rex connactiæ, è Damnonia gente postremus, cujus pater Garadius Mornæ 79 è Nemando filio nepos fuit, à quo Mornâ Clanna Morna posteri appellati. *Anno.* 279. *Connactiæ rex.* 79. *Morna supra. cap.* 60. 80. *Nemandus.* 81. *Garadius.* 82. *Aidus.*

Carbreus rex Aidi Garadii regis Connactiæ armis stipatus cum Baisgneis, & Fothartis, quos Mogeorbus Olilli Olom ex Cormaco filio nepos post Fiachum Rex Momoniæ adjuvabat, congressus apud Gabhra de Acoill (*a*) prope Temoriam occubuit. Quod ut paulo distinctius referam, post Finnii Anno 284 interitum familia ejus O Baisgnea cum prætorianis militibus à Carbreo rège desciverunt; & jam septem annos Aidus rex Connactiæ, quem Carbreus Rex eorum loco satellitio suo substituit, eos bello prosecutus est, donec tandem Mogeorbum regem Momoniæ cognatum suum, quippe Finnii ex Samaria filia nepotem, ex qua Cormacus Tinneum, Conlaum, & Mogeorbum hunc Dalcassiorum patrem suscepit, in auxilium accersentes conjunctis viribus Temoriam versus contenderunt, & apud Gabhra cum Carbreo rege infesta signa contulerunt. In prœlii œstu Carbreus, & Osgarus Finnii ex Ossino nepos manus conserunt. Rex vulneribus pertusus æmulum prostravit, sed pugnæ se ulterius immiscens à Simeone, Kirbi filio de Forthartorum sobole interemptus est. Aidus vero rex Connactiæ acie elapsus Mogeorbum regem aCaċ ȝabɾa aicle. *Prælium Gaurarum prope Temoriam Bregensem, non autem prope Temoriam Luachra in Limericensi comitatu.* *Momoniæ rex.* *Anno.* 296.

regem Momoniæ in Spaltrach prœlio ad Sencua montem in Muſcrigia obtruncavit, ubi & ipſe graviter vulneratus.

Fothadius Airgtheach, & Fothadius Cairbtheach Lugadii Mac-con regis filii Carbreo æquali poteſtate ſucceſſerunt; ſed quia ſinguli, ut explicat G. Coemanus (*b*), non ſucceſſivè, aut alternatim imperarunt, idcirco Antiquarii oligarchiam à monarchia diſtinguentes eos monarcharum è numero excluſerunt. Tres enim tantum de Lugadii filii Ithi progenie monarchas recenſent, Achaium Edgathach, Achaium Optach, & Lugadium Mac-con; ut ex O Duinn poemate (*c*) diſtichon citat Dr. Ketingus (*d*) Tri mic O mac ite ard &c.

b *in poemate.* A eolcha Eamon dir-de.

c Aoibin gin a eafe ard.

d *in regno Lugadii Macon.*

Tres Ithi excelſo clari de ſtemmate reges,
Macconius, ſimul ac bini numerantur Achai.

Atqui fratrum in imperio conſortium diutinum non fuit, nam;

Nulla fides regni Sociis, omniſque poteſtas.
Impatiens conſortis erit. Lucan: lib. 1. Belli civilis.

Itaque fratrum poſterior intra vertentem annum prioris armis ſuccubuit, & ipſe confeſtim à Baiſgneis in Ollarbai prœlio apud Moylinne in Crutheniorum regione everſus Cailtei pugilis manu animam fratricidio temeratam profudit.

CAPUT.

CAPUT. LXXI.

Res Britannicæ Carbrei regis tempore.

CArausius Menapiæ, ut habet Sex. Aurelius Victor, civis (quem ideo ex Hibernia verosimilius fatum, ubi Ptolomeus Menapiam locat, conjiciunt Usserius (*e*), & Camdenus (*f*), rei militaris peritissimus, & ab adolescentia rebus nauticis exercitus, cum ad pacandas Belgicæ, & Armoricæ oras, quas Franci, & Saxones Germaniæ gentes infestabant, à Maximiano tum Cæsare præficeretur, sumpta purpura, Britanniam sibi occcupat Imperator, & cum bella frustra tentata essent, ab ipsis Imperatoribus ei remissum est Insulæ imperium *. *Anno* 285.

Alteri è Scythia Pictorum coloniæ tunc illam *dedisse locum mansionis in Albania* tradit historia Britannica. Quos muro in ulteriori Romanorum limite inter Edenburgicum, & Dunbritannicum fretum reædificato, & septem castellis munito à reliquis ad Austrum Britannis discluſit: ubi domum rotundam politis lapidibus (eam *Arthur's oven*, & Julius Hoff hodie appellant) construxit super ripam fluminis Carun, quod à suo nomine nomen accepit; à cujus ostio (Abercaron i. ostium Caronis contractè Abercorn Abercorniæ comitum honorarius titulus) porrigitur murus ille (*g*) per Glascuensem civitatem ad ostium fluminis Cluth, & Dunbriton;

Hic spe progressus positâ, Caronis ad undam
Terminus, Ausonii signat divortia regni.

Carausii demum cæde Allectus Britannicum imperium triennio occupavit. Constantius

e *Usser de Primord. Eccl. Brit. pag.* 585.
f *Camd. Brit. titulo Hibernia.*
* *Anno* 286.
g *Graham's dyk, vel Gramysdyk, ab incolis vocatur. Buchanan Epithal. Mariæ Scotorum Reginæ.*

Anno 295. Constantius Chlorus Cæsar à Diocletiano in Britanniam contra Allectum missus ad Britanniæ littora appulsus navibus suis injecit ignem, Allectumque in fugam conjecit; qui post paucos dies ab Asclepiodoto præfecto prætorio justo prælio occisus est. Constantius inde ad mortem provinciam illam magna cum laude administravit, Christiani nominis admodum Studiosus; Anno 304 è Cæsare factus Imperator simul cum Galerio Diocletiani genero Anno 306. 25 Julii defunctus.

CAPUT. LXXII.

De Scotorum nomine.

CArbrei in Hibernia regnantis temporibus Scotorum è Latinis primus meminit Porphyrius Philosophus verbis his à S. Hieronymo (*h*) productis. *Neque enim Britannia fertilis provincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omnesque usque ad oceanum per circuitum barbaræ nationes Moysen, prophetasque cognoverant.* Eodem circiter tempore Pictorum meminit Eumenius Rhetor. Sæculo proximè subsequenti Claudianus, & Ammianus Marcellinus iisdem terminis usi sunt: & Sæculo quinto crebrescere cœpit utraque denominatio. Reliquis ad undecimum usque sæculum nulla alia terra apud quenquam unquam Scriptorem Scotiæ nomine innotuit, quam Hibernia (*i*) insula mari ambita, Britannia contigua, sed neutiquam continua, & Synonymis Scotiæ, & Hiberniæ, Scotorum, & Hibernorum, Scoticorum, & Hibernicorum notionibus in se, & in suis indifferenter acceptata. Ipso Sæculo undecimo quidam Cluanensem S. Kierani sedem in Hiberniæ meditullio positam ab aliquibus

h In Epistola ad Ctesiphontem contra Pelagium Britannum, & Celestium Scotum scriptâ.

i Usser de Primord. à pag. 728. ad pag. 735. Ward. in vitis S. Rumoldi p. 322. 3.

liquibus, Anno D. 1042 expilatam conquestus hoc distichon in codice Cluanensi legendum Latinè effudit.

Hæc urbs horrendis hodie vastata inimicis:
Quæ prolis ante fuit Scotorum nobile culmen.

Quinimo sæculo duodecimo Giraldus Cambrensis in dialogo de sede Menevensi, sub annum 1190 *Albaniam nunc abusivè Scotiam dici* pronunciavit.

Et quemadmodum *Aluredus* rex, qui ab Anno 872, ad ann. 900, in Anglia regnavit, &, Anno 295 Oxoniensem Academiam posuit, in sua Orosii, & Bedæ è Latino Anglo-Saxonica versione Hiberniam tum pro comperto *Scotland* & *Scotta-eoland* sc. Scotorum terram, & Scotorum insulam interpretatur, Gildas etiam, V. Beda, & alii Hiberniam Scotiam, Hibernos Scotos pro Synonymis passim usurpant (*k*); ita à Sæculo undecimo cum Scotia in alium sensum deflecti cœperit, authores ad evitandam amphibologiam Hiberniam, Hibernos subinde reddiderunt, quod Scotiam, & Scotos in prioribus legerat. Sic Henric; Huntingdonius Anno 1130 in vivis habet *Gens Hibernienſium* (Athelstano rege Angliæ ab anno 925. ad 940) *& puppium habitatores fatales corruerunt.* Ubi Anglo-Saxonica, quæ in vetustis annalibus, unde ea transtulit Huntingdonius, hisce respondent, Sunt *Scotta leode* hoc est gens Scotica, ut testatur Seldenus (*l*).

Alfredus.

k *ubi Gildas habet* revertuntur Hiberni domum. *v. Beda idem ex Gilda repetens*; revertuntur Scoti domum *habet*; *videsis utrumque locum apud Usserium de Brit. Eccl. Primord. p. 608.*

l *Selden in mari clauso l. 2. cap. 10. p. 136.*

Neque vero quam primum *Scotiæ* appellationem Hibernia deposuit, vel *Scotorum* nomen Hiberni statim amiserunt. Nam ab undecimo ad quintum decimum Sæculum Usserius (*m*) authorum verba profert Scotiâ, & Scotis pro Hiberniâ & Hibernis subinde utentium concludens; *recentiorum calculos diligenter à D. Rothæo* Episcopo Ossorienſi *collectos habemus in Hibernia resurgente.*

m *Usser. de Ecc. Brit. Primord. à p. 734. ad 737.*

gente. De noſtro etiam præſenti ſæculo Wardæus in vita S. Rumoldi (*n*) ſic ait; *Hodie certe apud Germanos Scoti audimus, prout alibi ex inſculptis epitaphiis quorundam Hibernorum manifeſtabo, & viventium doctiſſimorum Germanorum impreſſis libris.* Unum producit exemplum D. Edwardum Geraldinum è Lagenia Hibernum ſacri imperii Comitem, Anno 1626. apud Heydelbergenſes S. Franciſci Minoritas in Germania ex voto Sepultum, cujus marmoreo cippo inciſa Epigraphe Scotum illum natione vocat; *credentibus nimirum Germanis Epitaphii Sculptoribus, & authoribus veterem Synonymiam hanc Scotorum, & Hibernorum nondum in Germania extinctam; & ſanè meritò, cum hodieque monaſteria Scotorum ubique audiant, quæ doctiorum Germaniæ Scriptorum authoritas luculenter aſſerit eſſe Hibernorum.* Alii ſcriptores poſt ſæculum undecimum diſtinctionis gratia duas Scotias ſtatuerunt, quarum primam Scotiam Majorem, Veterem, Ulteriorem, & inſulam: alteram Minorem, Novam, Modernam, Albinam, Albienſem, Britannicam, & Britannicæ inſulæ partem indigitarunt.

(*n*) Pag. 299. vitæ S. Rumoldi Anno 1631. ſcriptæ.

Marianus Scotus Anno 1028 in Hibernia natus inter primos auctores fuit, apud quos hodierna Scotia eo nomine denotata reperitur, Hiberniam nihilominus *Scotorum Inſulam* fuiſſe agnoſcit (*o*). Joannes Sulgeni Menevenſis Epiſcopi filius ejuſdem ſæculi Scriptor coævus primus inter exteros fuit, qui eandem Scotiam Modernam Latinè Albaniam Scripſit (*o*). Quo ſolo univerſali nomine Alba in recto, in obliquis Alban, & Albain ea regio ab omni ævo in hunc uſque diem Hibernicè dignoſcitur, & incolæ Albanach, Albanaigh i. Albanus, Albani, & Gaoidhil Alban i. Gaidelii Albaniæ, ut ab aliis incolis non Gadeliis i. non Hibernicæ originis diſtinguantur. *Ipſi veri, & genuini Scoti,* ait Camdenus (*p*), *hoc Scotorum nomen non agnoſcunt, ſed aliàs ſe Gaoihel, Gael, & Albanach indigitant,* Verum

(*o*) *Uſſer. ibid.* Pag. 734, 735, 736.

(*p*) *Camd. Brit. tit. Scoti.*

Verum enimvero non ex quo tempore Porphyrio, & ſequentibus Latinis innotuit Scoticum nomen Scotorum accerſenda eſt origo; nec adventitiæ tum in Hiberniam cum Romanum imperium inclinaret, nationis diu per incerta vagabundæ nomen fuit, ut hariolatur Camdenus (*q*) antiquitatibus patriis perſpicaciſſimus, ſed noſtris rebus ob inſcitiam tam idiomatis, quam antiquitatum ſumma tantum ſuperficie verſatus, cætera peregrinus; ut meritò de eo dicatur:

Perluſtras Anglos oculis, Camdene, duobus,
Uno oculo Scotos, cæcus Hibernigenas.

q *Ibid. & titulo Hiberna.*

Non in Britannorum, & Francorum imitationem genus ſuum à Trojanis dictum ſupra quadringentos abhinc tantum annos comminiſcentium, *Scoti ſub idem tempus*, ut ille confidentius, quam par eſt, aſſerit (*r*), *ne in poſtremis conſiſtere viderentur Scotam Pharaonis Ægyptii filiam ſuam nationis conditricem mentiti ſunt.* Nam præter Giraldum Cambrenſem (*s*) quingentis prope, & auctorem vitæ S. Cadroe (*t*) Lotharingum ſexcentis abhinc annis id ex hiſtoriis noſtris haurientes author vitæ S. Abbani (*u*) ante nongentos annos ita tradit: *Hibernia ab Hibero flumine* (*x*) *Hibernia vocatur: Scoti vero à Scota matre ejuſdem gentis filia regis Ægypti:* & Scholiaſtes ille in vitam S. Patricii à Fieco S. Patricii diſcipulo, & primo Lageniæ Archiepiſcopo metro Hibernico conſcriptam ſuper his verbis Patraic Prottaigh do Scotaibh id eſt *Patricius prædicabat Scotis*, verſ. 18. ait (*f*) *id eſt Hibernis, qui Scoti à Scota filia Pharaonis regis Ægypti nominantur*, &c.

r *Ibid. titulo Primi Incolæ.*

s *Topogr. Hiberniæ. diſt. 3 cap. 7.*

t *Cap. 5. apud Colgan. 6. Mar.*

u *Apud Colg. 16. Mar. c. 1. & not. 1. ad eandem vitam.*

x *Ibero ſc. poſtiſſimo Iberiæ veteris, ſeu Hiſpaniæ fluminis in Cantabria, unde Scoti prodierunt.*

Nec apud hunc tam vetuſtum authorem, quippe qui ſub finem Sæculi Sexti, mille, & amplius jam elapſis annis commentatus eſt, illud primum repertum, ſed

f *Colgani Trias Thaum. p. 5. n. 21.*

opinio erat communiter in patriis hiſtoriis recepta, ut jam laudatus vitæ S Abbani author ſubdit: *Quomodo de Ægypto ipſa venit ad Hiberniam brevitatis cauſa omittimus, quia invenitur de illa in libris, qui narrant, quomodo in primis temporibus habitata eſt Hibernia.* Quanquam vero hanc fabulam rejiciendo cum Cam-

g ut ſupra parte 2. ad an. 2453. deno facile aſſentiar, (g) iſtud tamen inde pro comperto inferendum neceſſe eſt nomen fuiſſe vetuſtiſſimum, de cujus origine ea fabula adeo antiquitus recepta pro vero communiter venditabatur.

Scotorum quidem nomen prius genti adhæſit, quam in Hiberniam ſe adverterent, aut Hiberni audirent, ita ut ab Hibernia Scoti, Hiberni; & à Scotis Hibernia diceretur Scotia, Quod ut clarius percipiatur, notandum Hiberniam fuiſſe Inſulæ nomen ab exteris inditum, & à nullâ voce vernaculâ derivatum: pro cujus Etymologia duas, aut tres noſtri cauſas per conjecturam producunt, quas in hunc ſenſum Lugadius O Clerii

h in diſceptatione adverſus Brudinum. poem. 1. diſtich. 12. (h) Antiquarius recitat Hiberniam ab Hebero Finn, utpote cui nequaquam univerſa unquam ſubjecta, fruſtra dici demonſtrans.

Cui minimè imperium non debet Hibernia nomen
Tota, quod antiquum lingua Latina dedit.
Scilicet hyberno demiſſum tempore nomen;
Cui multum in Barba frigoris anſa fuit.
Codicibus potius patriis inquirito cauſam;
Quos aliam duplicem commemorare liquet.
Nempe quod Heſperio generatur Hibernia Ibero (i).
Flumine, Golamidûm prodiit unde genus.
Vel quod ab Occaſu Graio (k) cognomine Phœbi,
Sic ſua Mileſiis Inſula dicta foret.

i ut ſupra. ex vita S. Abbani. k Hoc ex Græco etymon apud Cormacum Cullennani, ex Heberi ipſius ſanguine natum.

Scotiam autem ex Scotorum gente illam occupante, & incolente appellatam. Hæc

Hæc gens variis patronymicis nominibus à majoribus acceptis, & hactenus ſermone vernaculo per manus traditis dignoſcitur; uti Mileſii à Mileſio primorum in Hiberniam adventantium hujus coloniæ ducum parente; Golamidæ, ut ſupra, à Golam alio ejuſdem Mileſii nomine; Gaidelii à Gaoidheal, ſeu Gaidelo antiquiore progenitore; & Fenii à Feniſio Farſaidh Gaideli illius avo; ut in hoc veteri diſticho ex poemate, quod Mœlmurius Fathanienſis Anno 885 fato functus Hibernicè in hæc verba cecinit.

Unde Gadelorum referatur origo, canamus (l)

lCanam bunadàs na ngaoidheal.

Fenı o fenıuſ adbeaſta : bnıġ gan ḋochta
Gaoıḋhıl o gaoıḋhéal ghlas ghaſta: Scıt o Scota.

A Fenio Fenios dictos, Gailoſque Gadelo,
A Scota Scotos res manifeſta ſatis.

Quam Scotam Pharaonis filiam in eodem poemate expreſſe habet. Quod licet inter noſtros Hiſtoricos decantatiſſimum ſit, ut vere dixit Livius in præfatione primæ Decadis, *Datur hæc venia antiquitati, ut miſcendo humana divinis primordia urbium auguſtiora faciat*; tamen per iſtas errorum ambages veritas ſeipſum prodit. iidem enim Pharaonis filiæ aſſertores non Scotam illam, ſed Scytham dicendam agnoſcunt; ut habet Colganus 6. Martii in notis ad vitam S. Cadroe (*m*) ſuper hac particula [Ægyptiam conjugem bello meruerat nomine Scottam. cap, 5.] *rectius per ſimplex t. Scotam, vel ſecundum vocis Originem Scytham*; deinde ſubjicit (*n*) *optimè noſtri paſſim Hiſtorici tradunt ipſam nempe Scotam Pharaonis filiam Schytam potius cognomento prius à ſuis appellatam fuiſſe, quia nempe Schytico marito*

m *pag.* 502. *numero* 39.
n *ibidem, n.* 40.

to

to præter patriæ consuetudinem fuisset tradita: & postea cognomento non nihil depravato in nomen cedente a posteris Scotam vocari. Et supra videtur hoc indicare author sc. author vitæ S. Cadroe, *ubi ait vocabulo uxoris depravato Scottiam vocaverunt.* Simulque vetera nostra monumenta, non obstante Scotæ Ægyptiacæ fabulâ, disertis verbis ingenuè fatentur à Scythis, ad quos gentis origo concordi scriptorum calamo refertur, Scotos nominatos, ut ex sequentibus domini Ketingi locis evincitur: *Scotiam filii Milesii nominarunt ex matre sua Scota filia Pharaonis Nectonibus; vel idcirco quod ipsi genus Scoticum fuerint, è Scythia originem trahentes, ut è Skita fiat, Scota* (o) & conformiter ad jam citatum Colgani locum, *Pharao filiam suam ei* viz. *Milesio elocavit; quæ ideo Scota vocatur, quod Milesio Scotici generis marito enupta sit.* (p). Ubi notandum nostros Scriptores memorare duas Scotas ex Ægypto Gaideliæ gentis genitrices; primam Pharaonis mari Erythræo obruti filiam Gaideli matrem, quam cum sanioribus judiciis è majorum nostrorum genesi merito expungimus: alteram, de qua heic; cujus pater si Salomoni coævus, & socer extitit, ut quidam è nostris habent, tempus non obstat, quin posset esse socer Milesii nostri, in discrepantia auctorum eam etiam suspectam reddat: quorum alii filiam Pharaonis Simedis, vel Silag, & in Hispania demortuam; alii Pharaonis Nectimni, vel Nectonibus, & in Hibernia advenientibus filiis, occisam habent. Sed licet admittamus eam Milesiorum matrem, ex citatis tamen Ketingi, & Colgani locis patet non illam genti, sed gentem prius illi, quod *Scotici generis marito enupta fit,* nomen dedisse Scotam.

o *Keting: Histor. pag. 2. n. 9.*

p *Ibidem de Gaidelorum adventu in Hispaniam e Getulia. p. 39.*

Nostri primum Pharaonem memorant Pharaonem Cenchrem Niuli nostri socerum, & in mari rubro submersum;

mersum; secundum Pharaonem de Turre, qui Gaidelios, seu Scotos cum Srio, & Hebero Scot ex Ægypto ejecit; & tertium Pharaonem Nectimnum, vel Nectonibus, qui fuit quintus decimus rex à Cenchre, & socer Salomonis, & Milesii. Quartum addas, de quo supra Simedem, vel Silag. Niulum vero omnes agnoscunt Fenisii ad turrim Babylonicam principis filium, & Noemi adnepotem. Niulus igitur Abrahami, Anno Mundi 1949, nati atavo suppar fuit, & à nato Abraham ad transitum maris rubri anni effluxerunt 504, & novem, aut decem generationes recensendæ extant: ast à Niulo ad Heberum Scot tum, ut aiunt juvenem quatuor tantum intercedunt generationes. Anni quoque sunt tantum 480, exacti à transitu maris rubri ad Templi fundamentum à Salomone jactum: sed si generationes ab Hebero ad Herimonem recolligas, Octodecim invenies numerandas.

1 *Pharao Cenchres, Cingeris, Cingiri, Acencheres variè legitur.*
2. *Pharao de Turre.*
3 *Pharao Nectimnus, vel Nectonibus,*
4. *Pharao Simedes, vel Silag.*

Pharaonum nomina recensere, aut tempora digerere hoc fuerit fumos vendere, aut littus arare. Quare frustra quæritur, fueritne Cenchres, an Amenophis, an alius? quem obruerint fluctus maris rubri: quisnam item fuerit, apud quem Israelitæ peregrinati? Eusebius dynastias Ægypti diversas & regum nomina Chronologiæ inseruit; sed ab omnibus deseritur. Manethonis Sacerdotis Ægyptii de dynastiis Ægyptiorum tabulæ pura puta Somnia sunt de rebus, quæ mundi creationem finguntur antecessisse: harum extat apud Josephum, & Africanum fragmentum, sed longe alia regum series legitur apud unum, quam apud alterum: Josephus ipsa verba Manethonis recenset, reges permultos memorat, sed continuam seriem non consequitur, nec historiæ congruunt tempora ab eo descripta. Herodotus, & Diodorus cum Sacerdotibus Ægyptiis sermones se habuisse asserunt. Sed neque inter se

Pharaones.

conve-

conveniunt, nec cum Manethone. Hoc solum certi habemus regnum Ægyptium vetustissimum esse, & multo plures reges habuisse, quam unum ante illum submersum, quem inter majores falsò reputavimus. Primus Pharao in sacra pagina occurrit, quo tempore Abraham Ægyptium adiit, quem mundi annum 2024 diximus, & inde ad transitum annos 429. Unde ad Templum Salomonis annos 480 Sacræ literæ statuunt. Hinc ad Templi excidium Anno. M. 3360 sunt anni 427, quo tempore in Ægypto regnavit Pharao Waphres, vel Apries, Ophrea etiam à propheta Jeremia dictus.

2024
429
480
427
3360

Herodotus inter gentes, quorum Scripta ad nos historica pervenere, omnium antiquissimus, quippe Anno M. 3504 vivus, qui ut propius, & certius res Ægypti cognosceret, istuc profectus, cum Sacerdotibus annalium, & doctrinæ custodibus conversatus est, sex tantum postremos Pharaones, quorum res illius tempore non adeo vetustæ erant, nobis transmisit ad aliquid certitudinis de iis statuendum; primum Sethonem, quem Ægypto præfuisse memorat, cum Sennacheribus Assyriorum, & Arabum rex magna inopinaque clade affectus esset, nempe divinitus in obsidione Hierosolymæ castigatus, Anno Ezechiæ 14. mundi 3235, Secundum Psammetichum è duodecim regum numero, quos post Sethonem ait, regno in totidem dynastias diviso, simul imperasse per aliquot annos, donec ille cæteris oppressis totum regnum in se unum rursus verterit, gubernaritque per annos 54. qui cœpit Anno M. 3279. tertium Psammetichi filium Necum, quem regnasse ait annos 17. & cum Syris congressum in Magdolo ingenti victoriâ potitum. Hunc sacræ literæ Nechonem vocant, qui in campo Mageddo Josiam Regem Judæ prælio victum prostravit, Anno.

Setho.

Psammetichus.

Necus.

no M. 3338. Quartum Pſammim Neci filium, quem dicit regnaſſe inglorium pene annos 6. Quintum Apriem (de quo ſupra) Pſammis filium; quem poſt 25 annorum fortunatum imperium ab Amaſi obſcuræ originis viro ſuccedente everſum refert, Sextum Amaſim, quem annos 44 regnum tenuiſſe ſcribit, & extremo vitæ tempore ob denegatum filiæ conjugium Cambyſis tum in Oriente regnantis in iram incurriſſe; ſed in belli apparatu obiiſſe, relicto regni hærede filio Pſammenito, atque hunc infra ſex menſes à morte patris à Cambyſe fortuna omni exutum Pharaonum nomini finem impoſuiſſe, & regnum Perſis poſſidendum reliquiſſe. Quod Anno M. 3426 contigit. Cujuſnam igitur Pharaonis filiam Salomon duxit incompertum eſt, & utrum illius Pharaonis Mileſius noſter gener, pluſquam incertum.

Pſammis. Apries.

Amaſis.

Pſammenitus Pharaonum ultimus.

3. *Regum* 11.

Deinde advertendum non filios Mileſii Scotiam nomen Hiberniæ impoſuiſſe, contra quam loco ſupra citato (*d*) Ketingus cum aliis cenſuit: nam inter varia Hiberniæ Scotico idiomate vernaculo nomina nullum omnino datur, quod à Scotis derivetur *& Nondum Orbis adoraverat Romam*, quæ multis abinde ſæculis à Scotis Scotiam formavit. Alios D. Ketingi locos Scotorum nomen à Scythis deductum teſtantes percurramus: *Communis Antiquariorum ſententia eſt Gaidelios gentem Scoticam ideo appellatos, quod è Scythiâ ſtemmatis primordia referant.* (*e*) *& alibi. In libro de primis Hiberniæ habitatoribus unanimi antiquariorum ſuffragio traditur linguam Scoticam, quam Gaidelicam dicimus, Nemethiis vernaculum fuiſſe; nimirum quod è Scythia, ubi ea lingua erat, huc advenerint* (*f*) Item alibi *In Polychronico habetur lib.* 1. *cap.* 37. *à vocabulo Scythia Scotos Gaidelo Glas ortos nominis derivationem mutaſſe.* (*g*) In codice etiam Lecano ita de hac re legitur, (*h*); *Gia-*

d *Keting. Hiſtor: pag.* 2. *n.* 9.

e *ibidem de prefectione Niuli è Scythia in Ægyptum.*

f *ibidem de profectione Gaidelorum è Getulia in Hiſpaniam.*

g *ibidem de Denarum dynaſtia.*

h *fol.* 268. *a.*

delii dicti Scoti à Scota Pharaonis filia, vel à regione, unde ad turrim (Babylonicam) *venerant è Scythia; viz. Scythia petræa; & paulo infra Scotitſianos regio, unde Scoti in Scythia.* Scythas Japheti nepotes gentem vetuſtiſſimam ante Babyloniæ molis apparatum extitiſſe notum eſt: & cum à Scota Pharaonis ficta filia Scoti, ut evicimus, non dicantur, reliquum eſt, ut ab alia disjunctionis particula, quam Antiquarii communiter admittunt, dicantur. Qua de re externos quoque Scriptores, apud quos idem in confeſſo eſt, evolvamus.

Propertius Auguſti tempore ante Chriſtum natum in luce hunc verſum habet lib. 4. Eleg. 3.

Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru.

Ubi Getæ Scythiæ populus (quos non alios fuiſſe, quam qui poſtea Gothi dicti fuerunt, plerique tenent) Scotos denotant, quod Scythæ fuerint origine.

Gildas Anno Chriſti 564 de excidio Britanniæ ſcribens *Vallem Scythicam* vocat mare Hibernicum, ut colligit Seldenus. (i) Huc appoſitè Nennius Britannus, qui Anno 858 Britannicam hiſtoriam, quæ falſò Gildæ tribuitur, edidit; *Sic mihi peritiſſimi Scotorum nunciaverunt; Scythæ in quarta ætate Mundi obtinuerunt Hiberniam* (k). Non aliunde igitur, quam à peritiſſimis Scotorum edidicit Scythas Hiberniam obtinuiſſe quarta ætate Mundi; & ſub initium libri quartam ætatem mundi computat *à Davide uſque ad Danielem.* Idem repetens Henricus Huntingdonius (l) *Britones*, ait, *in tertia Mundi ætate in Britanniam, Scoti in quarta venerunt in Hiberniam.* Scotos igitur, & Scythas perinde habent hi, ac peritiſſimi Scotorum: quorum huc appulſam coloniam, Salomone Davidis filio regnante, pridem demonſtravimus (m).

i *Seld. in mari clauſo lib. 2. c. 1.*

k *Uſſer: de Primord: pag. 731.*

l *Hiſtor. lib. 1.*

m *parte 2. ed ann. Mundi. 2933. ſupra.*

Ra-

Radulphus de Diceto in Imaginibus Historiarum (n) ita habet; *è Regione quadam, quæ dicitur Scythia, dicitur Scita, Scitieus, Scoticus, Scotus, Scotia.* Ex eo sic Thomas Walsingamius in Hypodigmate Neustriæ. *A regione, quæ dicitur Scythia dicitur Scytha, Scythicus, Scotus, Scotia; quemadmodum à regione, quæ dicitur Getia dicitur Geta, Geticus, Gothicus, Gothus.* n *Ad ann.* 1185.

Et rectè Reinerus Reinectius in historiæ Juliæ prolegomenis hodie Scytharum nomen in Scotis asserit esse reliquum. Quocirca Aluredus rex in Orosii versione Scotos in Scyttan Anglicè aliquando convertit: & inferiores Germaniæ Belgæ Scythas, & Scotos communi appellatione *Scutten* nominant.

Præterea Hibernicè loquendi formula *Scotorum* nomen gentile potius, & à Scythis, quam patronymicum à Scota ulla majorum genitrice demissum insinuat: Non enim patitur, ut Clanna Scot i. Scotigenas dicamus, quemadmodum Clanna Mile, Clanna Gaoidhiol, i. Milesiadas, & Gaidelidas; sed Scot, Scuit, Scotaibh; Kine Scot, Scoitbherla i. Scotum, Scotos, Scotis, genus Scoticum, Scoticam linguam. Itaque Hiberni, ex quo Hiberniam insederant, ex Hibernia insulæ nomine appellantur; Scoti vero dudum antè à primæ originis solo Scythia audierant. Quo cognomine primum è majoribus Specificatum invenio Heberum Scot Gaideli pronepotem pluribus generationibus Milesianam coloniam anteeuntem. Deinde in Hibernia patriæ constitutæ populus Scoticus, & Scotos se dicentium natio ansam præbuit Romanis scriptoribus ex illa nationis appellatione in analogiam de flexâ Scotiæ nomen Scotorum imponendi patriæ, ut rectè observavit Camdenus (o) *populus ante regiones nominibus suis fuisse notos, & à populis regiones denominatas.* Nec intentum enervat, quod ante Porphyrium Scotorum nomen Latinos Hiber- o *Camd. Brit. tit. Brit. nomen.*

niæ & Hibernorum terminis usos latuit, *cùm populi plurimi* ut habet idem Camdenus (*p*) *aliis, ac ipsi utuntur à vicinis insigniantur nominibus*; & alibi (*q*) *etsi recentia, & antiqua percurras singula, observabis singulas, gentes diversis, ac ipsi usi sunt nominibus, ab aliis denominari.* Hac ratione Scotica colonia Se Scotos inter alias Hiberniæ gentes dixerunt; ab exteris vero omnes Hiberniæ incolæ sine differentiâ Hiberni vocabantur, donec crebrescente foris Scotorum fama, Scoti etiam foris, uti domi dicerentur, & Hiberni.

p Ibid. tit. Scoti.
q Ibid. tit Britanni.

Deinde, quemadmodum Jonia in Asia minori propterea appellata est, quod colonorum Athenienſium, duce Neleo Codri filio, istuc transmigrantium plurimi ex Jonibus essent Scripti. Ad quam à veteri patriâ Jonum discernendam ista in Græcia Ægialensis Jonia quondam, deinde usitatius Achaia fuit dicta: ita Aquilonaris Magnæ Britanniæ tractus transmigrantibus hinc istuc variis Scotorum coloniis, & temporis progressu totum subigentibus, exteris omnibus Scotiæ nomine jam dignoscitur, & quam prius Scotiam solam dixerunt, nunc sine adjectione Veteris, Majoris, aut ejusmodi alius discriminis Scotiam non intelligunt: è contra vero Hiberni, qui fuerant primigenii Scoti, colonias istas à se emissas non *Scotos*, sed distinctionis ergo *Albanos* à patriâ ab ipsis occupatâ vocarunt. Nam ab omni hominum memoria ille tractus *Alba*, i. Albania, & incolæ diversi promiscuè Albani in utriusque nationis vernacula lingua Scotica hactenus dicuntur: quamvis ad undecimum usque Sæculum Albania illa Latinis non innotuerit. Voces non secus, ac cæteræ res mortalium vicissitudini obnoxiæ sunt, ut verè poeta:

——— Verborum vetus interit ætas;
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Nun-

Nunquam Sermonum ſtat honos, & gratia vivax,
Namque hæc ſunt in honore vocabula, quæ volet uſus,
Quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

Scotos, ac Hibernos, & Scotiam, ac Hiberniam idem olim ſonuiſſe, Scotos modernos adverſus veterum Scriptorum torrentem denegare auſos, nominiſque prætextu omnis ætatis Scotos ſtupendâ licentiâ ſuæ Britannicæ Scotiæ adſcribentes luculentis teſtimoniis ſub finem Superioris, & noſtro Sæculo refellerunt viri literati. Molanus de Sanctis Belgii, Serarius in vita S. Kiliani, Camdenus paſſim in ſua Britannia, Petrus Lombardus primas Ardmachanus de Hibernia, David Rothæus Epiſcopus Oſſorienſis in ſua Hibernia reſurgente, Hugo Cavellus primas Ardmachanus in vita Scoti, Edwardus Maihew in vita S. Aidani, Thomas Meſſingamus in Florilegio Sanctorum Hiberniæ, Anonymus in Appendice ad vindicias Hiberniæ. Thomas Jaimus in notis ad Luitprandum, Jacobus Uſſerius in Britannicarum Eccleſiarum primordiis, Hugo Wardæus in vita S. Rumoldi, Joannes Colganus ſparſim in Triade Thaumaturga, & Actis Sanctorum Hiberniæ, Jacobus Waræus Eques auratus de Hiberniæ Antiquitatibus, & Joannes Lyncæus in ſuo Cambrenſi Everſo, præter Joannem Wadingum contra Dempſterum, Philippum O Sulevanum contra Camerarium, & Stephanum Vitum; quorum ea de re lucubrationes nondum typis commiſſæ, ſed calamo tantum exaratæ extant.

CAPUT.

CAPUT. LXXIII.

Fiachus Srabtenius 129. *Rex Hiberniæ.*

Anni 297. Fiachus Srabtineus ex Dun-Srabtinea in Connactia nutricationis sede cognominatus, Carbrei regis filius, Rex Hiberniæ, Lagenios variis prœliis ad Dublinium, Sliaw-toadh, Smêtire, & Kiermoy contrivit. Eo regnante Aidum Garadii in Connactia excepit Condeus de Corcofirtriis: post quem Muredachus Tirius Fiachi regis filius, & Rex Hiberniæ ejusque posteri Connactiæ principatu potiti sunt mille plus minus annos.

Connactiæ reges.

CAPUT. LXXIV.

Res Britannicæ Fiachi regis tempore.

Anno 303. Martio mense à Diocletiano in Oriente, & Maximiano in Occidente mota immanis Christianorum persecutio cœpit: quæ in parte Britanniæ Romanis subjecta martyrio beavit innumeros; nec tamen Christianam in ea religionem extinxit. Hac procella S. Albanus Verolamiensis Brittannorum protomartyr 23. die Maii gladio percussus occubuit.

306. Constantinus Magnus Imp. imperium in Britannia auspicatus est post patrem Constantium Eboraci 25 Julii mortuum, de Pictis brevi antè triumphantem. *Jactet igitur Britannia ad perennem suam laudem, & gloriam, quod sicut Christianum regem inter omnes Christiani orbis gentes prima agnovit Lucium, sic primum Christianum*

ſtianum Imperatorem ex Sanctiſſima Helena genuit Conſtantium, eundemque prima ſalutavit Auguſtum. A Conſtantio Radulphus Niger, à filio ejus Conſtantino Guilielmus Malmesburienſis Brittannorum coloniam in Armoricam traductam refert; à Maximo tyranno Nennius, Galfridus Monemuthenſis, & alii. Sed poſt Saxonum adventum id factum alii probabilius tradunt, pro quibus illud maximè facit, quod ante tempora Childerici primi (eodem prope anno cum Hengiſto regnum ineuntis) Britannorum Galliam incolentium nulla certa apud authores occurrat mentio. *Camden Brit. tit. Torkſhire.*

Arelatenſe in Gallia Concilium generale contra Donatiſtas indictum, cui Britanniæ Epiſcopi interfuerunt. 314.

CAPUT. LXXV.

Colla Huaſius Centeſimus triceſimus Rex Hiberniæ. Muredachus Tirius centeſimus triceſimus primus R: H.

COlla Huaſius ex Achaio Doimhlen filio Carbrei regis nepos, Rex Hiberniæ. 327.

Achaius Doimhlen ex Olechia filia Updarii ex Albania Britannica oriunda tres ſuſcepit filios Colla Huaſium regem, Colla Meann, & Colla Da crioch; quorum tria nomina Carellus, Aidus, & Muredachus. Hi regnandi cupidine patruum ſuum Fiachum regem Hiberniæ ad Auſtrum Talteniæ apud Crioch-rois in Bregia prœlio occiſum everterunt. A Dubcomaro Fiachi regis Druide ibidem perdito Dubcomarium prœlium vocatur. *Dubcomarium prœlium.*

Muredachus Tirius Fiachi regis filius è rege Connaciæ factus, Rex Hiberniæ Colla Huaſium regem cum duobus 331.

duobus fratribus, ac trecentis comitibus in Britannicam Albaniam abegit.

Gallgaidelii. Aisea de gente Gall-gaidelia fuit Muredachi regis mater. Gallgaidelios vero existimo Gaidelios insulas Britanniæ adjacentes tum incolentes, Nam Donaldum filium Thadæi O Brian, quem Anno Christi 1075 Manniæ, ac Insularum proceres regni sui Protectorem acceperunt, Inse-gall, & Gallgædelu regem Hibernicè dictum reperio. Hebrides vero sunt, quas nostri Inse-gall dixerunt.

Anno 312. Tres Collai à Sociis ad ter novem tantum deserti intra vertentem annum in patriam reduces cum patruele Muredacho rege in gratiam redierunt, & contra Ultonios generi suo jam diu admodum infensos arma inferendi copiam nacti sunt. Instructis igitur agminibus Ultoniam invadunt Septem legiones * è Damnoniis Connactiæ Olnegmact dictis sibi adscisentes. Ad Carn eacha-lethderg in Fernmoya concurritur: ubi Fergusius Fogha Rex Ultoniæ contusus occubuit; & Colla Meann è victorum parte desideratus. Mox Emaniam advecti captam incendiis, cædibusque funditus exciderunt. Muredacho Tirio in Hibernia regnante, Britanniarum Episcopi in Sardicensi concilio Thraciæ, & Mysiæ confinibus coacto ad Arianorum condemnationem, & S. Athanasii absolutionem suum calculum adjecerunt.

* Catha.

Achaleithderg prælium. Ultoniæ Rex. Emaniæ excidium. Anno 347.

Colmanus præsbyter, & postea egregius Episcopus in Hibernia claruit; & natum ibi S. Declanum baptizavit.

Anno 352. S. Kieranus Saighir Ossoriorum patronus in lucem editus.

CAPUT.

CAPUT. LXXVI.

Orgiellii Collaorum poſteri, ac ditiones.

POST Achalethderg prœlium, quòd Collaorum, & trium Collaorum prœlium vocatur, victores, abactis ultra Glennrigeam, & Neachum lacum Ultoniis, amplam ditionem, quam Orgielliam dixerunt, unde Anglis Uriel, & Oriel ſcribitur, in comitatus Louth, Ardmach, & Monachan avorum Memoria deſcriptam compararunt. Unde Collaorum trium fœcunda eſt, ac latè propagata ſoboles. Cat naccoltra cat natrriccolla. *Orgiellia.*

Colla Huaſio regi Hiberniæ Achaius filius tres nepotes dedit generis ſui Satores, Ericum, Fiachrium Tort, & Brianum; à quo Briano per Cormacum filium Hy-Cormaic. *Colla Huaſius* *Hy-Cormaic.*

Hy, vel I (ut heic advertendum duxi) ab *Hua* vel *O* nepote eſt numerus pluralis, & familiarum Satoribus frequenter adjici ſolet, tum ad familias, tum ad terras ab iis inſeſſas denotandas, ut & Dal (de quo ſupra. cap. 63.) Siol, Clann, Kinel, Mac, Muintir, Teallach, vel quid ſimile cognatæ ſignificationis, prout utrumlibet uſus accommodarit.

Hy-cormaic eſt tricenaria, vel baronia in Hy-maccartheann.

Fiachrio Tort [87] Hyturtrii, Firlii, & Hymachuais i. poſteri Huaſii regis, quorum regio Hymachuais etiamnum in Weſtmidiâ Baronia, orti ſunt: Hyturtria regio eſt in Dalfiatach, & comitatu Antrim, lacum Neachum habens ab Occidente; quò è Dalaradia per Ferſat-tuama Bannæ fluminis trajectum pervenitur. De Hyturtriis fuit S. Trea. V. velo cœlitus miſſo à S. Patricio *Fiachrius Tort.* *Hymachuais.* *Hyturtria.* 87. *Fiachrius Tort ſ. Colla Huaſii.* 88. *Echinus.*

tricio amicta. Echinus, Manius, Laogarius, Æneas, Nathias, Cormacus, & Muredachus Broc ſeptem filii Fiachrii Tort. Fedlimio filio Echini fatus erat O Floinn Hyturtriæ olim dynaſta. Laogario orti ſunt Firlii juxta Bannam fluvium.

89. Fedlimius ex quo O Floinn Hyturtriæ.

Ericus [87] è tribus Collæ Huaſiii regis nepotibus primus genuit Carthennium: cui nati Forgous, ex quo Hymac-carthen juxta ſinum lacus Fevail Londinodoriam alluentem, Ericus, Amalgadius, ex quo Firluirg, & Muredachus, ex quo S. Maidocus, [94] Fernenſis Lageniæ Archiepiſcopus, & Breſiniorum in Connactia, & Ultonia patronus. Erici [89] filio Fiachrio editi ſunt Hyfiachrii de Ardſratha, & Sirlamo [91] filio Fiachrii Kinel-Sirlam.

87. Ericus.
88. Carthenn.
89. Ericus.
90. Fiachrius
91. Sirlamus
89. Muredach
90. Amalgad.
91. Feradac.
92. Ericus.
93. Sednæus.
24. S Maidocus

Hyfiachria. Ardſratha.

Hyfiachria Tironiæ regio eſt, & in ea jacet Ardſratha, ſedes olim Epiſcopalis ad Dergum fluvium Clochorenſi, (in Tironia, ſed Orgielliæ principum prius regali, deinde Cathedrali) ſedi poſtea annexa, ac denique circa ann. 1266. cum pluribus aliis Hyfiachriæ Eccleſiis Tironiorum potentia Clochorenſi ſedi ſubtracta, & Londinodorenſi cathedræ adjuncta.

104 Godfredus.
105. Manius.
106 Nielgus.
107. Suiburus.
108. Mergagius.
109. Salomon.
110. G. Adamnanus.
111. G. Brigid.
112. Somarlius.
113. Ranulphus.
114. Donaldus.
114. Donaldus.
115. Æneas.
116. Æneas.
117. Joannes.
118. Joannes.
119. Donaldus Hebridum rex.

Ab Erico [89] eodem Carthennii filio, multis interjectis gradibus (15. plus minus) genus traxit Godfredus, [104] cui variæ nobiles in Scotia, & inde in Hibernia originem referunt familiæ. Somarlius [112] à Godfredo octavus duos filios ſuſcepit; Ranulphum, & Dubgallum, ex quo Mac Dowel. Ranulphus genuit Rodericum, ex quo Mac Rory Hebridum dominus, & Donaldum, ex quo Mac Donelli. Donaldus [814] genuit Æneam, & Alexandrum patrem Donaldi, Donnchadi, & Achaii Donn: Sithicus filius Achaii Donn Mac Sichios Momoniæ progenuit. Æneæ, [115], ex quo mac Donelli, abnepos Donaldus [119] Hebridum, & Kenntiriæ in Scotia, regnante Jacobo. 3°. dominus: quem Donaldum

dum atavuum præfert Illuſtriſſimus Ændromenſis (vulgo Antrim) in Hibernia Marchio Ranulphus Colla Huaſii regis è ſtemmate digniſſima progenies; cui in ſumma ſenectute decedenti Anno D. 1683 ſucceſſit Alexander frater hodiernus Ændromenſis Comes.

Colla Meannus prælio Achalethderg occumbens 7 filios reliquit viz. Kerballum, Bernanum, Crimthannum, Donnchadum, Imanacum, Artracum, & Mugdornum: quorum ſeptem familiis Mugdorna obtigit baronia, quæ eſt montana regio Orientalis Ultoniæ in confinibus Hymethiæ. Artraci è duobus filiis Cathaldo, & Suibneo poſteriores Mugdornæ Domini deſcenderant. Mugdorni etiam è ſeptem filiis Papa Papradios, & Sordus Sordratios in Hycrimthannia plantarunt. Colla Da-crioch fratrum tertius quatuor filios procreavit Finchadum maſculeæ ſobolis vacuum, Rochadium, Imchadum, & Fiachrium Caſſan, ex quo Orientales in Ardmachano diſtrictu, ita vocati ob ſitum ad Orientem Orgielliæ, genus duxerunt per tres ex Fedlimio filio nepotes Breſſalium, ex quo Hybreſſailmacha, Achaium, & Fiegum.

Ex Achaio B. Kellachus Archiepiſcopus Ardmachanus S. Bernardo (*a*) Celſus cum aliis oriundus in quos S. Bernardus (*b*) invehitur, *Nec enim patiebantur Epiſcopari, niſi qui eſſent de tribu, familia ſua: decurſis in hac malitia quaſi generationibus quindecim:* & ſubdens; *qui annos fermè* 200 *quaſi hæreditate poſſident ſanctuarium Dei* ſc, Ardmachanam ſedem. Quare divinam in eos ultionem ipſius S. Bernardi tempore ſic teſtatur; *Intra paucos dies periit memoria eorum cum ſonitu: quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubito defecerunt? perierunt propter iniquitatem ſuam? Grande hodieque miraculum facit tam velox generationis illius deletio his præſertim, eorum qui noverant ſuperbiam, atque potentiam*

120. *Joannes.* Catanæ.
121. *Alex.*
122. *Somarlius.*
123. *Ranulphus Comes.*
124. *Ranulphus Marchio.*
Colla Meann. Mugdorna.

Colla Dacrioch. Arthurii. ſeu Orientales.

Hybreſſail.
a *S. Bernard. in vit. S. Malachiæ.*
b *ibidem.*
88. *Achaius.*
89. *Olillus.*
90. *Amalgadius*
91. *Feradac.* culoub.
92. *Sinac. ex quoClan. Sinaigh*
93. *Dubdaletbeus.*
94. *Arectus.*
95. *Coemanus.*
96. *Flannaganus*
97. *Kellachus.*
98. *Achaius.*
99. *Malmarius.*
100. *Amalgadius.*
101. *Maljeſus.*
102. *Aidus.*
103. *Kellachus. Primas.*

tiam? videsis Colganum in Triade Thaum: pag. 301. 302.

85. *Colla Dacriech.*
86. *Fiachrius.*
87. *Fedlim.*
88. *Fiegus.*
89. *Niellanus, ex quo Hyniellan.*
90. *Eugenius.*
91. *Finnchadus.*
92. *Darius.*
O Hanluanus dominus.

Fiego [88] erant duo filii Niellanus, ex quo Hy-niellan, & Fiachrius Kennfinain, ex quo Fera-rossii, quorum regio Mugdornæ conterminà in Orgiellia, & diœcesi Clochorensi. De Hy-nieHanis fuit Darius [92] Artheriorum i. Orientalium Orgiellierum princeps, qui Ardmachæ Hiberniæ metropolis fundum Deo, & S. Patricio concessit Anno Christi 445. O Hanluanus dominus utriusque baroniæ Arther, seu Orientalium Muredacho Darii illius patruo editus est, cujus familia etiamnum supereſt.

85. *Colla Dacriech.*
86. *Rochadius.*
87. *Deagus Dorn.*
88. *Fiegus.*
89. *Crimthan. Canus.*
90. *Achaius.*
91. *Carbreus.* Damhairgid.
92. *Daminus.*
93. *Conallus. Dearg.*
94. *S. Ennius. Aranensis. Ab.*

Rochadio filio Collæ, [85] cujus semini Orgielliæ principatus obvenit, ex Deago Dorn filio nepos erat Fiegus pater Crimthanni Cani, Briani, ex quo Hy-briuin Borealis in diœcesi Ardmachana, & Lauradii, ex quo Hy-lauraid. Crimthannus Canus Orgielliæ princeps, à quo Hy-crimthann (ita familia principum Orgielliæ apud priscos passim dicta) familia in Ultonia olim patens, & celebris nomen, & originem derivavit, sex libros edidit viz. duos Achaios, quorum unus Orgiellix princeps sub adventum S. Patricii, Ennium, Fergusium, Muredachum, & Lugadium. Hy-crimthanna vero, licet antiquis historiis non parum celebrata, hodie obscurioris notæ regiuncula est in confinibus Australis Orgielliæ ad Slanensem baroniam in Midia spectans.

Achaius [90] Orgielliæ princeps S. Patricii tempore mortuus, ejusque meritis vitæ restitutus, ac baptizatus duos progenuit filios, Bressalium, qui natu major Evangelio obstinatè resistens à S. Patricio jaculo maledictionis ictus cum semine periit, & Carbreum cognomento Damhairgid, qui prompto, ac devoto animo credens sibi cum progenie impertitam meruit benedicti-

nedictionem; qua ditatus & plerisque Orgiellix principibus, & multis Sanctis dedit originem. Is septem filios suscepit, Daminum, ex quo Clan damhin, cujus è Conallo Dearg filio nepos S. Ennius [94] Aranensis Abbas in sinu Galviensi: Nat-Sluagium, ex quo Fernmaii, Cormacum, ex quo Clann-lughain, & Longsechium, ex quo Hy-longsii cum Ohillo, Achaio, & Tipradio improlibus. Nat-Sluagio [92] ortus est Mac Mahon Orgiellix, qua patet Monachan comitatus, Toparcha.

Udhirus [100] (cujus avus Luganus, à quo Clann-lughain) a Cormaco [93] octavus nepotem ex Dalacho filio habuit Egnium, ex quo O Hegnii priscus Feramanachæ comitatus dominus, & ex Orgiello filio pronepotem alium Udhirum, [103] à quo Maguir & nomen, & génus traxit Feramanachiæ dominus, & Iniskellinnæ Baro.

Imchadus filius Colla Da-crioch filios suscepit Muredachum Meith, ex quo Hymethii, & Donaldum, ex quo Imanii.

Hymethia regio est in Arther, seu Orientali Orgiellia Mugdornæ adjacens in Hymeith-mara mari vicinam, & Hymeithtire remotiorem à mari in continente divisa. Patricio annunciante fidem Christi, dynasta illius regionis Eugenius [89] Muredachi Meith ex Briano filio nepos cum populo sibi subjecto cœlestem doctrinam non invitus sed alacri animo amplexus est: verum communem carnis resurrectionem non adeo potuit firmiter concoquere. Quare Sanctus ejus interventu, ac precibus Muredachum avum Hymethiorum Satorem à multis annis incineratum vitæ restituit. Quem deinde pœnas infernales enarrantem, & baptismum devotè petentem baptizavit, ac percepta, sicut ipse petierat, sacra Eucharistia, mox sarcinâ carnis exutum ad vitam dimisit æternam. Sepultus

91. *Carbreus Damhirgid,*
92. *Nat-Sluagius ex quo Mac-Mahon.*
91. *Carbreus Idem.*
92. *Cormacus.*
93. *Aidus.*
94. *Fergusius.*
95. *Cormacus.*
96. *Egnius.*
97. *Irgall.*
98. *Lugan.*
99. *Kernach.*
100. *Udhirus.*
101. *Dalachus.*
102. *Egnius ex quo O Hegnii.*
100. *Udhir: Idem.*
101. *Orgiellus.*
102. *Serracus.*
103. *Udhairus ex quo Maguir. Hymethii.*

85. *Colla Da-crioch.*
86. *Imchadus.*
87. *Muredach. Meith.*
88. *Brianus.*
89. *Eugenius.*

pultus autem eſt, unde reſuſcitatus in loco *Omna renne* dicto in confinibus Hymethiæ, & Mugdornæ.

De hujuſmodi prodigiis extat ipſius S. Patricii teſtimonium in Epiſtola ad quendam ultra mare degentem, ut tradit Jocelinus Furneſius (c) in hæc verba: *Dedit mihi Dominus exiguo virtutem faciendi ſigna in populo barbaro, qualia nec à magnis Apoſtolis leguntur facta, ita ut in nomine Domini Dei noſtri Jeſu Chriſti reſuſcitarem à mortuis corpora in pulvere à multis annis reſoluta. Nullus tamen, obſecro, credat me ob iſta, ſive his ſimilia parificandum Apoſtolis, aut ullis perfectis viris, cum ſim exiguus, & peccator, & contemptibilis.*

c *Jocelin. in vit. S. Patr. cap.* 82.

Noſtro hoc ipſo ſæculo floruit in Germania quidam Sanctus monachus, de quo ita Gabriel Bucelinus in hiſtoriæ univerſalis Nucleo ad ann. 1616. *Nihil illuſtrius ætas noſtra vidit, quam P. Candidum Nuxalenſem monachum, qui hoc anno obiit, mirificus mortuorum pridem incineratorum reſuſcitator.*

Donaldum filium Imchadi [86] avum præfert Manius Magnus, patre Achaio Ferdaghiall ortus, Imaniorum ſator, qui Imaniam in Auſtrali Connactia, & agro Galvienſi acquiſivit; quam poſteri latè dilatarunt, & ultra Suecum fluvium ad Sinannum per agrum Roſcommanium porrexerunt. Manii filius Breſſalius quinque natos generavit Fiachrium Fionn, ex quo O Naghten, Dallanum, Conallum, Crimthannum, & Manium, à quo Hy-maine Brengar.

85. *Colla Dari-ech.*
86. *Imchadus.*
87. *Donaldus.*
88. *Achaius.*
Ferdaghiall.
89. *Manius, ex quo Imanii.*
90. *Breſſalius*
91. *Dallianus.*
92. *Lugadius.*
93. *Feradac.*
94. *Carbreus. Crom.*
95. *Cormac.*
96. *Eugenius Fionn ex quo O Kelly.*
Buac.
97. *Anmchadi ex quo Siolanm-*

Dallani abnepos Cormacus [95] filius Carbrei Crom genuit Eugenium Fionn, & Eugenium, Buac: ab hoc O Kelly Imaniæ dominus; ab illo O Maden Silanmchadiæ, & ultra Sinannum Luſmachæ in agro Galvienſi dominus originem traxit. Anmchadus filius Eugenii Buac Silanmchadiæ nomen indidit poſterorum ditioni, quæ in agro Galvienſi, interluente Sinanno Lageniæ, & Momoniæ obverſatur. CAPUT.

CAPUT. LXXVII.

D. Edmundi Spencer Errores.

PLagiariâ lege heic poſtulandus eſt D. Edmundus Spencer Arthuri domini Grey Hiberniæ ſub Elizabetha regina Anno 1580 Deputati à ſecretis *poetarum Anglorum ſuæ ætatis princeps* (*a*) *& ad poetarum Anglorum principem Galfredum Chauſer ingenii felicitate, & divite poeſeos vena proximè inter Anglicos poetas accedens* (*b*). Qui in dialogo inter Eudoxum, & Irenæum de ſtatu Hiberniæ in quo de varia gentis origine, de ritu, lege, moribus, ac religione diſſerens omnia politicè reformare prætexebat, Mac Mahonos, & Sichios, de quibus jam diximus, item Mac Swinios ex O Niellorum ſtirpe, Kevanos è regibus Lageniæ, Tuathalios, ſeu Tohilos, ac Branios (Anglicè *Tooles*, & *Birnes*,) è Lageniæ itidem regibus genitos Mac Mahonos Auſtrales, & Cumarinos (Anglicè *Macnemara* è regum Momoniæ, proſapia, omnes, inquam hos Anglicanæ fuiſſe originis affirmat.

a *Warræus de Scriptor. Hibernic. lib. 2. p. 137.*

b *Camdeni Britannia, titulo Midleſex.*

Mac Mahonum Borealem ſub cognomine Anglico Fitz Urſula in Hiberniam trajeciſſe ait cum Roberto Vero Oxoniæ comite, procerum invidia in Anglia proſcripto, & in Hiberniam confugiente: quo inde à perſequentibus pulſo, & in Anglia extremo affecto ſupplicio, cognatum ejus in Anglos rebellantem Mac Mahoni nomen uſurpaſſe, quod Mahon urſam Hibernicè referat, & poſteris commendaſſe: Mac Mahonos quoque Auſtrales, Mac Swinios, & Sichios his nominibus ſua Anglica cognomina mutaſſe odio Anglorum ob injuſtam

injuſtam necem Thomæ comiti Deſmoniæ ſub Edwardo 4. (Anno 1467.) illatam: Branios, Tohilos, Kevanos, Cambros fuiſſe hariolatur, & Cumarinos ortos nugatur Mortuomariis; ſed

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Dum in alieno ſolo familiarum origines indagat, & in leges, moreſque officioſius inquirit, in patria ſe Sciolum prodit. Legem communem Anglis peculiarem à Guilielmo Angliæ Anno 1066, expugnatore, ex Normannia traductam aſſerit: Edwardum 4. regem Angliæ tranſmiſiſſe in Hiberniam tradit fratrem ſuum Ducem Clarenciæ, eique Ultoniæ Comitis filiam, & hæredem nuptum traditam, ipſum deinde tum Hiberniæ Prorege malevolorum artibus ab rege fratre in Angliam accitum, ac ſiniſtris machinationibus brevi poſt è medio ſublatum. Hæc in præſenti ſufficiunt ad omnem fidem hiſtoricam Spencero denegandam. Nam Comes ille Oxoniæ eximium utriuſque fortunæ ſpecimen à partu virgineo Anno 1385. Hiberniæ ſub Richardo 2. Prorex deſignatus, nunquam tamen in Hiberniam pedem intulit, nec in Anglia morte mulctatus, ſed à proceribus prælio devictus, & ſolum vertere coactus animi mœrore in ſumma penuria vitam extorris finivit inter Ligures in Lovania Anno 1392. Interim vero ei ſubſtituti erant, qui ejus titulo Hiberniæ adminiſtrandæ munus obierunt, Joannes Stanleius Equeſtris ordinis ab Anno 1385. ad annum 1387. Alexander Epiſcopus Midenſis unde ad an. 1389. dein Stanleius iterum ad an, 1392. quo Ormoniæ Comes Jacobus ante Oxonii obitum ſufflectus.

Leges Angliæ ante Normannos tripartitæ erant diſtinctionis, Weſtſaxonum, Danorum, & Merciorum, pro

pro quarum varietate Angliæ 32 pagi, quos *Shires*, aut comitatus vocant, triplicis quoque erant differentiæ: ad Weſtſaxonum novem pagi, quindecim ad Danorum, & octo ad Merciorum ſpectabant legem. Ex his ſubactor Guilielmus (quibuſdam ſanctionibus non pro re ſua rejectis, aliiſque è Normannia adjectis) *accerſitis Angliæ Judicibus ad colligendum, & exponendum Edgari, & S. Edwardi regum leges Danici regiminis interſtitiis oblivione ſepultas, & obliteratas* (c) unam compilavit univerſæ Angliæ communem legem. Ad hanc ſolam communem legem propriè, ac neceſſariò ſpectat, ut in omnibus quæſtionibus tam civilibus, quam capitalibus diſcutiendis, duodecim popularium Sacramento obſtrictorum de facto ſententia prius decernatur, juxta quam judex de lege ſententiam prolaturus. Hunc vero probandi ritum multis ante Guilielmum annis in uſu fuiſſe ex Etheldredi legibus evincit Camdenus (*d*).

c *Sleiden ſuper Eadmero fol.* 171.

d *Camd. Britannia, titulo Normanni.*

Georgius quoque Dux Clarenciæ Dublinii quidem in Hibernia natus fuit, ſed à fratre Edwardo 4. Prorex Hiberniæ quoad vixit Anno 1463 factus, id muneris per varios deputatos ad annum uſque 1478 adminiſtravit, Hibernia interim ne viſa quidem, donec regis fratris ſententia capite damnatus in vini dolio animam exhalavit. Non huic ſocer Ultoniæ comes, ſed hujus atavo Lionello Duci Clarenciæ: cujus ſolo jure Richardus Dux Eboracenſis Edwardi 4. regis, ac Georgii pater regnum Angliæ ſibi vendicabat Leonelli illius legitimo hæredi. Georgio Vero Clarencio ſocer erat potentiſſimus ille Warwicenſis Comes, Richardus Nevil cognomento Regifex, qui regium Angliæ diadema inter Henricum 6. & Edwardum 4. quaſi pilam luſoriam manu tortam, ac retortam agitatum, modo in hunc, modo in illum, à quorum al-

terutro staret, prout libitum conferebat, Ut advertas quam Spendidissima erant patriæ suæ lumina, & quam sibi ætate proxima, in quibus D. Spencerus cæspitavit.

Comitis illius duæ filiæ, & hæredes, Isabella Ducissa Clarenciæ, & Anna prius nupta Edwardo Walliæ principi Henrici 6. filio, deinde Richardo 3. Ducissa Gloceſtriæ, ac Angliæ Regina. Edwardus Comes Warwicensis Ducis Clarenciæ filius, Comitisque Warwicensis ex Isabella filia nepos, unicus regiæ Plantagenet familiæ legitimus virilis Surculus, Princeps verè miserandus à pueritia ab Henrico 7. in turris Londinensis arcta custodia detentus, tandem Anno Christiano undeseſquimillesimo in eadem turri fatali securi ictus ætatis flore succubuit mactata nuptiis victima, quas Henricus rex inter filium suum, & Ferdinandi Catholici filiam erat celebraturus, certissimum infausti hymenæi, ac flebilis facis præsagium.

e *Nescire, quid antequam natus sis acciderit, id est semper esse puerum.* Cicero de Oratore.

En igitur poetæ in domesticis peritiam! En politici in historiis peritiam! ut cum Cicerone (e) ad pueros relegem anteactis gentis suæ temporibus adeo peregrinum. Cæterum plures devios illius locos, ac calumnias refellere non est hujus instituti, aliò nos avocat propositum pensum.

CAPUT.

CAPUT LXXVII.

Coelbadius centesimus trigesimus secundus, Rex Hiberniæ.

COelbadius Fiachi Aradii regis Ultoniæ pronepos, rex Ultoniæ, Muredachi Tirii regis ad Portrigh in margine Daballi Orgielliæ lacus cæde, Rudriciorum, ac Hiri filii Milesii è domo postremus Rex Hiberniæ. *Anno.* 357.

Duodecim Coelbadii hujus filios, prædicante S. Patricio in Dalaradia superfuisse referunt Scriptores vitæ S. Patricii (*a*), è quibus tres tantum nominant sc. Saranum Dalaradiæ tum principem Conlam, Jocelino Colladium, qui locum Domnach-commuir Ecclesiæ Sancto contulit, & ad ædificandum opem impendit; ubi nobile cœnobium Commurense in Dunensis, ac Connerensis Episcopatus diœcesi stetit, & Nat-Sluagium, qui Culratheniam (*b*) in Aquilonari Bannæ fluminis margine etiam concessit, ubi ipsius ex Degillo filio nepos S. Carbreus temporis successu Episcopatum gessit.

a *Jocelin. cap. 136. vita S. Patr. tripartita part. 2. c. 131.*

b *à filiceto sic vocatam: quæ nunc corruptè Culrania dicitur propter Bannam fluvium in Ultonia civitas.*

Verum Coelbadii filii stricto sensu minimè sentiendi sunt: Siquidem Coelbadius omnium calculis septuaginta quatuor annis ante S. Patricii cum Evangelio appulsum è vivis excesserit; & Saranus contra Patricium pervicax ab Olcano tum Episcopo (post Patricii appulsum circa annum 440 in lucem edito, & Anno 474 Episcopo facto) baptismum acceperit toto sæculo & quod excurrit, post Coelbadii regis exitum.

86. *Coelbadius rex Hiberniæ.*
87. *Conallus.*
88. *Feilbadius.*
89. *Manius.*

Saranus igitur, qui Patricii tempore anno circi-

ter 474 Dalaradiæ principatum tenuit, non alius videtur esse, quam Saranus [90], qui Conallum Coelbadii regis filium sibi proavum præfert Manii filius, Fothadii nepos; quo ortus est Mac-cartan de Clannfogarta. Ad Monganum [91] illius filium genus refert Magenos Iveachiæ Vicecomes; Iveachia porro ea Dalaradiæ regio nomen desumpsit à nepotibus Achaii Cobha Coelbadii regis avi, ab eo Iveachiis patronymicè denominatis. Bracanus, qui dicitur Coelbadii regis filius, S. Cathani filii Muadani avus videtur esse frater, aut agnatus, Sarani, Conlæ, & Nat-Sluagii.

90. Saranus.
91. Monganus, ex quo Magenos.

Ex semine porro Conlæ octo Ultoniæ reges oriundos recenset regum Ultoniæ catalogus; utpote Achaium ipsius Conlæ filium, Congalium, Cu-cuaranum, Tomaltachum, Malbressalium, Lethlobarium, Longsechum, & Aidum Longsechi filium. Quamvis autem apud scriptores patrios sic eos vocare moris sit, titulo tenus solum ita appellandi sunt, postquam ab Orgiellиæ conditoribus, & non ita diu postea à Nielli Magni regis Hiberniæ filiis universa fere Ultonia manu potenti esset subacta: Rudricia gente, ac Dalfiatachia (Herimonis quidem è sobole, sed Rudriciis à multis sæculis inserta) intra unius penè comitatus Dunensis terminos, quam prisci Ulidiam dixerunt, concluſis. Hinc igitur hujus ditionis principes non Ultoniæ, sed Ulidiæ reges discriminis ergo in posterum dicemus In qua ditione pauci è Rudriciis rerum summa potiti sunt præ Dalfiatachiis, qui eam ad ingressum istuc Anglorum, Anno 1177, tenuerunt, sicut pauci è Dalfiatachiis reges Ultoniæ erant præ Rudriciis ante excidium Emaniæ,

Ulidiæ reges.

CAPUT.

CAPUT. LXXIX.

Achaius Mogmedonius centeſimus trigeſimus tertius, Rex Hiberniæ.

ACHaius Mogmedonius rex Connactiæ patris Muredachi Tirii regis necem non diu paſſus inultam Coelbadio regi ſolium pariter ac vitam ademit, Rex Hiberniæ. *Anno.* 358.

Ennius Kennſalach, ex quo Hykennſalii, rex Lageniæ, Achaio regi perpetuus hoſtis erat, & tredecim prœliis victor evaſit. Huic patrem tribuunt Lauradium Cathirii regis Hiberniæ pronepotem: ego ad minus proavum rectius dixerim, & Cathirium tritavum annis abhinc prope ducentis defunctum; ſicut Quintus Centimachus Cathirii ſucceſſor Achaii tritavus Ennio coævi. *Lageniæ rex.*

His temporibus Chriſtianus quidam ſacerdos Româ in Hiberniam miſſus dicitur, ut fidem Chriſti ibi ſeminaret. A quo S. Albeus puer baptizatus traditur.

Item S. Dimma vir religioſus, & ſapiens in Hibernia claruit, qui ibidem S. Declanum Deſiorum patronum, & Carbreum ſanctos poſtea Epiſcopos in pueritia inſtituiſſe dicitur.

Eucharius Epiſcopus Tullenſis, & Eliphius fratres, 362
eorumque ſorores Libaria, & Suſanna S. Manſueti primi Tullenſium Epiſcopi ex Scotia veteri, ſeu Hibernia concives in Juliana perſecutione urbe Tullenſi in Lotharingia martyrio affecti ſunt. Sororis eorundem alterius S. Mennæ Virginis in Eccleſia de portu ſuavi celebris ibidem habetur memoria.

SS. Moch-

364. SS. Mochellocus, à quo Killmalock oppidum in Momonia dictum, Beanus, Colmanus, Lachninus, Mobus, Findlugus, & Caminanus in campo Scuti apud Desios non procul à Lisinoria floruerunt.

Achaio regi mater erat Murinda filia Fiachi: uxores Mongfinna, [87] Fidacho patre, Olilli Olom [81] Momoniæ regis trineptis, & Carinna Casduba Saxonicæ gentis heroina.

81. *Olill. Olom rex Momoniæ.*
82. *Eugenius.*
83. *Fiachus R. Momoniæ.*
84. *Olillus Flannbrg.*
85. *Darius Kerb*
86. *Fidachus.*
87. *Mongfinna Regina Hiberniæ*

Mongfinnæ reginæ soboli Connactiæ principatus obtigit, quæ quatuor filios edidit, Brianum, ex quo Hybriunii in Connactia, Fiachrium, ex quo Hyfiachrii in Connactia, Fergusium, & Olillum: ex Hybriuniis, & Hyfiachriis Connactiæ reges descenderunt: Olilli semen extinctum nomen reliquit Torolillæ agri Sligoensis baroniæ. In qua S. Patricius S. Manium Episcopum Olilli illius abnepotem baptizavit, & divinitus instructus altare in quodam specu lapideo mirandi operis in quatuor angulis habens quatuor calices vitreos subtus terram esse admonuit indicium Christiani cultus ibidem pridem antè, uti martyrum persecutionibus in cryptis subterraneis

S. Manius.

c par. 2. c. 52. Briani soboles.

Briano viginti quatuor filii fuisse traduntur; quorum sex Bognam Rubrum, Derthractum, Echenum, Crimthannum, Coelcharnum, & Achaium à S. Patricio lavacro regenerationis solemniter intinctos scribit Author vitæ tripartitæ (*c*) apud Moy-seola campum, in quo Domnach-mor (*d*) basilicam erexit ad marginem Loch-sealga lacus, (*e*) & sacrum Christi nomen tribus Colossis, seu editis lapidibus, quos gentilitas ibi in memoriam aliquorum facinorum, vel gentilitiorum rituum posuit, incidi curavit tribus linguis, quas crucis titulis consecravit, expressum; in uno *Jesus*, in altero *Soter*, in tertio *Salvator* legebatur. Præter hos sex filios vita S. Benigni sex alios nominat, Duachum Galach,

d Hodie Domnach patruig in Clare baronia, & districtu Galviensi.
e Hodie Loughbacket.

Galach, Ferguſium, Ericum Rubrum, Æneam Balldearg, Tenedum, & Muchitium. Item è Briani principis filiis erant Conallus Oriſon, Conallus Glu, Conallus Corthoine, Nectanus, & Carbreus.

Duachus Galach

Duachus Galach familiarum Hybriuin-ai, Hybriuin-breſne, & Hybriuin-ſeola, è quibus Connactiæ reges oriundi, Sator extitit.

Conal Oriſon.

Conallo Oriſon orti ſunt Umalliæ, & Partrigiæ Montanæ ad lacus Orbſen marginem incolæ, quorum princeps O Maille.

O Mally.

Ab Erico Rubro originem ſumpſerunt Kenel-macerca: Erici ex Ænea filio tres nepotes Ida, Ono, & Dobtha; à quo Kinel-dobhtha: de quibus O Hanly, & O Broenan in tractu Corcachlandæ in Roſcomaniæ diſtrictu inter Tir-Olillam ab Aquilone, & Bagnam montem à meridie: S. Berachi atavus idem Dobtha extitit. Ida, & Ono Corcachlandæ domini profeſſione Druides erant.

88. *Ericus Derg.*
89 *Æneas.*
90. *Dobtha.*
91. *Malius.*
92. *Fintan.*
93. *Nemagenius.*
94. *Nemedus.*
95. *S. Berachus.*

Ono idem; ex quo Hy-onach regio, & familia obtulit ultro ſuam arcem S. Patricio, Imleach-ona nuncupatam; ubi Sanctus ſedem Epiſcopalem Oilfinenſem erexit, quæ uſque in hunc diem ita continuat à multis Sæculis perampla ditione locupletata. Eccleſia autem hæc nomen illud adepta fertur, ex eo quod in loco, in quo extructa eſt, ſit fons limpidus à S. Patricio de nocte productus è terra, Fionn. i. lucidus, vel clarus appellatus, & ad ejus marginem ingens lapis ibi jampridem erectus, nam *Oil* vel *Ail* priſca lingua Hibernica lapidem, vel ſaxum denotat: unde Oilfinn idem ſonat, quod ſaxum lucidi fontis.

Olfinn.

Lapis hic, ut obiter adnotem noſtris his diebus anno nimirum reparatæ ſalutis humanæ 1675, nono die Octobris in terram proſtratus decidit; & quod magis admirandum eſt, non defuit, qui eodem die,

ac

ac hora, qua corruit, ruiturum prædixit, teſteſque ſtatæ horæ præmonitos ad proſpiciendum oculis collabentem adſcivit. Junio ſequenti fons ipſe a loci domino muro circumſeptus eſt, & Auguſto proximo ſtagnum mille plus minus paſſibus inde diſtans in Sanguinem converſum, quindecim dies, aut amplius ſanguineum apparuit: Lochan-docre nomen ſtagni.

Conallus Glu-Hybrium. Sinna Carbreus Hybriun. Ratha.

Conallus Glu Briani filius Hybriunios Sinna proſeminavit, quorum terra fuit Tir-mbruin ad oram Sinanni fluminis in Roſcomania.

A Carbreo Briani filio deſcenderunt Hybriunii Ratha, in quorum tractu in Occidentali Connactia Hybriun-ratha 14. pagos continento ſitus eſt Knocktua mons, ubi prœlium inter Kildarium, & Clanrickardium Anno 1504 conſertum ſex circiter millibus paſſuum Galviâ ad ortum æſtivum. De hac plebe oriundus S. Barrius primus Epiſcopus Corcagienſis in Momonia. Item O Canvan noſtræ familiæ medicinæ profeſſores hinc orti, & O Callanan itidem Medici.

S. Barius. O Canvan. O Callanann. Æneas.

Æneam filium Briani abavum prætulit Fergalius, à quo Clann-fergaille viginti quatuor pagorum tractus ad Orientalem ripam Galvienſis fluminis in Occidentali Connactia, in quo nunc urbs celebris Galvia flumine alluitur. Hoc tractu antiquitus O Halloran eo Fergalio ſatus ſub noſtra familia potitus eſt.

O Hollaran.

Carinna è veterum Saxonum natione altera Achaii regina Niellum Magnum enixa eſt, omnium fermè ſequentium Hiberniæ regum ſtirpem, & tranſmarinis expeditionibus celebrem. Hanc pro Saxonica in veterum monumentis Britannicam potius dici volunt, qui Saxones eo tempore in Britanniam non adveniſſe conſiderarunt, hac innixi hypotheſi, quod ex Britannia quam Saxones poſtea inſederant, eſſet oriunda. Saxones vero circa hæc ipſa tempora Scotis noſtratibus

bus

bus, ac Pictis conjunctos crebras in Britanniam excurſiones feciſſe, longo prius, quam ibi fixas ſedes ſtatuerant, teſtes ejuſdem ætatis locupletiſſimi, Ammianus Marcellinus, & Claudianus (*y*) commemorant. Conſtantii enim Imp. Anno penultimo, ipſo decies, & Juliano ter Conſulibus hoc eſt Anno æræ Chriſtianæ 360. non ſolum Scotos, & Pictos Ammianus refert (*a*) in Britannia loca limitibus Romanorum vicina devaſtâſſe, ſed etiam Anno primo imperii Valentiniani; Anno. ſc. Chriſtiano 364 Pictorum, Saxonum, Scotorum, & Attacotorum conſpiratione facta Britannos ad extremam redactos inopiam. (*b*) Quo tempore Theodoſius in Britanniam ſubſidii cauſa ab Imperatore miſſus Honorii Imp. avus; de cujus tum geſtis inter alia ſic Claudianus in Panegyrico de quarto Honorii Conſulatu.

y Anno Chriſti. 380 uterque vixit.

a Iinitio lib. 20.

b lib. 26. & 27

——————— maduerunt Saxone fuſo
Orcades, incaluit Pictorum ſanguine Thule,
Scotorum cumulos flevit glacialis Jerne.

lib. 2. de laudib. Stiliconis.

De Honorii deinde Socero Stilicone ſub Honorio adverſus eoſdem militante ita loquentem introducit Britanniam.

Illius effectum curis, ne bella timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne littore toto
Proſpicerem dubiis venturum Saxona ventis.

Quibus igitur communis belli ſocietas, iis connubia, aliaque commercia non infrequentia perinde credendum eſt. Etenim Nielli illius filium Eugenium Tironiorum O Neill principum patrem Saxonicam principem duxiſſe matrem Muredachi filii Indorbam nomi-

ne patriis literis proditum est. Sed ubinam tum Saxones incoluerant, erit sequentis capitis Argumentum.

CAPUT. LXXX.

Saxonum, Anglorum, Jutarum, nec non Francorum etiam pristinæ sedes ac patria.

SAxones eo ævo in faucibus Cimbricæ Chersonesi, quæ nunc *Denmarc* vocatur, habitarunt, ubi eos Ptolomæus (*c*) statuit, qui primus eorum mentionem fecit, ab Albi fluvio Boream versus ad Eidoram flumen, & Sliam lacum freti Balthici brachium, unde Sleswic civitas hoc est Sliæ (*d*) portus nomen trahit, considentes, à quibus Eidora Frisones, Sliau veteres Anglos in Dania dirimebat: ab Austro verò in Germania iis finitimi erant inter Albis, & Rheni ostia Franci veteres. Ut enim ad Rhenum usque pertigisse Francos libro 20, ita *Saxones iisdem confines*, extitisse lib 27, docet Ammianus: & utrosque *earum, quæ ultra Rhenum, & mare Occiduum habitant nationes, omnium bellicosissimas* fuisse, Græca oratione prima in laudem Constantii Imperatoris confirmat Julianus Apostata.

c *Qui Anno Christi 140. vixit.*
Sleswick Frisones.
d *Wick Germanicè portum, seu securam stat onem denotat, ubi conjunctioribus ædificiis habitatur.*

Vetus itaque Saxonia non Westphalia est, ut quidam putaverant (*e*), sed ea, quæ Bedæ, Asserii Menevensis, & Ethelwerdi tempore *Ealdsexe*, sive antiquorum Saxonum regio, & à situ citra Albin fluvium Boream versus Nortalbingorum, & Transalbianorum Saxonum sedes cognominata est, & Holsatiæ Ducatus hodie appellata, quæ Holsatiam propriè dictam, Dithmariam, & Wagriam in se complectitur. In latitudine à Sleswicensi

Franci.
Saxonia vetus.
e *Theodericus Engelhusius, Wernerus Laerius, Albertus Krantzius. Maginus, & alii recentiores.*
Holsatia.

censi urbe ad Hamburgum Stormariæ Metropolim in longitudine ab Oceano Occidentali Germanico ad sinum Balthicum Orientalem protenditur. *Latitudo, & Longitudo veteris Saxoniæ.*

Inter Saxoniam veterem, & Jutiam Sleswicensis Ducatus est, in quo inter Sleswicum, & Flemsburgicum sinum provinciola est Angel, vel Anglen adhuc etiam ab incolis appellata. Ex hoc Ducatu, cujus metropolis Sleswicum Angli prodierunt. Quem tractum; Anglis emigrantibus, V. Bedæ ætate desertum Jutæ postea occuparunt. Indeque Sleswicensis ducatus olim etiam Ducatus Jutiæ dicebatur, & hodie intra Meridionalis Jutiæ terminos totus comprehenditur. *Anglia vetus in Sleswicensi Ducatu.*

Jutia illa, seu Gothia regni Danici membrum notissimum, unde Gothorum regis titulum rex Daniæ retinet, etiamnum Danis Juitland dicitur in superiori Cimbricæ Chersonesi parte. *Jutia.*

Angli, Saxones, & Jutæ hi sunt, Germaniæ Septentrionalis populi maritimi, qui Angliam in Britannia sibi subegerant, modò Angli, modò Saxones communi nomine tum dicti, quos nostrate idioma antiquitus, & adhunc usque diem Saxones, & Angliæ regnum Saxoniam appellat.

Saxonum gens rei maritimæ peritissima pandis myaparonibus, quos *Ciulos* dixerunt, Britanniæ & Galliæ maritima ad Hispaniam usque diu affligebant, adeo ut adversus eos præsidio opus esset Romanis sub titulo *Comitum littoris Saxonici per Britanniam & Galliam.* Francos quoque iis conterminos, æquè ac Saxones per Belgicæ, & Armoricæ tractum, Diocletiano imperante, mare infestasse testatur Eutropius (*f*).

Quo tempore in Britanniam sunt advocati *agilem fuisse piratico in opere gentem Saxonum in totâ maritimâ à Rheno fl. usque in Doniam urbem, quæ vulgo Danmarc nuncupatur*, affirmat Fabius Ethelwerdus. Quæ

(*f*) *Histor. Rom. l. 9. vixit. Anno 330.*

fuerit illa Donia, non conſtat; ſed per maritimam illam Danmarc nuncupatam Cimbricam Cherſoneſum intelligit; & omnes illos populos, qui Jutiam, Sleſwicum, Holſatiam, Epiſcopatum Bremenſem, Comitatum Oldenburgenſem, Friſiam utramque, & maximam Hollandiæ partem inſederunt, in Saxonum nomen eo tempore coalitos comprehendere videtur. Cæterum Saxones non antè in Auſtrum extra fines priſtinos egreſſi ſunt quam Franci in Galliam, & Angloſaxones in Britanniam commigrarunt.

Saxonia hodierna.

Poſt has vero immigrationes Albim tranſvecti in oras inter Albim, & Rhenum à Francis derelictas paulatim demigrarunt: poſtmodum temporis tractu ad interiora Germaniæ penetrantes in Swevorum ſedes conceſſerunt; quæ hodiernæ Saxoniæ Ducatus appellatur, in ſuperiorem, & inferiorem diviſus. Inferioris pars olim fuit Holſatiæ Ducatus Saxonum veterum patria, ſed ad Daniæ regem nunc ſpectat, ratione cujus imperium agnoſcit.

CAPUT. LXXXI.

Crimthannus filius Fidachi centeſimus trigeſimus quartus Rex Hiberniæ.

Anno. 366.

CRimthannus filius Fidachi Heberio è femine Achaio Mogmedonio ſororio ſuo Temoriæ extremum diem quietè claudenti ſubſtituitur Rex Hiberniæ annis tredecim. Tranſmarinis expeditionibus in Gallia, & Britannia memorabilis erat: uxorem habuit Fidengam è regio Connactiæ ſtemmate, ſed nullam ſobolem reliquit.

Anno

Anno Crimthanni in Hibernia regnantis tertio 369.
Theodoſius Theodoſii Imp. pater Comes Hiſpanicus Militiæ præfectus ſub Valentiniano Imp. in Britanniam appulſus Pictos, & Scotos domuit; recuperatamque provinciam ad Dunbritannicum, & Edenburgicum ſinum limitatam, quæ in ditionem ceſſerat hoſtium ita redidit ſtatui priſtino, ut & Rectorem haberet legitimum, & ex Valentiniano Imp. Valentia vocaretur.

Crimthanni regis abavus Fiachus Latus vertex rex Momoniæ duos Olillos genuit Flannmor & Flannbeg cognominibus diſtinctos. Olillus Flannmor rex Momoniæ ſobolis expers Olillum Flannbeg fratrem adoptavit. Olillo Flannbeg regi Momoniæ ſupererant Achaius rex Momoniæ, Darius Kearb, ex quo O Donnawan, Lugadius, & Eugenius. *Momoniæ reges* *O Donnawan.*

Darius Kearb præter Fidachum Crimthanni regis, & Mongfinnæ reginæ Hiberniæ patrem genuit Fiachum Figente, & Achaium Liathanach, ex quo Hyliathan in agro Corcagienſi. Fiacho Fingente nomen, & originem debet Hy-figenta regio olim variis principibus celebris in media Momoniæ planicie uſque ad medium montis Luachra in Kierrigia ad Auſtralem Sinanni fluminis ripam; licet hodie hoc nomine vix nota, ſed Limericenſis comitatus planities appellata. De hac regione, & Corcoiche plebe fuit S. Molua divo Bernardo (o) Luanus clarus S. Comgalli diſcipulus, cujus monaſterium celebre Cluanfertenſe in Regionali agro, & Lagiſiâ ad radicem montis Smoil, qui mons Bladma dicitur. *Hyliathan.* *Hyfigenta.* o *S. Bern. in vita S. Malachiæ.* *S. Luanus.*

Eugenio [85] filio Olilli Flannbeg abnepos extitit alius Eugenius [89] ſex Sanctorum pater, qui ita in vita, & poſt mortem ſignis & virtutibus claruerunt, ut ſingulis pia poſteritas Cœleſtes decreverit honores. 85. *Eugenius.* 86. *Diermitius.* 87. *Muredac.* 88. *Murchad.* 89. *Eugenius.*

Hi

90 S. Cormac. Cujus vita apud Colgan. 26. Mar.

Hi ſunt S. Cormacus (*p*), S. Becanus de Kilbocan in Muſcrigia, S. Culanus de Glenn-caoin in Hy-lughaidh in Momonia, S. Evinus de Roſm-hic treoin, S. Diermitius de Kilmac-neoguin in Carbria Sligoenſi, & S. Boetanus de Kilboedan in Dalaradia.

Caſilia aliis Caſſelia.

Corcus Olilli Flannbeg ex Lugadio filio nepos rex Momoniæ, & regum Momoniæ ſtirps primus Caſiliæ regiam fixit in jam Tiperariæ comitatu. Corca-eathrac dicitur regio, in qua ſita eſt, quam Amergini filii Mileſii poſteri olim tenebant à *Tipraid-farann* juxta Monaſterium S. Crucis Huachtar-lamhann dictum ad Dunandreas, & Borealem partem de Knockgrafann in longum protenſam.

Tiperaria.

Daela filia Fiachrii Muſcrigiæ domini Corcum noverca deperiit: ſed ad patris torum violandum omnes irritæ erant illecebræ: quamobrem illa privignum in thalamo ſuo compreheníum vim ſibi intuliſſe inclamavit. Unde Corcus à patre ablegatus in Albaniam contendit; ibique ex Feradachi Pictorum regis filia Mongfinna, quam duxit, tres filios ſuſcepit, viz. Manium Leamhna, ſeu Levinium, à quo genus traxerunt priſci Leviniæ Comites in Scotia, Carbreum Pictum, qui & Carbreus Luachra nuncupatus, apud Luacariam Kierrigiæ montem in Momonia nutritus, à quo Eoganact, ſeu Eugeniadæ de Loch-lén, unde O Murcherty ſatus in Momonia; & Eoganact de Moygerrginn in Marria Scotiæ comitatu oriundi, & Cronanum, qui in Hiberniam adveniens tricenariam, ubi Bruighin-da-chocca jacet, cum Carchia uxore obtinuit Cuircniam ab ea nominatam, quæ hodie Kilkenniæ baronia in Weſtmidia eſt.

O Murcherty.

Cuircnia.

Lennox.

Levinia (contracte Lennos, & Lennox) juxta Dunbriton in Scotia regio ſita eſt, ab irrigante Levino fluvio nomen ſortita. Hic fluvius e Lacu Lomundo

pro-

profluens lingua vernacula Leavuin (Cujus nominis alius in Momonia fluvius (& regio Moylea una i. Levini campus appellatur: cujus Dynaſtiæ titulus Mormhaor Leavna, hoc eſt magnus Leviniæ Queſtor Manii Levinii poſteris antiquitus adhæſit. Cujuſmodi dignitatis titulum in Scotia olim uſitatum ita explicat Buchananus (*u*), *Superioribus ſæculis præter Thanos, hoc eſt præfectos regionum, ſive Toparchas, & Queſtorem rerum capitalium nullum honoris nomen Equeſtri ordine altius fuerat, quod apud Danos obſervari adhuc audio:* & ſubjicit; *Nunc ſermone Anglico patrium ſuperante, regionem Thani pleriſque in locis Stuarti vocantur, & qui illis erat Abthanus, nunc Stuartus Scotiæ nominatur. Paucis in locis vetus Thani nomen adhuc manet.* Thane, ſeu Thegne Angloſaxonica vox miniſtrum; Stuart, ſeu Steward Anglica etiam vox quæſtorem ad recipendos proventus, ut & Scoticè *Maor* communi acceptione denotant, & ad eundem ferè ſenſum collineant. Verum alio diverſo ſenſu heic ad honoris, ac dignitatis titulum reſtringuntur, ſecus quam Cambrenſis Everſi author, (*w*) & alii ſenſerunt, ſtaque regionum Toparchæ in Scotia *Maor* i. Queſtoris, & majorum gentium Mormhaor i. magni Queſtoris titulo inſigniebantur: deinde Angloſaxonum viciniorum uſu Thani, & grandiores fortaſſe Abthani dicti ſunt: denique temporis tractu *Maor* in ejuſdem ſignificationis Anglicam vocem Stuartum vertitur. Malcolmus 2. circa annum 1020 diſtribuit totam terram regni Scotiæ in Baronias, & ſingulis Baronibus *Foſſam*, & *Furcam* conceſſit, quo jure in reos ſuis ditionibus animadverterent viros *Furcâ* ſuſpendendo, & fœminas *Foſſâ* demergendo. Barones vero illos non alios, quam qui antè Thani dicti ſunt, fuiſſe non ambigendum eſt, juſque illud in hominem capita, quo Thani pridem potiti

Mormhaor.

u *Rerum Scoticarum libro.* 6. *de quo etiam vedeſis Heſt. Bort. lib.* 11 & 12.

Thane Steward.

w *p.* 250.

titi ſunt, Baronibus confirmatum: e quibus majorum gentium Barones Mormhaor dicti quinquaginta circiter abhinc annis à Malcolmo 3. Comites creati

In Cluantarvenſi prœlio ad ann. 1014. à Briani regis Hiberniæ parte deſideratos legimus Donaldum filium Evini filii Canichi Mormhaor Mair, & Muredachum Mormhaor Leavna: ab hoc priſcos Marriæ Comites, Carbreo Picto ſatos; ab illo Leviniæ Comites Manii Levinii poſteros oriundos cenſendum eſt. Extant apud Seldenum (*x*) Willielmi regis Scotorum literæ patentes Anno 1171 Morgundo Comiti de Marre filio Gillocheri quondam Comitis de Marre conceſſæ.

x *Selden. Honor. titul. par.* 2. c. 5. l 2. p. 848.

Verum Thani Nomen non adeo fuit abolitum, quin fuerint aliqui à Comitibus, & Baronibus diſtincti, ut in dictarum jam literarum præfatione; *Epiſcopis, Comitibus, Abbatibus; Prioribus, Baronibus, Militibus, Thanis & Præpoſitis:* & poſtea *per Barones, Milites, & Thanos Regni mei.* Unde ſupra Buchananus; *Paucis in locis vetus Thani nomen adhuc manet.* Sed ab his honorum titulis ad Leviniam revertamur.

Donnchadus (Duncanum vocant) ultimus ex hoc ſtemmate Leviniæ Comes, regnante in Scotia Roberto (*a*) 2 abſque virili ſemine deceſſit, & filiarum una Alano [117] Stuarto Roberti regis agnato nupta Leviniæ Comitum titulum poſteris tranſmiſit mater Joannis Comitis Leviniæ ac Roberti, quem ob bellicam virtutem Galliæ rex Carolus (*b*) 6, Scoticæ cohortis tribunum, ac D'aubignii in Avergne dominum creavit. Joannes Comes Leviniæ proavus fuit Matthæi Stuarti Leviniæ Comitis, cujus ex Henrico filio nepos Jacobus [123] 6. Scotiæ, & inde M. Britanniæ & Hiberniæ rex, ac Britanniarum regum progenitor, qui poſt obitum patrui ſui Caroli Leviniæ comitis Anno 1579, & propatrui Roberti Cathaniæ Epiſcopi, Leviniæ quoque,

a *Anno.* 1379. *Capit.*

b *Anno.* 1380 *capit.* 1422. *obiit.*

117. *Alann. Stuart.*
118. *Joannes.*
119. *Matthæus*
120. *Joannes.*
121. *Matthæus*
122. *Henricus.*
123. *Jacobus, Rex M. Britanniæ.*

que, ac Marchiæ Comitis hunc comitatum in Lennoxiæ Ducatum erexit, eoque titulo propatrui ſui Joannis D'aubignii in Gallia domini filium Eſmeum D'aubignii dominum ornavit, ejuſque filium Lodovicum Lennoxiæ ducem Anno 1614 Richmondiæ in Anglia Comitem fecit, ac poſtea Richmondiæ ducem, eoque improli decedente fratrem Eſmeum Anno 1619 Lennoxiæ, & Richmondiæ ducem ſubſtituit. Atque hæc de Manii Levinii progenie, à quo ad patrem iterum Corcum ſtylum convertamus.

Corcus patriam repetens Achaio patruo ſucceſſit rex Momoniæ, & ex Ænea Bolg Corcalaidiæ principis filia Abinda Natfraichum, & Caſſium procreavit. Natfraichus Momoniæ itidem rex Æneam primum Momoniæ regem Chriſtianum, & Olillum procreavit; de quibus ſuo loco. A Caſſio O Donnochi, & O Mahoni originem duxerunt. *M. moniæ reges.*

Poſt Corcum è vivis ſublatum Crimthannus rex Hiberniæ Conallo Each-luath, ut refert Ketingus, (*c*) quem ſibi filium adoptavit Cormaci Cas [82] regis Momoniæ adnepoti Momoniæ principatum tradidit. Verum in pomate regum Momoniæ inter eos non numeratur. (*c*) *Keting in regno Crimthanni. O Donoch. O Mahon.* 82. *Cormac. Cas Mezan.*

Crimthanno regi mortem intulit veneno apud Iniſdorn-glas Muadii fluminis inſulam Mongfinna ſoror, ut Brianus filius, quem unicè diligebat, maturius regnandi initium faceret, ſed execrabili facinori ſucceſſum abnuit Deus; neque enim Brianus, nec ullus è ſemine Briani Rex Hiberniæ evaſit præter Rodericum ultimum regem, ejuſque patrem Tordelvachum. Illa etiam veneno, quod fratri propinavit in inſula extincta eſt; & fratrem inde in Momoniam properantem apud *Regii obitus montem* cis Limericum tabes per artus diffuſa abſumpſit. Agrippina (*d*) Imperatrix Claudio patruo, Mongfinna regina fratri ſe veneficam exhibuit: *rex M. capite 69.* 83. *Mogeorbus. R. Momoniæ cap.* 70. 84. *Fercorbus.* 85. *Æneas Tire.* 86. *Lugadius Mean.* 87. *Conallus Earbluath. Anno.* 379. *Stirps Ogigiæ antiq.* (*d*) *Supra par.* 2. *ad an.* 59.

utraque ſobolis in imperio perennandæ gratia: hæc filii Neronis, illa manu ſua ſcelus luit: Nero Cæſarei Sanguinis poſtremus; Mongfinnæ è filiis nullus, Rodericus Hibernici ſanguinis ultimus rex Hiberniæ.

Horat. lib. 3. Ode. 2.

Rarò antecedentem ſcelestum
Deſeruit pede pœna claudo.

CAPUT. LXXXII.

Tuamonii.

86. *Lugad. Meann.*
87. *Conall Echluath.*
88. *Cas.*
89. *Blod.*

LUgadius Meann Conalli, de quo capite præcedenti, pater terras inter Limericum urbem, & Edgam montem (quas comitatum de Clare dicimus) Sinanno fluvio à Momonia, & ſinu Galvienſi à Weſtconnactia ſeparatas Connactiæ ademptas Tuamoniæ, hoc eſt Borealis Momoniæ Nomine ſibi, ac poſteris Dalcaſſiis acquiſivit. Dalcaſſiorum itaque fines à Cuculandi ſaltu propter Oceanum Occidentalem in Tuamonia ad Oſſoriæ limites; & ab Edga monte agri Galvienſis in confinio ad Eblinnam montem protendebantur. Caſſius Conalli ejuſdem filius à nutricii ſabri Dolabra Mac-tail cognominatus Dalcaſſiorum ſtirps, à quo etiam poſteri Clann-tail appellati, duodecim filios progeneravit. 1. Blodium ſc. 2. Caſſinum, 3 Lugadium Cognomento Dealbh-aodh 4. Sednæum, 5. Æneam Kennathrach, 6. Cormacum quem ſobolis expertem legimus, 7. Carthennium, 8 Cannicum, 9 Æneam Kennatinn, 10. Aidum 11 Loskinnum, & 12 Noemum. Ab Ænea Kennathrach O Dea de Oſcarmaio, & ab Ænea Kennatinn fratre O Quin & Clanniſernain prodierunt: à Noemo Begus filius De.

O Dea.
O Quin.
Clann ſernain.
Begus filius De.
Delvinii.

Lugadii Dealbh-aodh ſoboles Delvinii à patris cognomen-

nomento dicti ſeptem Delvinias extra Dalcaſſiorum terminos, & ſibi invicem minimè contiguas in Midia, & Connactia erexerunt, viz Delviniam Magnam, Delviniam Parvam, Delviniam Eathra, & Delviniam Teannmoy in Midia. Delviniam Nuadhat, Delviniam de Cuilfabhair, & Delviniam Feadha in Tir-daloch hoc eſt in Terra duorum lacuum in Connactia.

Sigdeus [93] Lugadii abnepos Treonium, ex quo Mac-Coghlan Delviniæ Eathra, quæ ad Regium nunc ſpectat comitatum, dominum, & Lugadium, ex quo O Finnallann Delviniæ Magnæ dominum, ſuſcepit. Delviniam Magnam verò, expulſis O Finnallanis, primo Anglorum incurſu Hugo Lacæus Midiæ ſubactor Gilberto de Nugent conceſſit. Unde Nugentii Delviniæ Barones, qui nunc Weſtmidiæ Comites.

Mac Coghlan. *O Finnallan.* *Nugent.*

Sumandi filii Lugadii [89] poſteris Delvinia Nuadhat inter Succum, & Sinannum in Roſcomaniæ tractu obvenit, donec Imaniis ceſſerunt.

89. *Lugad. Delabhadh.* 90. *Boetanus.* 91. *Becus.* 92. *Andelacus.* 93. *Sigdeus.*

Gnomor, & Gnobeg duo filii Lugadii [89] inter Conmacnios Delviniam Feadha fixerunt ad Occaſum Galviæ inter lacum Loch-orbſen ab Aquilone, & Loch-lurghan ſinum Galvienſem ab Auſtro, Tuamoniam tribus maris leucis in Latitudine ſeparantem & in Gnomoram, & Gnobegam poſteri diviſerunt, quas hodie Baronia de Moycullinn complectitur. Ex Gnobego mac Conroii oriundi, qui ad noſtram memoriam agros in Gnobega tenuerunt ſub Clientela Flahertæorum, qui ab octingentis circiter hinc annis & Conmacniorum, & Delviniorum ibi dominium adepti ſunt.

Mac Conroii.

Blodio Caſſii natu majori, à quo poſteri Tuamoniæ domini Siol-mbloid dicti, erant quatuor filii, Carthennius Niger, Carthennius Candidus, Achaius, & Brendanus à quo O Hurly, & O Maldowny.

89. *Blod.* 90. *Carthan Fionn.* 91. *Achaius. Baildearg.* *O Hurly.* *O Maldowny.*

Carthennius [90] Candidus S, Patricio credidit, & apud Saingeal (hoc est Sain-aingeal Angeli apparitio) prope Limericum baptizatus est. Hoc circiter tempore Carthennii uxor carneam indigestam massam monstrosum fœtum enixa est: S. Patricius de misero casu monitus mandat, ut S. Benignus Episcopus postea Ardmachanus per baculum Jesu isti massæ benedicat, & in ea quasi formet hominis figuram, donec ipse Deo preces fundat; quibus finitis massam illam supremus artifex ad famulorum instantiam, & fidei in ea regione tunc teneræ confirmationem humanis artubus, ac lineamentis reddidit rectè formatam: Puer tum natus Achaius Balldearg vocatus est, i. e. vestigii rubei, vel artus rubei. *Ball* enim Hibernis idem est uliquando quod artus, vel membrum, aliquando quod vestigium: & *Dearg* idem quod rubeum. Mansit enim in ejus carne in testimonium miraculi quoddam rubeum vestigium.

O Cassin.
Clanncolen.
Macnemara.
O Grada.
Maglanchii.

A Cassino Cassii secundo genito tricenaria O Cassin nomen habet: à Carthennio filio Cassini sextus Colenus [96], ex quo Clann-colen, ad quem Mac Conmara, seu Cumarini (vulgo Macnemara) genus referunt O Cassin familiæ domini.

89. *Cassinus.*
90. *Carthennius*
91. *Fergalius.*
92. *Athlandus.*
93. *Eugenius.*
94. *Donngalius*
95. *Urthalius.*
96. *Colenus.*

Ex Achaio filio Cassini O Grada, & ex Cassino Maglanchii Dalcassiorum Judices sunt oriundi.

CAPUT.

CAPUT. LXXXIII.

Dalcaſſiorum Principes ad Brianum Regem Hiberniæ,

1 CArthennius Niger filius Caſſii Dal Caſſiorum Princeps adveniente in Hiberniam ad prædicandum S. Patricio.

2. Carthennius Candidus, primus Chriſtianus Princeps.

3. Æneas filius Carthennii Candidi, cujus quinque filii. 1. Ronanus, 2. Feradachus, 3. Falbeus, 4. Moenachus, & 5. S. Dima Epiſcopus Connerenſis; de quo Colganus ad 6. Januarii.

4. Achaius Balldearg à S. Patricio animatus Æneæ frater.

5. Cormacus alius frater.

6. Conallus [92] filius Achaii Conallo frater S. Brecanus de Arann Breſſalius prius dictus.

7. Aidus Flanncathrach è ſemine Fiachi Lativerticis.

8. Aidus [93] filius Conalli primus ex hac familia rex Momoniæ Chriſtianus, cedente Aido Nigro filio Crimthanni è ſemine Lativerticis. Aido [93] huic S. Brendanus Cluanfert Synchronus, S. Moluanus Leproſus frater, Carthennius filius, & ex Cathaldo filio nepos S. Theodoricus [95] Dalcaſſiorum princeps, ſed ob ſpretos Sæculi honores Liſmoræ monachus factus in catalogo omiſſus, SS. Fannani Epiſcopi Laonenſis, & Aidani pater, & per Mathgamanium [96], Achaium, & Algenanum O Mearium ſatorem filios Theodoricianæ

91. *Achaius Balldearg.*
92. *Conallus.*
93 *Aidus Caomh.*
94. *Cathaldus.*
95. *S. Theodericus.*
96. *Mathgamanius.*
97. *Anluanus.*
98. *Corcus.*
99. *Laclna.*
100. *Lorcanus.*
101. *Linnedius*
102. *Brianus.*
R. H.

O Mearii

doricianæ familiæ. i. Hy-tordhealvay, progenitor.

1 Fonanán.
89. *Cassinus.*
90. *Achaius.*
91. *Brendanus.*
92. *Finanus.*
93. *Ferdinandus.*
94. *Dominicus.*
95. *Olillus.*
96. *Ectigernus.*
97 *Donaldus.*

9 Ferdinandus [93] Cassini filii Cassii abnepos.
10. Dima Æneæ n. 4. ex Ronano filio nepos.
11, Dominicus 1. Fergomáć Dimæ filius.
12. Andlius Dominici frater.
13. Dubdunius alius frater.
14. Kernachus Andlii filius.
15. Torpachus Kernachi filius.
16. Donaldus [97] Dominici pronepos.
17. Finnacta Donaldi frater.
18. Cormacus filius Donaldi [97].
19. Rebachanus filius Mothlaii, ultimus è stirpe Æneæ n. 3.

O Hogan.

20. Lorcanus, [100], cui S. Theodoricus [95] atavus, pater Cosgrachi, cujus ex Ectigerno filio nepos Oganus, ex quo O Hogan.
21. Kinnedius Lorcani filius, qui duodecim filios progenuit; è quibus Donncuanus pater Kinnedii, ex quo O Kennedii Ormoniæ dominus, & Riagani, ex quo O Regan, & Ectigernus, cujus ex Flanno filio nepos Mac-Craith poeta Mac-crathiorum in Tuamonia pater.

O Kennedi.

Grianán lachtna deccraig leith.

22. Lactna Kinnedii patris successor tres annos, à quo Grianan Lachtna apud Creig-leith.
23. Mathgamanius filius Kinedii Rex Momoniæ; à quo O Beollan, O Hanrachan, O Cahasy, O Sbillan, & O Sidhachan originem duxerunt.
24. Brianus filius Kinnedii Rex Momoniæ, & Hiberniæ.

CAPUT.

CAPUT. LXXXIV.

S. Patricii nativitas, parentes, & patria.

CRimthanni in Hibernia regnantis Anno ſeptimo, S. Patricius, patre Calphurnio diacono filio Potiti præſbyteri, matre Concheſſa, S. Martini Turonenſis ex ſorore nepte, ex antiquis Britonibus, quorum reliquiæ nunc in Wallia Cambri, & in Britannia Armorica Britones ſuperſunt, priſcis Magnæ Britanniæ indigenis oriundus in extremis Britannorum finibus non procul à caſtro Dunbritannico in lucem editus eſt. Hinc variæ de patria ejus exortæ ſunt ſententiæ. Illum in Britannia Minori Armorica Galliæ regione natum quidam tradunt eo fortaſſe obtentu, quod è patria ſua iſtuc cum parentibus commigraverit; unde mater ejus prodiit, & ipſe in Hiberniam captivus abductus: Britanniæ quoque æquivoco vocabulo ſuffragante. Alii Anglum, quod Angloſaxonum imperium ad illum limitem poſtea prolatum fuit: quia vero tractus ille terræ inter Citeriorem, & ulteriorem Romanorum limitem, in cujus extremis limitibus S. Patricius natus, decurſu temporis ad Scoticum regnum conſtituendum, cujus hodie pars præcipua eſt, acceſſit, & in antiquis Bedæ, Uſuardi, Rabani, & Adonis martyrologiis; 16. *Kalendas Aprilis in Scotia natale S Patricii* annotatum eſt, inde factum, ut aliqui Scotum eum fuiſſe dixerunt, quum tamen, ut Natalis nomine non ortus, ſed obitus, ita etiam Scotiæ vocabulo non hodierna, qualis tunc nulla, ſed Hibernia deſignetur.

Hiber-

Hibernici Occidentalis Oceani Sinus permaximus in Britannicas terras longo ſpacio ab Occidente erumpit, qui antiquitus gentem Britonum à Pictis ſecernebat, ulterior quippe Romanorum Limes ab Agricola conſtitutus, in cujus Septentrionalem partem Scoti diu poſt ex Hibernia advenientes ſibi locum patriæ fecerunt. Huic freto imminet in editiſſima, & prærupta rupe arx celebris Dunbriton hinc Cluida, illinc Levino incincta. Cluida vero fluvius eſt Tacito Glotta, qui per Glaſcuenſem ſedem Archiepiſcopalem delabitur, & in ſinum Dunbritannicum exoneratur. Ab hoc fluvio Dunbriton olim Arcluid i. ſupra Cluidam, vel Alchuid i. Petra Cluide, & ab Alcluid arce Alcluidenſis regio, ſeu vallis (nunc Cluideſdale) dicebatur. In qua infra Dunbriton eſt Taburniæ campus, ubi Nemthor oppidum extitit glorioſi pontificis Patricii natali, & pueritia inſigne, uti vetuſtiores vitæ Scriptores atteſtantur.

Quinimo eam regionem Britones occuparunt ad annum uſque 756, quo Eadbert, ſeu Egbertus rex Nordanhumbrorum, & Oengus, ſeu Æneas rex Pictorum Alchidenſem urbem Dunbritannicam, ejectis Britonibus, Kalendis Auguſti in deditionem receperunt.

CAPUT.

CAPUT. LXXXV.

Niellus Magnus Centesimus trigesimus quintus, Rex Hiberniæ.

Nlellus Magnus Achaii Mogmedonii regis è Carinna Saxonica filius post Crimthannum regem è vivis sublatum declaratur rex Hiberniæ, septennio supra viginti annos. *Anno.* 379.

Nielli regis anno quarto Clemens Maximus natione Hispanus in Britannia à militibus Anno 382 Imperator constitutus Pictis, & Scotis incursantibus strenuè domitis, militares Britonum copias in Galliam transvexit, & Gratianum Imp. imperio, & vita Lugduni spoliavit 25 Augusti. 383.

Eodem Anno S. Patricius cum parentibus ex Alcludensi regione in Armoricam, trajecto Muirnict, sive mari Ictio, quod Galliam, & Britanniam interfluit, commigrans inter matris cognatos vixit.

Anno Nielli regis nono Clemens Maximus Britanniæ & Galliæ tyrannus à Theodosio Imp. occisus est 27 Augusti 388.

Quo Anno S. Patricius sedecim ferè annos natus cum plurimis captivis ex Armorica in Hiberniam deductus est. De quo ita author quidam incertus vitæ S. Patricii tribus libris conscriptæ, (*a*) *Scoti de Hibernia sub rege suo Neill Naighiallach* (*b*) *multum diversas provincias Britanniæ contra Romanum imperium regnante Constantio filio Constantini devastabant: Contere-re incipientes Aquilonalem plagam Britanniæ. Et post tempus bellis, & classibus Hibernienses expulerunt habi-*

a *Apud Usser de Brit. Eccl. Primord. pag.* 587.
b *Sc. Niello regi, de cujus hoc cognomento infra.*

Hibernici Occidentalis Oceani Sinus permaximus in Britannicas terras longo ſpacio ab Occidente erumpit, qui antiquitus gentem Britonum à Pictis ſecernebat, ulterior quippe Romanorum Limes ab Agricola conſtitutus, in cujus Septentrionalem partem Scoti diu poſt ex Hibernia advenientes ſibi locum patriæ fecerunt. Huic freto imminet in editiſſima, & prærupta rupe arx celebris Dunbriton hinc Cluida, illinc Levino incincta. Cluida vero fluvius eſt Tacito Glotta, qui per Glaſcuenſem ſedem Archiepiſcopalem delabitur, & in ſinum Dunbritannicum exoneratur. Ab hoc fluvio Dunbriton olim Arcluid i. ſupra Cluidam, vel Alchuid i. Petra Cluide, & ab Alcluid arce Alcluidenſis regio, ſeu vallis (nunc Cluideſdale) dicebatur. In qua infra Dunbriton eſt Taburniæ campus, ubi Nemthor oppidum extitit glorioſi pontificis Patricii natali, & pueritia inſigne, uti veruſtiores vitæ Scriptores atteſtantur.

Quinimo eam regionem Britones occuparunt ad annum uſque 756, quo Eadbert, ſeu Egbertus rex Nordanhumbrorum, & Oengus, ſeu Æneas rex Pictorum Alchidenſem urbem Dunbritannicam, ejectis Britonibus, Kalendis Auguſti in deditionem receperunt.

CAPUT.

CAPUT. LXXXV.

Niellus Magnus Centeſimus trigeſimus quintus, Rex Hiberniæ.

Nlellus Magnus Achaii Mogmedonii regis è Carinna Saxonica filius poſt Crimthannum regem è vivis ſublatum declaratur rex Hiberniæ, ſeptennio ſupra viginti annos. *Anno.* 379.

Nielli regis anno quarto Clemens Maximus natione Hiſpanus in Britannia à militibus Anno 382 Imperator conſtitutus Pictis, & Scotis incurſantibus ſtrenuè domitis, militares Britonum copias in Galliam tranſvexit, & Gratianum Imp. imperio, & vita Lugduni ſpoliavit 25 Auguſti. 383.

Eodem Anno S. Patricius cum parentibus ex Alcludenſi regione in Armoricam, trajecto Muirnict, ſive mari Ictio, quod Galliam, & Britanniam interfluit, commigrans inter matris cognatos vixit.

Anno Nielli regis nono Clemens Maximus Britanniæ & Galliæ tyrannus à Theodoſio Imp. occiſus eſt 27 Auguſti 388.

Quo Anno S. Patricius ſedecim ferè annos natus cum plurimis captivis ex Armorica in Hiberniam deductus eſt. De quo ita author quidam incertus vitæ S. Patricii tribus libris conſcriptæ, (*a*) *Scoti de Hibernia ſub rege ſuo Neill Naighiallach* (*b*) *multum diverſas provincias Britanniæ contra Romanum imperium regnante Conſtantio filio Conſtantini devaſtabant: Contere-re incipientes Aquilonalem plagam Britanniæ. Et poſt tempus bellis, & claſſibus Hibernienſes expulerunt habi-*

a *Apud Uſſer de Brit. Eccl. Primord. pag.* 587.
b *Sc. Niello regi, de cujus hoc cognomento infra.*

tatores terræ illius; & habitaverunt ipſi ibi, (c) deinde aliquibus interjectis, *Ductus eſt itaque S. Patricius ad Hiberniam captivus, Anno primo regni Juliani Imp: Apoſtatæ, qui regnavit poſt Conſtantium; anno autem nono regni Neill Naighiallach regis Hiberniæ, qui 27 annis potenter regnavit, quique Britanniam & Angliam uſque ad mare quod eſt inter Galliam, & Angliam* (d) *multum devaſtavit, ibique in bello cecidit.* Idem author ex libris Epiſtolarum S. Patricii *hæc citans* (e), *Annorum eram tunc ferè ſedecim,* illum annorum ſedecim tum fuiſſe concludit, & librum tertium ſic exorſus eſt. *Anno nono regni Theodoſii Imp. qui poſt Honorium regnavit, anno quarto Loegarii filii Neill regis Themoriæ* (f), *anno autem ſexageſimo ætatis ſuæ miſſus à Cœleſtino Papa ad prædicandum in Hiberniam beatiſſimus Archiepiſcopus Patricius venit* (g). Ubi annum decimum ſextum ætatis S. Patricii cum nono regni Nielli, *quo ductus eſt ad Hiberniam captivus,* & ſexageſimum ætatis, quo *miſſus à Cœleſtino in Hiberniam venit* cum 4° Loegarii, & 9° Theodoſiii (poſt Honorii patrui 15 Auguſti, Anno 432 decedentis obitum) quam accurate conjungit: à nono enim Nielli & Chriſti 388 ad quartum Loegarii, nonum Theodoſii, & Chriſti 432, anni 44 intercurrunt; uti à 16 ad 60 ætatis S. Patricii. Ab anno autem Theodoſii ejuſdem nono, & Chriſti 432 ſubductus 44 Juliani primus, ut ille ſupputat, non occurrit: annus enim Juliani primus, fuit Chriſti vulgaris 361, quo Achaius Nielli pater regnavit in Hibernia: & illius temporis Scotorum in Britanniam excurſiones, de quibus ſupra, Achaio in Hibernia Conſtantio filio Conſtantini, & poſt eum Juliano in imperio regnante, cum Nielli excurſionibus confundendo lapſus videtur.

In hoc verò divini numinis providentia mirabiliter eluxit; ubi ſedecim annorum puer, quâ ætate olim

c *Nempe long poſt Niellum tempore Patricidini ex Hibernia de quib. V. Beda Hiſt. l. 1. cap. 1.*

d *Niſi Anglia ibi ab alio pro Britannia interſerta ſit, videtur author vixiſſe poſt ann. 827 quo Angliæ nomen vulgo creditur indi tum.*

e *Uſſer ibidem p. 829.*

f *Temoria Hiberniæ regia.*

g *Uſſer ibidem 815.*

lim Joſeph in Ægyptum venundatus, (*h*) procul à ſuis in duram ſervitutem abreptus, ut linguam peregrinam ediſceret, quâ olim egregius Evangelii præco populum illum à Zabuli ſervitute liberaret. Sicut Moſes ſiſcellæ expoſitus, inde in aula regia diſpoſitus, & ingenuis artibus eruditus, tandem gementis ſub jugo populi Soſpitator deſtinatus eſt. Quod flagellum grano, fornax auro, lima ferro, torcular uvæ, prelum olivæ, idem juſtis caminus tribulationis.

h *Gen.* 37. 2. *ut habet editio vulgata Latina. Hebraica verò, Græca, Samaritana, Chaldaica, Syriaca, & reliquæ habent* 17 *annorum Joſephum fuiſſe. Uſſer. p.* 828. *loco ſuprà cit.*

Nielli Theodoſio primo ter, & Abundantio Conſulibus, ut in Chronico Florentii Wigornienſis, *Britannia*, ut de illius excidio Gildas (*i*) *duabus primum gentibus tranſmarinis vehementer ſævis Scotorum à Circio, Pictorum ab aquilone calcabilis multos ſtupet, gemitque annos.*

Anno 393. *Anno* 14.

i *Uſſer. ibidem pag.* 593.

Eadem Gildæ verba repetens V. Beda (*k*) Subjicit; *Tranſmarinas dicimus has gentes, non quod extra Britanniam eſſent poſitæ, ſed quia à parte Britonum erant remotæ, duobus finibus maris interjacentibus.* Ubi ad Pictos, & Scotos ſuo tempore Britanniæ indigenas alludit. Verum non ad hos Scotos ſpectabat Gildas, quippe queis nulla tum in Britannia fixa ſedes, ſed ad Pictos quidem Britanniæ Aquilonaris, & Scotos, qui tunc temporis in Hibernia habitabant, qui rapiendi, atque prædandi ſpe in Britanniam quotannis tranſmittebant, ut Gildæ interpolator in Cantabrigienſis Bibliothecæ M. S. legendus annotavit. *Quia Scotti* inquit, *tunc temporis in Hibernia habitabant, & Picti in Scotia, id eſt, ab Aquilone.* Quos Scotos ipſe Beda cum in Chronico, tum capite 13 & cap. 14. libri 1. Hiſtor. poſt tertium Aetii (non Boetii) conſulatum, hoc eſt, poſt annum Chriſtianum 446, domum in Hiberniam reverſos fatetur, uti ad idem tempus ex Gilda verbatim hauſit; *Revertuntur Scoti*, ut in Chronico, *impudentes*

k *Bed. Hiſtor. lib.* 1. *c.* 12.

Uſſer ibid. m. pag. 593.

pudentes graſſatores Hiberni, ut capite 14, *domum.*

Advertendum etiam illud [Primum] Supra apud Gildam non de prima Scotorum, & Pictorum adverſus Britones, & Romanos in Britannia infeſtatione ſimpliciter poſſe accipi, ut ex variis in eos incurſionibus ante hac memoratis liquet; ſed de prima è tribus, quas ipſe Gildas explicat, calcationibus, infeſtationibus, ac diriſſimis depreſſionibus, quarum ſecundam, ab an. 425, tertiam ad an. 431 Uſſerius annotavit. (*m*) Harum prima vaſtatio eſt, de quæ author vitæ S. Patricii ſupra (*n*) meminit; *Scoti de Hibernia ſub rege ſuo Neill Naighiallach multum diverſas provincias Britanniæ contra Romanum imperium devaſtabant*, & de Niello ſubdit; *Qui Britanniam & Angliam uſque ad mare, quod eſt inter Galliam & Angliam multum devaſtavit.* Claſſis quoque Hibernicæ ad Britanniam hoc tempore appulſæ Cladianus meminit: ipſam ita loquentem inducens Britanniam.

m 7n. *Indice Chronologico ad an.* 393. 425 & 431.

n *hoc capite ad an.* 388.

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilicho, totam cum Scotus Jernen
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.

Claud. lib. 2. de Laud. bus Stilichonis.

Anno 395. Niello decimum ſextum regni annum agente, S. Patricius, poſtquam ſex annis porcarius inſerviiſſet in magna valle Arcail juxta montem Mis in Aquilonari parte Dalaradiæ ſeptimo anno liberatus, & ex Hibernia ſolvens ad ſuos reverſus eſt. *Gentilis enim ille populus*, ut in vita S. Patricii (*o*), *Solebat ſervos ſeptimo ſervitutis anno manumiſſos libertate donare, niſi ipſi ſponte velint amplius ſervire. Conſonat etiam*, ait Jocelinus, (*p*) *Sanctio legalis edicti liberationi, ac libertati S. Patricii: Sex enim annis ſervituti ſubjectum in ſeptimo decrevit lex libertati reſtituendum* (*q*). Sed cum illius

Arcail.

o Apud Colg. in Tr. Thaum. ſeptima par. 1. c. 21.

p cap. 16.

q Exod. 21. 2. Deuteron. 15. 12.

lius regionis dominus, Patricii herus Milchuo illum ſine lytro non dimitteret, apparuit Patricio angelus Victor cuſtos ejus, vel communis Scoticæ gentis tutelaris, ut habet Scholiaſtes Fieci, (*r*) & in loco Sciric Arcaile in præfata valle dicto maſſam auri à porcorum uno effodiendam, quam pro redemptione numeraret, indicavit. In quo loco Sciric-patruig Eccleſia poſita in Antrim comitatu adhunc uſque diem nomen ſuum retinet, & plurima peregrinatione, magnoque populi concurſu, & devotione frequentatur. Ubi impreſſa ſaxo apparentis Angeli veſtigia ad ſua tempora manſiſſe Fiecus Sleptenſis (*s*) Epiſcopus S. Patricii diſcipulus, Scholiaſtes citatus, (*t*) & vitæ ſeptimæ author (*u*) conteſtantur.

r *Num.* 7.

s *Cap.* 4. *vitæ S. Patricii.*
t *num.* 9.
u *par. i. c.* 22.

S. Patricio apud ſuos tum commoranti facta eſt viſio ea, quam ipſe dicitur ſcriptis mandaſſe in hæc verba: *Vidi in viſu nocte virum venientem de Hiberione,* (*a*) *cui nomen Victoricius* (*b*) *cum Epiſtolis innumerabilibus: & dedit mihi unam ex illis, & legi principium Epiſtolæ, continentem; Vox HIBERIONACUM;* (*c*) *& dum recitabam principium Epiſtolæ, putabam ipſo momento audire vocem ipſorum, qui erant juxta ſylvam Focluti, quæ eſt prope mare Occidentale: & ſic exclamaverunt, quaſi ex uno ore; Rogamus te Sancte puer, ut venias, & ambules inter nos. Et valde compunctus ſum corde, & amplius non potui legere, & ſic expergefactus ſum.*

a *Hibernia.*
b *Victor Hibernorum tutelaris angelus Tr. Thaumat. pag.* 17. *n.* 24.
c *Hibernigenarum.*

Illos autem, quorum voces juxta Sylvam Fochlaid in Tirawly apud Mayonenſes audiebat in viſu præfatus Fieci Scholiaſtes (*e*) narrat fuiſſe infantes tunc in utero matris exiſtentes, & exclamantes per viſum; *Hibernienſes omnes clamant ad te:* eaſque fuiſſe Crebream, & Leſſam filias Gleranni, quæ ab ipſo poſtea S. Patricio erant baptizatæ: & *hodie,* ait, *coluntur ut Sanctæ*

d *Uſſer. citat. pag.* 832. *ex Maccuthen.*

e *numero* 15.

Sanctæ: & in Eccleſia de Forchlann juxta Muadium fluvium ad Occidentem requieſcunt.

S. Germanus. S. Patricium, poſtquam ex Hibernia diſcederet, & apud S. Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum adhuc *S. Martinus.* Sœcularem aliquamdiu ageret, cum S. Martino avunculo quatuor annos vixiſſe, & monaſticum inſtitutum ab eo ſuſcepiſſe plures veteres, & graves tradunt Scriptores. Hac igitur ratione cum S. Martino verſatus eſt annis 398, 399, 400, 401. Nam Anno 401 S. Martinus *media nocte, quæ Dominica habebatur*, ut refert S. Gregorius Turonenſis, ex hac vita tranſiit, appropinquante feria 2, & Novembris die 11. Ad cujus exitum ab Evodii conſulatu, qui cœpit Kalendis Januarii, Anno Chriſti 386 ſedecim (*f*) annos numerat in S. Martini vita Severus Sulpitius ipſi familiaris.

f 386. 16. 402. *Kal. Januarii poſt S. Martini exitum.*

Hoc tempore extra Hiberniam floruerunt SS. Albeus, Declanus, & Kieranus, qui & S. Ibarus erant 4tuor Hibernici Epiſcopi, qui cum ſuis diſcipulis ante Patricium in Hibernia Chriſtum prædicarunt, & ſimul *S. Albeus.* cum eo in Evangelica meſſe laborarunt. S. Albeus à ſummo Pontifice ad quandam peregrinam gentem convertendam miſſus monaſterium ibidem conſtruxiſſe, & Sanctos filios Golli in eo reliquiſſe memoratur.

SS. Declanus, & Kieranus, Epiſcopi à ſummo Pon*S. Declanus.* tifice ordinati, & in Italia S. Patricio Romam tendenti, Anno 402 obvii facti in Hiberniam venerunt: u*S. Kieranus.* bi popularibus ſuis hic Deſiiis, inter quos Ardmoriam Epiſcopalem ſedem collocavit; ille Oſſoriis ſuis Sagiriæ ſede apud Helios poſita, Evangelium prædicavit; & uterque plurimos ad Chriſtum convertit. Lugacius etiam Columbanus, Meldanus, Lugadius, & Caſſanus S. Kierani ex Italia Comites quinque ſedes Epiſcopales in Lagenia obtinuerunt.

Anno 396. Septimo decimo Nielli regis Anno Romanæ militiæ

itiæ Magiſter Stilicho Britanniam adverſus Scotorum ex Hibernia irruentium, & Pictorum incurſionem munivit, Romana Legione in Limite ad eos propulſandos conſtituta, cujus poeta Claudianus in Epithalamio Palladii, & Celerinæ meminit, de Celerinæ patre loquens:

Sparſas imperii vires conſtringit in unum
Depoſitum: quæ Sarmaticis cuſtodia ripis,
Quæ ſævis objecta Getis, quæ Saxona frænet,
Vel Scotum legio, quantæ cinxere cohortes
Oceanum, quanto pacatur milite Rhenus.

Idem in Libro de bello Getico.

Venit & extremis legio prætenta Britannis,
Quæ Scoto dat fræna truci, ferroque notatas
Perlegit exanimes, Picto moriente, figuras.

Nielli anno regni vigeſimo quarto Stilicho legionem illam è Britannia in Italiam contra Alaricum Gothorum regem in Pollentino prœlio Conflicturam revocavit. In quo Stilichonem ita ſuos alloquentem introducit Claudianus: *Anno 403.*

Credite nunc omnes, quas dira Britannia gentes,
Quas Iſter, quas Rhenus alit, pendere paratas
In ſpeculis: uno tot prœlia vincite bello.
Romanum reparate decus, molemque labantis
Imperii fulcite humeris: hic omnia campus
Vindicat; hæc mundo pacem victoria ſancit.

Niellus rex ob potentiam, proſapiam, & progeniem Magnus, alio cognomento Naighiallach, hoc eſt; à novem

novem obſidibus appellatus, quod totidem regionibus ſubditis obſides imperarit. Sed non omnes exprimunt, quæ fuerint illæ regiones: præter Hiberniæ autem provincias, quæ inter eas recenſentur, reliquas oportet fuiſſe in Magna Britannia ac Galliæ maritimis, quas crebris incurſionibus infeſtavit, plurimis captivis, & ſpoliis ex utriuſque finibus abductis; ut ex ſcriptis de S. Patricii captivitate, eo rege, contingenti liquet: *Eo tempore quædam claſſis prædavit patriam, in qua S. Patricius erat, & multos inde captivos conſueto more ducebat: inter quos S. Patricius cum duabus ſororibus ſuis captivus ductus eſt ad Hiberniam* (a). *Item Scotenſis exercitus claſſe de more conducta, ſtipataque multitudine navium, cum frequenter tranſnavigaſſet in Britanniam. Et hoc idem ſolito faciens, caſus contulit, ut puer cum ſorore ſua inter alios captivos deprehenſus duceretur in Scotiam, qui etiam centum, annumerato utroque ſexu, erant* (b) ubi & ipſius S. Patricii teſtimonium ſubditur, *Ad Hiberniam abductus ſum in captivitate cum tot millibus hominum* (c) nempe diverſis vicibus abductis, ſed ſimul cum ipſo per Hiberniam mancipatis: Item; *In illo tempore claſſes Hibernienſium ad Britanniam cauſa prædandi tranſnavigare ſolebant* (d). Item *cauſa primæ peregrinationis, & adventus* S. Patricii *in Scotiam Scotigenarum claſſis cum Britanniam tranſnavigaſſet, multos ab eo captivos duxit* (e).

a *Opus Tripart. vitæ S. Patr. apud Uſſer: citat pag. 828.*

b *Vita 2. S. Patr. cap. 11. in Tr. Thaum.*

c *ibidem.*

d *Vita 4 c. 15. ibidem.*

Hiberniæ Monarchiam adeo ſibi peculiari jure poſteri perpetuarunt, ut omnes ferè ſequentes Hiberniæ reges ex illius fuerint ſemine procreati, præter multas inclytas familias, & longè potentes harum familiarum principes. Ex quo etiam ſtemmate vitæ ſanctimonia, & doctrinæ laude conſpicui, Sanctorumque Syllabo adſcripti ferè trecenti recenſentur.

e *Officium vetus S. Patr. in Hibernia in ejus feſto decantari ſolitum. Ibidem pag. 193. & 235. c. 2.*

Ejus poſteri Hy-nielli, ſeu Nelides in Auſtrales, ac Sep-

Septentrionalis diſtincti ex octo filiis deſcenderunt: quorum quatuor manſerant in Midia, quæ ex decreto Tuathalii regis immediatè ſpectabat ad regem actu toti Hiberniæ imperantem, donec inter Nielli regis filios erciſcebatur, utpote Laogarius, ex quo Hyloc garij (quorum olim dominus O Coindhealbhain) rex Hiberniæ & Lugadii regis Hiberniæ pater: Conallus Crimthann, ex quo ſeptemdecim Hiberniæ reges: Fiachus, ex quo O Molloy Ferakeall in Midia (ſed nunc in Regis Comitatu) dominus, & Mag-eoghagan Kenelfiachiæ dominus: & Manius, ex quo Teffiæ populi, Scilicet Foxii de Muntir-tadgan Teffiæ domini, Magawlii Calrigiæ domini, O Braoin de Bregmania, Mag-cargamni de Cuircnia, O Daly de Corcaduin, O Quin de Muntirgilgain in Longford comitatu. Horum 4tuor Nielli filiorum poſteri Auſtrales Nielli dicti ſunt.

Hy-laogarii. O Coindhealbhain. O Molloy. Foxii. Magawlii O Braoin Carcn. O Daly. O Quin.

Alii verò quatuor paulò ante adventum S. Patricii in Ultoniam profecti occuparunt ibi amplas regiones, quas eorum poſteri, qui ſeptentrionales Hy nielli dicti ſunt, ad noſtros uſque dies poſſederunt, nempe Eugenius, ex quo Kinell-eoguin, ſeu Tironii, de quibus ſedecim Hiberniæ Reges clariſſimæ O Neill gentis Tironiæ principum, ac Tironiæ comitum majores: Conallus Gulbanus, ex quo Kinel-conaill, ſeu Tirconallii principes, & comites, & decem Hiberniæ reges: Carbreus cujus Soboles Kenel-cairbre Carbriam Sligoenſem, & Carbriam Gaura in Longford comitatu olim incoluerunt, Tuathalii 2. regis Hiberniæ avus: & O Ronanorum de Carbria Gaura progenitor, & Ennius Fionn natu junior, cujus ſtirps olim in Tirenda Tirconalliæ regione inter duo maris brachia; nempe inter ſinum Lochſewail, & Suilech ſinum: & O Broenam in Kinel-enda prope Uſneach collem in Kinelfiachia.

O Neill. Tirconallii. Carbrii. O Ronan. Tirenda. O Breenan.

Septem è fratribus matrem Rignacham quandam, & Fiachi matrem Indeam ſiliam Lugadii tradit Ketingus, qui fuit Lugadius Meann ex Ænea filia nepos Ferguſii Dentinigri regis Hiberniæ (*a*). Verum Lugadii Meann, qui anno 278 floruit, ut ſupra cap. 69 ſtricto ſenſu filia non potuit eſſe Nielli Anno 379, regis Hiberniæ uxor. Indea igitur Lugadii Meann dicta filia, (*b*) fuit, patre Dubthacho, avo Miandacho, Lugadii Meann proneptis: Dallanus enim Indeæ frater, (*c*) Lugadii Meann etiam filius largo ſenſu dictus, (*d*) fuit filius Dubthachi, filii Miandachi, filii Lugadii Meann (*e*): Eandemque Indeam Conalli Galbani, & Eugenii filiorum Nielli regis matrem refert Codex Lecanus (*f*) Hac ratione generationes optimè conveniunt: nam ſicut Niellus à Quinto Centimacho per Arturum filium ſeptimus; ita illa per Mainam filiam matrem Dentinigri ſeptima ab eodem.

a *C. d. Lecan. fol.* 137 *b. col.* 2

b *ibidem fol.* 140 *b. col.* 3.

c *ibidem.*

d *ibidem & fol.* 139. *a. col.* 2.

e *ib dem. fol.* 137. *b. col.* 2. *& f.* 139. *a. c* 3.

f *fol.* 14[illegible]. *b.*

g *ibidem. fol.* 195 *a.*

Eugenius.

Eugenio quinque erant filii, 1. Muredachus, ex quo reges, pater Murchertachi regis Hiberniæ. Mongani, ex quo O Dongaly, & Fergalii, ex quo mac Cathmhail. Muredachi mater Indorba Candida Saxonici principis filia (g).

O Dongalii. Cavelii.

O Conor Moyith Kelly O Lubdbirma. Kinelnbinne.

2. Ferguſius ex quo O Conor de Moy-ith, 3. Olillus, ex quo Muntir Kelly, 4. Fedlimius, ex quo O Dubhirma, 5. Achaius Binne, ex quo Kinel-mbinne.

Teffia. Manus.

Teffia, quæ Manio filio Nielli regis, & poſteris obtigit, ampla fuit olim in Midia regio quinque tricenarias in Weſtmidia complectens; viz. Foxiorum tractum, Calrigiam, Bregmaniam, & Cuirceniam baronias præter terras Tutæis, Petitæis, ac Daltoniis aſſignatas: & in Longfordenſi agro in Borealem, & Meridionalem Teffiam diſtincta. Borealis Teffia eadem eſt, ac Carbria Gaura ad Carbreum filium Nielli regis, & poſteros ſpectans: ubi incredulí illius Carbrei ob per-

Carbreus.

ver-

verſitatem maledicti filii credentes S. Patricium honorificè exceperunt, amœnum locum Granard appellatum ei donantes. Cui loco Epiſcopum Guaſactum, ſui quondam domini Milchuonis, cujus ſubulcus erat, filium præfecit: & in alio vicino Cluanbroniæ loco duabus Emeriis Guaſacti ſororibus monialium cœnobium excitavit: ubi in hunc uſque diem, inquit author vitæ 7. S. Patricii (*h*) de ſuo tempore, pedum veſtigia in ſubjecto lapide impreſſa conſpiciuntur, quæ ſorores illæ dum virginitatis florem Creatori offerrent, à S. Patricio in Eccleſia velatæ reliquerunt.

Granard.

Cluanbroniæ.

h Tr. Thaum. par. 2. c. 30.

Meridionalis Teffia agri Longfordienſis, quemadmodum, ac Reliqua in Weſtmidia Ethne fluvio diſſita ad Manium & poſteros pertinebat. Heic S. Patricius Manium ipſum ſacro regenerationis lavacro intinxit; & in loco Ardachadh nuncupato Eccleſiam extruxit, quæ in hunc uſque diem ſedes eſt Epiſcopalis Ardachadenſis, cui præfecit S. Melum Epiſcopum ſuum ex ſorore nepotem: & cum eo reliquit Milchuonem Epiſcopum ejuſdem Meli germanum.

Nïellus rex, dum Aremoricam bello premeret, ab Achaio filio Ennii Kennſalii rege Lageniæ ob veteres inimicitias venenata ſagitta trans Ligerim jacta propter mare Ictium confoſſus eſt.

Lageniæ rex.

Ictium mare.

Mare Britannicum, quod Britanniam inſulam à Gallia ſeparat ab Oceano Germanico ad Ligeris oſtium in Gallia pertingens maris Ictii nomine, Hibernicè Muirnict à noſtris priſcis Scriptoribus Celebratur (*i*). Quod nomen an ab Ictio portu, cujus meminit Cæſar, ex illo in Britanniam trajiciens ſortitum, aut Ictius portus à mari ita dictus ſit? Statuere non ita facile eſt. Nec inter authores convenit, quinam ſit hodie Ictius portus. Eſſe nunc Caletum permulti cum Lhydo tenent: alii S. Audomari urbem cenſent: Camdenus (*k*) ma-

i Uſſer. Ciſt. pag. 823. Portus Iccius.

k Camd. Brit. in Cant. c.

vult Vitſan Anglis *Whitſan* dici portum Ictium. Inter quod Vitſan, & Dubrin, ſeu *Dover* in Anglia, priuſquam obſtrueretur Vitſan, communis ſuperioribus Sæculis trajectus, uti nunc inter Dubrin, & Caletum, extitit; nec alibi hoc fretum magis coarctatur. Cæſaris in Britanniam trajectum pro certo eſt fuiſſe in confinio Picardiæ, ubi Morini olim conſederant in *Bononiæ*, & *Guiſneæ* comitatibus; qui ambo ad Arteſiæ olim comitatum attinebant. In his olim partibus nominatiſſimus erat trajectus inter Geſſoriacum (Ptolemæo navale Geſſoriacum dictum) & Rhutupias urbem in Cantio Claudio Imperatori, aliiſque ſummis ducibus frequentatus: Geſſoriacum vero, quod Plinius per *Portum Morinorum Britannicum* innuere videtur, idem eſſe, ac ipſum oppidum Bononiam Camdenus (*l*) liquido demonſtrat, adeo ut jam ea de re pleriſque ſit conſenſus. Unde pro comperto colligendum opinor nullum in ea continente locum fuiſſe Ictium portum proprie dictum; ſed ſicut Plinius portum Britannicum apud Morinos vocat, ex eo quòd inde in Britanniam trajectus fuerit, ita portum Ictium dictum ob maris Ictii inde tranſitum.

Vitſan.

Belon.
Boulogne.
Guines.

(l) Ibidem in Cantio.

CAPUT LXXXVI.

Torna Egeas.

MAgna exorta eſt poetica contentio patrum memoriâ, Jacobo rege Magnæ Britanniæ & Hiberniæ clavum tenente inter Thadæum Darii Bruodinum Tuamoniæ, & Lugadium Clerium Tirconalliæ

liæ Antiquarium ſuper vetuſto poemate Hibernico Tornæ Egeas antiquitatum Hiberniæ olim profeſſoris ſub nomine evulgato: in Quo Torna idem abitrum ſe interponit ad conciliandam pacem inter Niellum regem Hiberniæ & Corcum Lugadii regem Momoniæ, ſuos pridem literis imbuendos in pueritia alumnos, & tum bellò, ut ait, diſtractos; cujus initium:

Ráil ḃaṫa ıṫṫıṁ Chorc ıṁ Niall.

Corcus, & horrendus turmis horrenda Niellus
Bella movent: ferro eſt lis dirimenda ducum.

Auſtralis Hiberniæ partes Bruodinus controverſiam movens, Septentrionalis Clerius in ſe recipiens, uterque carminibus patriis ultro citroque tranſmiſſis, tutatur.

In Tornæ poemate, quantum mentem ejus aſſequi poſſum, unicus authoris Scopus fuit, ut Corci, ac majorum illius encomia in medium proferendo tacitè eos ſuggillaret. Quem ad finem ſe pro Corco agentem, ac Niellum ex adverſo exultantem introducit: ut ex ſequentibus partim liquet.

Tum peto propter aquas extructa palatia Bonni, — Torna.
Talibus & mecum rex furibundus agit.
Ergone Quintiadûm domicilia regia, cui non — Niellus rex.
Debita Hibernigenûm Sanguine ſceptra, petit?
Non petit hoc Corcus; petat & ſi forſitan; inquam — Torna.
Momonium quam re, plus valet ore genus.
Illum Quintiadæ levitatis crimine carpunt;
Grandiloquus juvenis qualiter eſſe ſolet.
Regia Lugadii, ſed non reprobanda propago;
Hoſpitio, qua non clarior ullus homo.

Non

Niellus.

Non mihi par teneris fuerat, Rex ſubjicit, annis:
Nam ſua Liber erat, dum mea cura liber.
Auferat ut ferro furor eſt, aut cæca libido
Temoriæ à Quinti mœnia ſtirpe Ducis.

Ubi non ſolum ambitionis, jactantiæ, ac animi levitatis Corcum incuſat, ut taceam quæ majoribus derogant, ſed etiam nondum ex ephebis egreſſo ab indole Baccho, ac voluptatibus deditâ anſam arripit exprobrandi, ſimulque Nielli ingenuam innuit in literas propenſionem. Quare non immerito Bruodinus ita eum reprehendit.

Momonii viſus contendere nominis ergò
Connactorum ultro es victus amore Ducum.

& penultimo ejuſdem poematis diſticho;

Et quæ magnanimo es pro Corco rege locutus
Temoriæ ut celebrent nomina regis, erant.

Verum id argumenti, in quo maximum ſibi præſidium poſuit Bruodinus; quippe ex fratribus, qui primùm Hiberniam ſubegerant, Heberum, ex quo Corcus genitus, Herimone, ex quo Niellus majorem natu fuiſſe uno hoc diſticho vellicavit Clerius:

Sinſineꝫ ni gabaṁ cearc
Al tiṁ do gabtar le neart:
Calmaꝫ na breaṁ iſ cert aṁ
Sni ſinſineadt fear nanbaṁ.

Senioris agris jus cadit,
Queis vi domari contigit:

Virtus

Virtus virorum ætatibus
Non cedit imbellûm ſenum.

Quod per Paraphraſim variatis verbis ludens aliquando meditatus ſum, & heic cum bona lectoris venia apponere liceat.

Jus nihil eſt natale ſolo, quod quæritur armis:
Fortior imbelli ſit ſeniore prior.
Non fratrum natu, ſed robore maximus eſt dux
In terris, victrix quas premit enſe manus.
Non frater ſenior præſtat, ſed dignior armis;
Cum ruit boſtiles vis inimica lares.
Res igitur ferro ſiquando; non quotus annis,
Sed quotus eſt palmis anteferendus erit.
Si plagis ſubigenda plaga eſt, maturior ætas
Poſthabita eſt auſis præcocis ingenii.
Jura paterna domi ſeniorem ex beſſe manebunt:
Parta ex aſſe foris proſperioris erunt.
Naturæ abripuit virtute, quod illa negârat
Tempore; germanum gignier ante ſuum.
Marte ſuo, non ſorte patrum quem laurea cingit,
Antevenit meritis tempora iniqua ſuis.
Concedunt animis anni, ſpoliiſque potitur
Non citius genitus, ſit niſi Marte prior.
Devictis potitur ſundis præſtantior armis:
Non refert natu an major, utrumve minor?
Junior aut ſenior partos vi poſſidet agros
Frater uter terris acer, & acer aquis.

Cum Herimoniâ quidem proſapiâ regum numero, familiarum propagatione, ſanctorum, illuſtriumque virorm multitudine, aut poſſeſſionum amplitudine concertare

certare perinde eſſet, ac reliquam gentem, ut unicum pondo cum centumpondio conferre. Plures hinc Hiberniæ reges, quam ex omnibus reliquis familiis ſimul ſumptis; non interſtitionibus feriatis, non deſultoria ſerie; ſed ita ut ab Herimone ad Niellum vix ullus in recta linea niſi rex Hiberniæ aut regis Hiberniæ filius per mille, & quadringentos annos: & ex Nielli progenie omnes ferè ſequentes Hiberniæ reges ad regii axiomatis fluctuationem. Hinc ſingulis Hiberniæ provinciis reges dati Lageniæ, & Connactiæ perpetua ſerie, Momoniæ aliquot, Ultoniæ plures, quæ tandem ferè univerſa Herimoniis obtigit. Hinc denique omnes Scotiæ reges a Ferguſio Dalriedino ad hæc noſtra tempora paternum ſtemma traxerunt, ſi Baliolos, ac Bruſios exemeris ex materno jure hæredes.

Sed ut ad poema illud redeam, Corcum, quem impuberem in Schola, & juvenem in regno Niello coævum tradit, ætate multò provectiorem arbitror; utpote qui Nielli patris ſocero patruelis erat: ante Nielli quoque regnantis initia è vivis ademptum compertum habeo, ſiquidem Nielli deceſſor Crimthannus rex Conallum Eachluath Corco defuncto in Momoniæ regimine ſubſtituiſſet, ut ex Cormaco Culennani Momoniæ rege, & Epiſcopo antiquitatibus patriis apprime verſato refert D. Ketingus in Crimthanni regno.

Unde manifeſtius apparet eorum (*a*) error apud Colganum, qui Corcum S. Patricio Anno 438, æræ Chriſtianæ familiarem innuerunt. cum Æneas Corci è filio nepos primus fuerit rex Momoniæ omnium conſenſu, qui S. Patricii ope in Chriſtum credidit.

(*a*) *Tr. Thaum. Append. 4. ad vit. S. Patr. pag. 214. n. 6. Keting. in regno Laegu. 2.*

Torna utrum poematis illius verus author fuerit, quo floruerit tempore, & an Chriſtianus? mihi minimè conſtat; ſolum moneo inter veteres non deſuiſſe, qui aliorum nomine ſcripta in lucem emittebant, quò majorem

majorem authoritatem haberet oratio; ut habet Cicero de Senectute. Moneo etiam Tornam poſt Dathyam Nielli ſucceſſorem vixiſſe, ſi illius ſit carmen illi adſcriptum de regum ſepulchro (b) apud Cruachan quod tamen poſterioris ævi fuiſſe multum ſuſpicor. Tornæ porro frater fuit Mochonneus filius Fiegi filii Aulaimh familiæ domini O Conor Kierigii progenitor; qui proinde potuit Nielli ætatem attigiſſe. Potuit quoque Chriſtianus fuiſſe Nielli tempore, quo nonnullos fuiſſe in Hibernia Chriſtianos non diffiteor. Verum inde mihi creditu proclive non eſt Niellum, & ſi ejus ab infantia diſcipulus, idcirco fuiſſe Chriſtianum, ut inſinuare cupit. R. P. Colganus (*d*) noſter; aut Nielli corpus per S. Kienanum de Damhliagh poſt centum annos exhumatum, ac integrum repertum, & S. Carnechum Tulenſem in ejus Sarcophago jacentem à lepra fuiſſe ſanatum, ut ibidem Colganus ex Caroli Maguir Scholiis, & additionibus ad martyrologium S. Ænguſiii ad 24 Novembris. Si enim Niellus Chriſtianus fuiſſet, majora ea de re documenta in ſua vita poſteris reliquiſſet, quam fictitia illa miracula poſt centum annorum ſpacium dicta patrata, & pluribus inde volventibus ſæculis è tenebris ſuſcitata.

b Alia futuri ſæculi apud Keating. in regno Cormaci t. Cod. Lecan. fol. 79. b.

c Cod. Lecan. fol. 229. b.

d Tr. Thaum. pag. 173. numero. 27.

Utrum Tornæ, aut ullius Chriſtiani diſcipulus, fuerit? illud poema, ut mox oſtendam, invalidum eſt, ac ſubleſtum ad atteſtandum teſtimonium; cujus quidem artifex non ſolum Chriſtianus fuit, ut ipſe poſtremo Diſticho ita fatetur;

Omnes monte Sion Sæclorum, Judice Chriſto,
Convenient homines, quò quoque ducar ego.

Sed etiam longè poſteriori, quam Nielli ævo vitam egit; ut ſequentibus liquet argumentis.

Niellum fingit in Ultonia aliquam mansionem habere hoc districho.

Quid moror? effrænum Corci prohibebo furorem:
Pacis & Ultoniam pignora adusque feram.

Alludens ad Nielli filios, qui post patris obitum in Ultonia fixas sedes posuerunt, vel ad eorum ibidem posteros: ubi ipse nullas habuit, nec ullus è majoribus.

De Helia Carollina in Ormoniæ confinio sic meminit;

Quintiadûm octodecim vaccarum millia turmæ
Heliadum è terris, Ormoniisque ferunt.

e *Supra. c. 68.* Helias, à quo Helia dicta (*e*) multo posterior fuit ætate, quam Corcus, qui fuit ab Eugenio filio Olilli Olom tantum quartus, à cujus Olilli filio Kieno Helias fuit Septimus; & longo post Heliæ mortem tempore, Heliæ nomen, ut assolet, terris adhæsit, quas posteri occuparunt.

Campanarum usus. In eodem poemate Casilia Campoi na eclog à Campanis vocatur. In *S.* Paulini Ecclesia Nolæ in Campania primum in Ecclesiis campanarum usum fuisse ferunt; unde nolæ, & campanæ à Nola urbe, & Campania provincia dictæ sunt. S. Paulinus Anno Christi 294 Sæculo renunciavit in Nolanum agrum secedens, & Anno 431 defunctus est. Baronius ita habet (*f*); *Prægrandis tintinnabuli mentio in actis S. Lupi* (*g*) *in Ecclesia Senonensi* in Gallia *usi satis indicat campanas tunc in Ecclesia Occidentali in usu frequenti fuisse: in Oriente autem adhuc pulsabant ligua*: & ad annum 865, n vii, apud Græcos, ut ait, earum usus inolitus. Primam in Hibernia campanam opinor Cymbalum illud

f *Apud Spondanum ad an. 514. numero. 6.*

g *S. Lupus. Trecensis Episcopali anno 429. floruit.*

lud fuisse, quod S. Patricius S. Kierano Sagirensi traditum 30 ante suum adventum annis præmisit. Post adventum S. Patricii, ita in ejus vita Jocelinus; (*b*) *Mos itaque fuit S. Patricio, sicut, & cæteris antiquis Sanctis in Insulis degentibus habere cymbala tum propter Dæmonum expulsionem, tum propter corporalis pigritiæ excitationem, atque ad horas diei die, ac nocte denunciandas, aut forte alia nescio qua causa. Unum vero pro certo scitur, quod multa miracula sonitu, seu tactu talium Cymbalorum gesta esse noscuntur.* In vita S. Patricii septima (*i*) legitur illum reliquisse in Ecclesiis ab eo recens extructis in Connactia quinquaginta campanas. Verum aliquot annis in Hibernia antequam Æneam regem Momoniæ apud Casiliam convertit. Nec nisi tractu temporis postea Casilia adeo Ecclesiis, & campanis instructa fuit, ut à campanis mereretur epithetum mutuare. Multo minus Corco, aut Niello regnante, ita nominaretur. In quibusdam vero apographis legitur heic Cashol na cenoc, à collibus rectene, an secus? me latet.

h Joc. c. 173.

i Tr. Thaum. vit. 7. par. 2. cap. 108.

Alio autem præterea loco, directo ad eundem Niellum quasi tum in vivis sermone, tam ipsas Ecclesias quam campanas, Sanctas quoque Ecclesiarum patronos, Ecclesiarum immunitatem, & comminatam in violatores vindictam non per ænigma sed adeo palam disertis verbis commemorat, ut in florentissimo Ecclesiæ statu se vixisse non minus prodat, quam Phariæ faces nautis propinquum littus indigitant. Extant enim duo alia carminum opuscula, in utroque quorum, quemadmodum in priori poemate se Tornam Egeas, Niellum regem Achaii Mogmedonii regis filium, & Corcum filium Lugadii Casiliæ regem discipulos, & alumnos suos profitetur. Unum exhortationes, ac præcepta ad Niellum regem continet (*k*): alterum Ni-

k Gab mocc Eogarga-hellnáp.

Πορα ὀαλτάνταν. πρ-γιοτ hom.

illum, & Corcum morte ſublatos deplorat (*l*). Inter alia in primo præcepta hæc habet:

Templa cave violes, quæ campanilia adornant:
Ne temerè Indigetum ſperne patrocinia.
Percipe dicta memor: ne ultricia fana profana.
Floridus areſcit læſus ab igne rubus.

Ubi de Eccleſia agit non ſub modio, qualiter Nielli, & Ethnicorum regum temporibus in Hibernia fuit, ſed ſuper candelabrum poſitâ poſt templa erecta, campanilibus ſpectabilia, Sanctis dicata, patronis veneranda, & graſſatoribus ob divinam Nemeſim formidanda.

Proinde Torna, ſeu quis alius, illorum carminum cuſor his temporibus floruit; Niellum, & Corcum, ut ſuo placito inſervirent, modo alumnos teneros, & diſcipulos, modo adultos ſtrictis enſibus in ſe invicem irruentes inducit, etiamſi unus in alterius faciem nunquam conſpexerit. Sic Virgilius Didonis, & Æneæ amores, & fata concelebrat, licet hæc illo trecentis ferè annis poſterior. Quamobrem non incongruè aliquis cecinit.

Cauſidicis fas eſt alienam haurire crumenam;
Militibus, medicis, tortori occidere fas eſt:
Mentiri aſtrologis, pictoribus, atque poetis.

CAPUT.

CAPUT. LXXXVII.

Dathias centeſimus trigeſimus Sextus, Rex Hiberniæ.

DAthias filius Fiachrii ex Herimoniis rex Connactiæ Niello patruo ſuccumbenti ſuffectus inauguratur, Rex Hiberniæ. *Anno.* 405.

Eodem anno Pelagius Britannus monachus Pelagianæ hæreſis fundamenta jecit.

Gratianus Municeps in Britannia Imperator creatus poſt menſes quatuor à militibus occiſus eſt. Ejus loco Conſtantinus ex infima militia nominis omine electus Imp. in Gallias tranſiens quicquid prius à Maximo tyranno in Britannia relictum fuerat militaris roboris exhauſit, Inſulamque communium hoſtium irruptionibus reliquit devaſtandum. Anno ſequenti filium ſuum Conſtantem ex monacho Cæſarem ordinavit. Eodemque Anno 408, Fl. Stilicho, de quo diximus, utriuſque militiæ Magiſter capite plexus eſt. *Anno.* 407.

Hoc circiter Anno Vandali, Alani, & Suevi in Hiſpaniam invaſerant: qui Anno 406. 31. Decembris die trajecto Rheno Gallias agreſſi ſunt. Anno 410, 24 Auguſti Roma ab Alarico Gothorum rege capta eſt. *Anno.* 409.

Conſtantinus cum filio Conſtante in Gallia occiſus eſt: & Britannia militum inde abductorum præſidio nudata à Romanis eſt amiſſa. *Anno.* 421.

S. Albeus cum Sociis in Hiberniam patriam reverſus ad Aquilonarem Hiberniæ partem appulit: ubi, eo jubente, Colmanus unus è familia ipſius cellam ædificavit, quæ Kill-ruadh eſt appellata. Ipſe vero Albeus, Fintano Dalaradiæ principe ad fidem converſo, & baptizato circuibat totam Hiberniam Chriſto multos lucrifaciens. *Anno.* 442.

Eodem

Eodem Anno Celeſtius Scotus, ſed extra Hiberniam in tranſmarinis partibus monachus Pelagii hæreſiarchæ diſcipulus in Carthagienſi Synodo præſens damnatur.

Eodem Anno S. Ninianus Britannus Candidæ Caſæ Epiſcopus Auſtrales Pictos ad Chriſtum convertit.

S. Ibarus, qui & Ivorus unus è 4 Epiſcopis Hibernicis (*a*) fidei præconibus in Hibernia ante Patricium in terra Cruthencorum Dalaradiâ è ſemine regum Ultoniæ natus ad prædicandum per Hiberniam Evangelium hoc anno miſſus innumeros ad Chriſti fidem convertit. Aranicas primum inſulas tres ſcilicet illas uno nomine in Occidentali Oceano poſitas incoluit: in campo Geſill etiam commoratus eſt; ſed potiſſimum in Beg-eria inſula maris prope Wexfordiam in Auſtrali parte Hy-Kennſaliæ, ubi reliquiæ ejus honorificè coluntur.

a *De quibus ſupra, cap. 85. Anno 420.*

Anno 422. Cum Britannos Scoti à Circio ex Hibernia, ab Aquilone verò Picti prima illa à Gilda commemorata diriſſima vaſtatione conculcarent, illi Subjectionem Romano imperio repromittentes ab Honorio Auguſto (hoc anno 422) legionem auxiliarem impetrarunt, quæ, hoſtibus depulſis, ſubjectos cives ex imminenti captivitate liberavit. (*b*). Inſulani porro adverſus graſſantium inſultus murum ceſpititium (*c*) inter fretum Dunbritannicum, & Edenburgicum conſtruxerunt, ſed prorſus inutilem.

b *Sigebert. Gemblac. in Chronico.*

c *Gillas. apud Uſſer. citat. pag. 601. Bed. H ſtor. lib. 1. c. 12. Jo. Fordon. in Scotechronico. l. 3. c. 4. Jo. Major de geſtis Scotorum, lib. 2. cap. 1.*

Anno 425. Secunda à Gilda commemorata vaſtatio, qua Scoti, & Picti, Romana legione revocata, ruptis terminis, obvia quæque miſerorum Britonum obtriverunt. Oppreſſi Britones ad Valentinianum 3 legatione miſſa novam legionem auxiliarem è Gallis tranſmiſſam obtinuerunt: quæ Gallionis Ravennatis ductu Pictos, & Scotos anniverſarias prædas agentes tempore autumni tranſmarja fugavit. Anno

Anno proximo muri cespititii loco inter jam dicta freta lapideus est erectus, & in littore Oceani ad Meridianam plagam adversus Barbarorum incursiones turres per intervalla ad prospectum maris à Romanis sunt collocatæ. Verum Anno proxime secuto 427, Gallio Ravennas ex Britannia contra Bonifacium in Africa rebellantem avocatus in ipsa excensione, profligatis copiis, est interfectus. *Anno 426.*

Dathyas rex filios suscepit Achaium Breac, ex quo Hyfiachrii Aidhne in Australis Connactiæ agro Galvienſi Tuamoniæ finitimo, Olillum Molt regem Hiberniæ & Fiachrium Elgad, ex quo Hy-fiachrii Muaidhe à Muadio fluvio in Boreali Connactia dicti descenderunt. *Dathi regis filii.* *Dathiæ regis nepotes.*

Achaium Felia filia Achaii, quæ Cruachan-bri eli nomen indidit, Olillum Ethnea filia Conrachi Caspeperit. Rufina filia Artichi Uctlethan Fiachrii Elgad puerperio succubuit; à qua Mullach ruadha, seu Rufinæ vertex in Tirfiachria Sligoensi appellatur,

Ab Amalgadio Dathyæ regis fratre, & rege Connactiæ Tir amalgad in districtu Moyonensi baronia, quam Muadius fluvius à Firfiachria dirimit, & Tirauliam contractè dicimus, nuncupatur: quà cedentibus Amalgadii posteris temporis progressu Tirfiachriæ domini potiti sunt. *Amalgadius Rex Connactiæ.*

Dathias Ethnicorum Hiberniæ regum postremus, dum in Gallia lectorum militum copiis provinciam Romanam invaderet more gentium cæterarum, quicum præda factum imperium, immensam illam molem frustatim diripientium, sesquicentum ut aiunt, prœliis victor ad Alpium radices fulmine è cœlo ictus interiit. Cadaver in Hiberniam perlatum apud Cruachan Connactiæ regiam terræ mandatum est secundum Tornam Egeas, aut siquem alium ejus sub nomine ea *Dathiæ regis mors, Anno 428.*

de

d *cap.* 86. de re, carminis ſuperiùs (*d*) memorati authorem.

Illum è Cœlo tactum vindice flamma tradunt ob violatam cujuſdam Eremitæ S. Firmini cellam, & pagum; quem regem fuiſſe, & poſt abdicatum Sœculare dominium Deo in ſolitudine vacantem in turri 17 cubitos altâ ad Alpes vitam tranſegiſſe prodit Co-

e *fol.* 302. *b. Connallix rex* dex Lecan (*e*). Amalgadius frater ſubſtituitur, Rex Connaictæ.

CAPUT. LXXXVIII.

Murus inter duo freta Dunbritannicum, & Edenburgicum.

DAthya in Hibernia regnante, Annales Firbiſſiorum de Lecan conteſtantur crebras Scotorum ex Hibernia & Pictorum incurſiones compuliſſe Britones, ut vallum primo ceſpititium, deinde lapideum à mari uſque ad mare ad repellendos eorum impetus erigerent, & Romanorum auxilia accirent. Quod quam conforme ſit exterorum etiam teſtimoniis, capite præcedenti ad annos 422, & 426 videre eſt.

Beda vero murum illum lapideum ad annum 426, non inter Glotæ, & Bodotriæ æſtuaria, ſive fretum Dunbritannicum, & Edenburgicum collocata, inter quæ murum ad annum 422, *non tam lapidibus,*

f *Bed. Hiſtor. lib.* 1. *c.* 12. *quam ceſpitibus* (*f*) conſtructum paulo ante agnovit: ſed inter Tinæ, & Eſcæ oſtia octoginta millibus paſſuum ad Auſtrum citerius, ubi Severi vallum, quod è ceſpitibus à Severo primum congeſtum rebatur, cum murum *firmo de lapide* poſitum ſuis ipſe oculis

culis videret; ad Tinæ enim oſtium natus, & educatus fuit, ibi lapideum ad ann. 426 erectum arbitratus eſt valli ceſpititii, & muri lapidei erronea diſtinctione lapſus.

Georgius Buchananus (*g*) murum hunc lapideum inter duo freta poſitum fatetur, ſed ibidem Severi vallum fuiſſe (ut ante eum Nennii etiam interpolator opinatus eſt) & ita V. Bedam ſenſiſſe fruſtra contendit (*h*). Severi vallum inter Tinæ, & Eſcæ fluminum oſtia erectum cum Beda, Camdenus, & Anglicarum ſimul, ac Scoticarum rerum Scriptores, ut Jo. Major, (*k*) Jo. Fordonus, (*l*) & alii conſentiunt. Verum Fordonus, ut & ante eum Ethelwerdus, & alii Bedam ſecuti non rectè hunc poſtremum è lapide murum Severiani valli loco poſitum definiunt. Rationi enim conſonum non eſſet, ut tantum terrarum, quantum inter duo freta, & duo flumina à Theodoſio Comite Anno 369 recuperatum, & Valentiæ nomine nuncupatum hoſtibus ultro deſereretur: aut muri circuitus per 60 paſſuum millia à Tinæ oſtio, & Novocaſtro (obliquo, & anfractuoſo aſcendentis, & deſcendentis tractu, ut illius veſtigia etiamnum ſe intuentium oculis objiciunt) ſuper Eſcam fluvium ad Carleolum duceretur, cum commodiori loco paſſuum ſpacio viginti duorum millium inter duo freta (ſic utramque lineam ipſe Fordonus metitur) muri ambitus ſuffeciſſet. Porro murum hunc non obliquo, uti Severi vallum, ſed directo tramite, ut habet Gildas, & rectâ; ut Beda fatetur lineâ, qualis loco inter duo freta convenit, à mari uſque ad mare libratum fuiſſe apparet. Beda etiam ipſe cum Gilda tradit Scotos, & Pictos *omnem Aquilonâlem, extremamque inſulæ partem pro indigenis ad murum uſque capeſſriviſſe:* quem murum non alium, quam illum inter Dunbritannicum, & Edenburgicum

g *Rerum Sco ic. lib. 5. in Rege 41.*

h *ibid. l. 4. in rege. 23.*

i *Camd. Britannia.*

k *Jo. Major de Geſt. Scot. lib 1. c. 14.*

l *Jo. Forden. in Scotechronico.*

fretum oportet esse; quos duos sinus Scotos, & Pictos antiquitus à Britonibus post murum conditum decedentibus Romanis, & sua ipsius ætate ab Anglis, & Britonibus discluisse confitetur (*m*).

m Bed. Histor. lib. 1. c. 1. & 12. lib. 4. c. 26.

Itaque Anno Verbi Incarnati 77 Julius Agricola imperii fines, qua patet Britannia angustissima inter duo freta Dunbritannicum, & Edenburgicum non muro ullo, sed præsidiis communivit.

Adrianus Imp. Anno Christi 117 imperii terminum octoginta millibus passuum citerius statuit, ubi à Novocastro, & Tinæ ostio ad Escæ ostium, seu Itunæ æstuarium, ut habet Camdenus (*n*), juxta Carleolum, seu Luguvallum aliud Carleoli nomen (*o*) in modum muralis sepis, funditus jactis stipitibus, primus murum excitavit.

n Camd. Britannia tit. Murus Pictus.
o Ibidem tit. Cumberland.

Antonini Pii Imp. legatus Lollius Urbicus Anno 144 ulterius ad Aquilonem terminos dilatavit, recuperatis finibus ab Agricola statutis, & muro cespititio inter duo ea freta ducto munitis.

Severus Imp. Anno 208 Adriani cespititium murum vallo è firmo lapide reparavit, Sed Theodosius Comes Anno 369 terras inde ad duo freta usque recuperavit.

Denique ab ipsis Britannis, anno 422, murus non tam lapidibus, quam cespitibus exurgens inter duo freta, ubi minus ab urbico erectus stetit frustaneo, ac inutili conamine est excitatus. Quare brevi postea Anno 426 in eodem loco à Gallione Ravennate, & Romanis murus lapideus est erectus. De quo muro ita Beda in Chronico Anno Theodosii Junioris octavo Christi 431, *recedente à Britannia Romano exercitu, cognita Scoti, & Picti reditus denegatione redeunt ipsi, & totam ab Aquilone insulam pro indigenis MURO tenus capessunt.* Utriusque lapidei muri hujus

jus inter duo freta, & illius Severiani inter duo flumina veſtigia ſupereſſe conteſtantur; hujus, quem Grimeſdike, ſeu Grahami foſſam vocat, Fordonus in Scotochronico, & Buchananus (*p*) illius Camdenus in ſua Britannia titulo Murus Picticus, qui tractum oculis eſt contemplatus. Ad hos vallatos Romanorum fines quam eleganter reſpexit Buchananus his verſibus-

(*p*) *Buchan. Rerum Scotic. lib. 4. in Rege. 27.*

——Heic & victoria fixit
Præcipitem Romana gradum, quem non gravis Auſter
Reppulit, inculſis non ſqualleus Parthia campis,
Non æſtu Meroe, non frigore Rhenus, & Albis
Tardavit Latium remorata eſt Scotia curſum:
Solaque gens mundi eſt, cum qua non culmine montis
Non rapidi ripis amnis, non obice Sylvæ,
Non vaſti ſpatiis campi Romana poteſtas,
Sed muris, foſſàque ſui confinia regni
Munivit: genteſque alias cum pelleret armis
Sedibus, aut victas vilem ſervaret in uſum
Servitii, heic contenta ſuos defendere fines
Roma ſecurigeris prætendit mœnia Scotis.

ex Epithalamio Franciſci, & Mariæ Regum Franciæ & Scotiæ.

CAPUT. LXXXIX.

Regum Hiberniæ Ethnicorum Enumeratio.

ETHnicos Hiberniæ reges jam perambulavimus numero centum triginta ſex præter decem alios, quos Inſulæ monarchiam minimè aſſecutos quidam ſcriptores regum Hiberniæ catalogo adſciſcunt, ſed Antiquarii prorſus excludunt; nimirum Heberum

Finn, & ex ejus ſemine Eugenium Moganuadat Auſtralis Hiberniæ reges, & Heberi ejuſdem quatuor filios Eram, orbam, Feronum, & Fergnam, duos è gente Herimonia Fiachum Tolgra filium Muredachi regis, & Bauchadium & duos Fothadios è Lugadii filii Ithi progenie: de quibus ita excuſis G. Coemanus in poemate (*q*).

(*q*) Colch Cenjoñ dinde

Reliqui 136 reges abſoluti erant è Belgis novem, è Danannis totidem, & è Scotis, centum octodecim. Ex his 118 Herimon cum poſteris fuerunt Sexaginta: è quibus triginta ſeptem in recta linea ab Herimone ad Niellum: ſeptem, quorum, regia poſteritas defecit; octo è Lagenia; tres ex Ultonia; tres ex Momonia; ex Orgielliis unus Colla-huaſius, & unus ſc. Dathias ex Connactia: Heberi Finn è ſemine viginti novem: è ſtirpe Hiri viginti quatuor, & Macha abſoluta regina: tres è Lugadii fili Ithi domo, & unus è plebe Carbreus Feliceps.

09. 29. 37. 07. 08. 03. 03. 01. 01. 29. 24. 01. 03. 01.

136.

Horum 136 regum quidam per alternas vices ſimul regnarunt; utpote quinque filii Delai è Belgis, tres filii Kermodi Melliflui è Danannis, tres filii Herimonis Mumneus, Lugneus, & Lagneus; Achaius, & Conangus Herimone etiam ſati: Kermnaus, & Sobarchus Hiriadæ, & tres patrueles ex Hiri ejuſdem ſanguine Aidus, Dithorbus, & Kimbaithus.

Ex his porro 136, centum ferrum ſuſtulit: ſeptemdecim naturæ conceſſerunt: Sex peſtis abſumpſit: tres fulmine percuſſi; & decem diverſis aliis modis Singuli è vivis exceſſerunt: unus quippe Idolatriæ vitam devovit; alter membris dilaceratis extinctus, alius in patibulum actus; alius ſine vi, ſine morbo, ſine coloris mutatione animam exhalavit; hic aquis obrutus; ille igni in cineres verſus; animi mœrore confectus alius; alium equus, quem regnum non valuit,

luit, Seſſorem deturbavit; huic Spina piſcaria faucibus inhæſit, atque alium per artus ſerpens peſſumdedit venenum.

Mille modis Lethi miſeros mors una fatigat.

Statius Thebaid: lib. 9. vers. 280.

CAPUT. XC.

Regum Hiberniæ Chriſtianorum tempora.

REgum Hiberniæ Chriſtianorum de quibus libro Secundo Ogygiæ, Deo adjuvante, agere propoſitum eſt, catalogum heic præmittere tum Chronologicum, tum genealogicum placuit. Et ut liqueat quam accuratè eorum tempora conſignantur, non abs re erit irrefragabilia quædam temporum intervalla contexere, quibus Scriptores noſtri certos characteres inſculpſerant: & duo vetera monumenta librariorum incuria depravata his intervallis correcta ad ſuam priſtinam fidem, & genuinum ſenſum revocare.

Pro baſi imprimis tenendum S. Patricium à Cœleſtino Papa brevi ante mortem (*a*) miſſum, & Sixti ſuccedentis anno primo in Hiberniam appulſum; Aetio, & Valerio Conſulibus, Anno Theodoſii Junioris poſt Honorii mortem nono: Laogarii regis Hiberniæ anno quarto exacto, & quinto fluente prima Indictione cum anno ſequenti inchoante. Quæ omnia ad invicem collata annum æræ vulgaris Chriſtianæ 432 indigitant.

[a] *S. Cœleſtinus Papa. 6. Apr. Anno 432, obiit.*
[b] *S. Sixtus. P. 28, Apr. 432 ſucceſſit.*
[c] *Honorius Imp. 15. Aug. 423 mortuus.*

433 60 493 A Septimo decimo igitur Martii proximè sequentis ad S Patricii mortem Anno 493, & die 17 Martii in feriam quartam incidente anni elapsi sunt sexaginta absoluti.

Hinc ad obitum S. Brigidæ (quæ octavo Februarii feria quarta, eodemque die Octavo Lunæ, atque ita Anno 439 nata fuit, & triginta annis post mortem S. Patricii primo Februarii, & feria 4, Anno 523 denata) sunt anni 29, menses 10, dies 15.

Ann. m. d. 29. 10. 15. 523.

Hinc ad S. Columbæ Kille obitum mediâ nocte inter Sabbatum octavo Junii & Dominicam nono Junii transactâ, Anno 597, anni 74, menses 4, dies 8.

074. 4. 08. 597.

Hinc ad Eclipsim Solis hora diei nona Kalendis Maii Anno 664, quam secuta mense Augusto pestis, qua anno proximo grassante Blathmacus, & Diermitius Hiberniæ reges sublati, anni 66 menses 10, dies 22.

066. 10. 22. 664.

Hinc ad Longsechi R. Hiberniæ necem die 12 mensis Julii Sabbato, Anno 704 anni 40, menses 2, dies 11.

664. *m. d.* 40. 02. 11. 704.

Hinc ad Fergalii R. H. cædem 11. Decembris, feria Sexta, & anno 722, anni 18, menses 5.

18. 05. 00. 722.

Hinc ad Uchbadh prœlium 19 Augusti, feria tertia, & anno 738, quarto anno regni Aidi Ollanii R. H. anni 15, menses 8, dies 8.

15. 08. 08. 738.

Hinc ad obitum Malachiæ primi R. H. 30 Novembris, die Martis, & Anno 863. anni 125, men. 3, dies 11.

125. 03. 11. 863.

Hinc ad Aidi Finnliathi R. H obitum 20 Novembris feria sexta, & Anno 879. anni 16, minus 10, diebus.

16. 00. 00. 879.

Hinc ad prœlium Mugna, & Cormaci Episcopi, & regis Momoniæ necem 17, Kalendas Septembris feria tertia, seu 16 Augusti Anno 908, anni 28, mens. 8, dies 27.

28. 08. 27. 908.

Hinc

Hinc ad mortem Flanni R. H. 8. Kalendas Junii, Sabbato, & Anno 916, anni 7, menſes 9, dies 9. 7. 09. 09. 916.

Hinc ad Nielli Glundubh R. H. ab Oſtmannis prælio occiſi eædem 17 Kalendas Octobris feria quarta, Paſchali Octava præcedenti in æſtate, Anno 919, ann. 3, m. 3, 21 d. 3. 03. 21. 919.

Hinc ad Briani R. H. Cluantarvenſi prælio caſum 23 Aprilis feria. 6 Paraſceves, Anno 1014, anni 94, men. 7; dies 8. 94. 07. 08. 1014.

Hinc ad Malachiæ 2. R. H. obitum 4 Nonas Septembris die Dominico, Anno 1022, quem ſecuta eſt gemina Eclipſis Januario proximo, una Lunæ, altera Solis anni 8, menſes 4, dies 10. 08. 4. 10. 1022. a *Camd. Britannia tit. Normanni.*

Hinc ad Cometam Normannici in Anglia imperii præſagium (*a*) 25 Aprilis feria tertia poſt Octavam Paſchatis, & ad 4 inde noctes durantem, Anno 1066, anni 43, m. 7, dies 23. 43. 07. 23. 1066.

Hinc ad Dermitii regis Lageniæ necem 7 Idus Febr. feria tertia & Anno 1072 anni 5, menſes 9, dies 13. 0005. 09. 13. 1072.

Hinc ad Tordelvachi O Brian regis Momoniæ obitum pridie Idus Julii feria 3. Anno 1086. anni 14 menſes 5, dies 7. 14. 05. 07. 1086.

Hinc ad Donaldum mac Lochluin Aquilonaris Hiberniæ regem 9 Febr. feria 4 defunctum Anno 1121, anni 34, m. 6, d. 26. 34. 06. 26. 1121.

Hinc ad feſtum Decollationis S. Jo. Baptiſtæ 29 Aug. in feriam 6 incidens anno 1169, quo Angli in Hiberniam armati menſe Maio primum venerunt anni 48, men. 6, dies 20. 48. 06. 20. 1169.

Hinc ad Waterfordiam à Richardo Strongbow Pembrochiæ Comite captam 25 Auguſti die Martis 0001.

1170. tis Anno 1170 unus annus minus diebus 4, S. Thoma Cantuarenſi martyrium paſſo 29, Decembris proximo, & die Martis.

1170 28. 3 4. 1198. A capta Waterfordia ad Roderici O Conor R. H. poſtremi obitum 29 Novembris die Dominica, & die 27 ætatis Lunæ, Anno 1198, anni 28, menſes 3, dies 4.

CAPUT. XCI.

Poema Chronologicum ab adventu S. Patricii ad finem emendatum.

b Vñal a nall ṫile.

SÆpe in ſuperioribus citatum Poema chronologicum Hibernicum (*b*) à rerum exordio ad annum 1072, quo author vixit, deductum, ſed in multis à ſenſu genuino ex ſcribentium injuria deflexum hoc deximus ſupra ſtatis intervallis corrigere ab adventus S. Patricii tempore ad annum 1072. Imprimis igitur ab adventu ad mortem S. Patricii pro 58 annis in poemate anni Sexaginta cum aliquot menſibus ab Anno 432 ad 17 Martii Anno 493, ſtatuuntur.

Deſiderata in reliquis veritas his capitis præcedentis quatuor intervallis evincitur.

1. à morte S. Patricii 17 Martii die, Anno 493 ad Eclipſim Calendis Maii Anno 664, ſunt anni —171, ſed juxta poem. 169.

2. ab Eclipſi ad Mugna prœlium——244.—— 211.

3. Inde ad Cluantarv. prœlium——106.—— 103.

4. Inde ad annum 1072 excluſivè —057.—— 058.

Hæc intervalla ſequentibus particulis in poemate digeruntur.

1 In-

1. Interval. Poema. 30.20.20.33.29.21.25. in toto 169.
Rectius 30.21.21.32.18.22.27. in toto 171.
Ubi præter eam inter annos completos, & incompletos exortam parva eſt in hoc intervallo differentia.

2. Intervall. Poema. 55.17.07.20.41.39.32. in toto 211.
Rectius. 58.16.05.20.44.39.62. in toto 244.
Ubi 58.16.5.62. pro 55.17.7.32. characteribus firmantur, & ternarius numerus in toto præterea deficiens à 41, deſit, ut ſit 44.

3. Intervall. Poema 08.03.25.33.20.04.10. in toto 103.
Rectius 08.03.25.36.20.04.10. in toto 106.
Ubi 3. in toto à 33 abeſt; nam in reliquis eſt conſenſus.

4. Interval- Poema. 09.42.02.05. in toto ——— 58.
lum. Rectius 08.42.02.05. in toto ——— 57. *f Adamn. in vit. S. Columb. lib. 3. c. 5.*
Ubi 8. character ſignat de reliquis convenit.

Poema igitur iſtud Chronologicum, ut ſequitur, legendum eſt, cui annum æræ Chriſtianæ numero potiori præpoſito reſpondentem in margine appono, priſtino poematis numero, poſtpoſito.

	493.	
A morte S. Patricii ad mortem S. Brigidæ triginta anni.	30. 523.	30.
	21. 544.	20.
Inde ad mortem Tuathalii Calvo aſperi R. H. viginti unus annus.	21. 565.	20.
Inde ad Culconarium prælium, & Diermitii R. H. finem viginti unus an.	32. 597.	33.
Inde ad S. Columbæ exitum triginta duo anni.	18. 615.	20.
Inde ad Malcovi R. H. in prælio montis Toadh necem octodecim an.	22. 637.	21.
Inde ad Rathruadh, ſeu Moyrath prælium (bellum Rath Adamnano) (*f*) ad S. Mochudæ obitum, & ad Falbeum Flann regem Momoniæ mortuum viginti duo anni.		
Inde ad mortalitatem (poſt Solis Eclipſim Kal: Maii)	27. 664.	25

qua (ſequent anno graſſante) Diermitius, & Blathmacus R. R. H. SS. Fechinus,& Aleranus deceſſerunt viginti ſeptem anni.

58. 722. 55. Inde ad prœlium Almhuine, quo Fergalius R. H. & Conallus Meann ceciderunt quinquaginta octo anni.

16. 738. 17. Inde ad prœlium Uchbhadh, quo Branius, & Aidus filius Colgani R. R. Lageniæ occubuerunt, ſedecim anni.

05. 743. 07. Inde ad Aidi Ollanii cædem in campo Seremoy quinque anni.

20. 763. 20. Inde ad obitum Domnaldi Midiæ, & Hiberniæ regis viginti anni.

44. 807. 41. Inde ad Kenannus Monaſterium in honorem S. Columbæ à Kellacho Hienſi Abbate extructum quadraginta quatuoranni.

39. 846. 39. Inde ad Turgeſium, Danorum ducem ſubmerſum, Niellum Calneum R. H. & Fedlimium regem Momoniæ defunctos unde quadraginta anni.

32. 908. 32. A Nielli regis morte ad prœlium Mugna, quo Cormacus rex Momoniæ, & Kellachus Oſſoriæ dominus ſuccubuerunt, Sexaginta duo anni.

08. 916. 08. Inde ad mortem Flanni R. H. Octennium.

03. 919. 03. Inde ad prœlium, quo conciderunt Niellus Glundub R. H. Conquovarus O Malachluin Flanni regis Hiberniæ filius, Flahertius, Malmithius filius Flannagani Bregiæ dominus, & Aidus filius Achagani Ulidiæ dominus ab Oſtmannis Dublin : occiſi, triennium.

25. 944. 25. Inde ad obitum Donchadi R. H. viginti quinque anni.

33. 980. 33. Inde ad Reginaldum Aulafi Oſtmannorum ducis filium prælio Temorenſi peremptum triginta ſex anni.

Inde ad Glenmama prœlium. adverſus Oſtmannos viginti anni.

20. 1000. 20. Inde ad Craibhe prœlium quadriennium.

04. 1004. 04. Inde ad Brianum filium Kinedii Regem Hiberniæ

10. 1014. 10. cæſum decennium. Inde

Inde ad Malachiam filium Domnaldi regem Hiberniæ mortuum Octennium. 1014. 08. 1022. 9.

Inde ad Donnchadi regis Momoniæ exceſſum quadraginta duo anni. 42. 1064. 42.

Inde ad Saxonum prœlium (ad *Stanford-bridge* prope Eboracum) in quo *Norwegiæ* rex, Haraldus occubuit, biennium. 02. 1066. 02.

Inde ad Kalendas Januarii Lunaris ætatis diem ſeptimum, Anno 1072 inchoante; quo anno 1072 Diermitius Lageniæ rex occidit, quinquennium. 05. 1072. 05.

CAPUT. XCII.

Regum, & Subregum Hiberniæ Chriſtianorum cum regibus Albaniæ Synchroniſmus rectæ Chronologiæ reſtitutus.

EXtat libellus cujuſdam incerti authoris; de quo ita Dr. Uſſerius: (*a*) *Qui lingua Hibernica tum Monarcharum, & Provincialium Hiberniæ Principum, tum Albaniæ Regum Synchroniſmos delineavit non novitius author.* Sed variæ ſunt per varia M. S. apographa lectiones, & in numeris diverſitas. Chronica igitur in eo libello intervalla libuit ad præſens inſtitutum juxta jam emendatum poema à numericis vitiis expurgare, ut in ſequentibus.

a *Uſſer. Primord. pag.* 1028 & 1029.

Ab adventu S. Patricii ad *Ochanum prœlium*, in quo Olillus Molt. R. H. occubuit non anni 43, ut in libello, ſed anni quinquaginta unus exacti ſunt. Nam annum prœlii 483 annales Ultonienſes (*b*) habent, eundemque annum Olilli finis ex regum ſerie deſignat.

b *Ward. vit. S. Rumoldi p.* 364.

20. Ab Ochano prœlio uſque dum Sex filii Erici filii
303. Achaii Munremhair ſcilicet duo Æneæ, duo Loarni, & duo Fergusii Albaniam adierunt, anni fluxerunt viginti. Ita in omnibus, quæ vidi, apographis legitur, & cum Tigernachi calculo probè convent (*a*). Verum quod ad numerum filiorum Erici attinet tres ſolum nominat poema (*c*) regum Scotiæ ad Malcolmum 3. viz. Loarnum, Fergusium, & Æneam, ut videre eſt apud Colganum in Tr. Thaumaturga (*d*), eoſdem tres, ſed corruptis nominibus nominat antiquius Britanniæ Chronicon ab Uſſerio (*e*) citatum: Loarni etiam, Fergusii, & Æneæ trium tantum in Scotia progenies innoteſcebat.

c De quoibidem pag. 223. & 361.
d Tr. Thaum. pag. 115. n. 144.
e Uſſer. loco. citato p. 699.

Ab eodem Ochano prœlio ad finem Diermitii regis Hiberniæ filii Fergusii Kerbhevil anni viginti quatuor. Ita paſſim legitur; ſed id adverſus authoris mentem eſſe liquidò conſtat: nam infra idem ſpacium quatuor Hiberniæ reges Lugadium filium Loagarii, Murchertum filium Ericæ, Tuathalium Calvoaſperum, & Diermitium regnaſſe memorat; quorum quiſque, excepto Tuathalio, ſupra viginti annos regnando explevit: unde Wardæus (*f*), uti in ſuo apographo legit, aut correxit, octoginta annos pro 24 ſcripſit: ſed ab anno 483, ad Diermitii regis finem (Anno 565 ut ſupra (*g*) definitur) anni octoginta duo expirarunt.

f loco cit. pag. 364.
g cap. 91.
h cap. 91.
i cap. 90.
k infr. c. 93.
Ad ann. 1119.

483.
82. A Diermitii regis interitu ad mortem Aidi R. H.
565. filii Anmirei non 36, ſed triginta quatuor anni efflux-
34. erunt.

599. Ab Aidi Anmirei regis fine ad mortem Domnaldi
43. R. H. filii Aidi non 63 anni, ſed 43, ut in Goghagani
642. verſione codicis Cluanenſis.

101. A Donaldi ejuſdem obitu ad caſum Aidi Ollanii R H. non 105: ſed centum, & unus annus. Nam inter Diermitii regis, & Aidi Ollanii caſum 178 anni,

ut

ut ſupra (*b*), intercedunt: anni vero 36, 63, & 105 faciunt 204 annnos.

Ab Aidi Ollanii caſu ad mortem Aidi Finliathi R. H. non 132, ſed 136 annos character (*i*) mortis Finnliathi docet. 343. 136.

Ab Aidi Finnliathi mortem ad Briani Boromæi R. H. finem non 137, aut 138, ut variè legitur, ſed centum triginta quinque annos fuiſſe liquet (*i*). 879. 135. 1014.

A Boromæi prœlio ad Murchertum O Brian Auſtralis Hiberniæ regem mortuum centum, & quatuor quidem completi, ſed centum, & quinque anni ſunt minus diebus 41 (*k*). 105. 1119.

Hæc ita præmittere duximus ad firmandam ſequentis Catalogi Chronologiam.

CAPUT. XCIII.

Regum Hiberniæ Chriſtianorum quadraginta octo Catalogus.

428. 35. LAogarius [88] Nielli [87] Magni regis Hiberniæ filius Dathyæ patrueli ſuo in Gallia ad Alpes pereunti ſurrrogatur R. H. triginta quinque annos. Huic triginta tantum annos plerique tribuunt: illi vero triginta accipiendi ſunt, ex quo Jeſu Chriſti familiæ nomen dedit, ut in codice Lecano (*a*) ita Latinè explicatur: *Triginta annis regnum Hiberniæ poſt adventum Patricii tenuit.* Laoğaire mac Neill.

463 20 Olillus [89] Molt, ſeu Vervecinus Dathyæ [88] regis filius è rege Connactiæ factus R. H. viginti annos regnavit. Oilliol Molt

a *Cod. Lecan. fol.* 306. *a.*
b *War Antiq. Hib. c.* 4.

Lugaiḋ mac Laoḋaire. 483 25 Lugadius [89] Laogarii regis filius R. H. viginti quinque annos.

Anarchia. 508 05 Quinque annorum interregnum.

513 21 Murchertus [90] Mac-erca, Muredacho patre, Eugenio avo, Nielli Magni pronepos R. H. annos viginti unum.

82. *Conarius 2. R. H. Anno 212.*
83. *Carbreus Rieda à quo Dalriedini.*
84. *Ferguſius vlo.*
85. *Æneas Fear.*
86 *Achaius Munreambair.*
87. *Ericus*
88. *Loarnus. ſupr. cap. 92.*

A cujus matre Erica filia Loarni [88], qui Conarium [82] 2. regem Hiberniæ tritavum præfert, Dalriedinorum in Scotia primi principis Mac-erca patronymicè appellatus eſt.

Quinquenne interregnum antè, & annorum viginti unius regnandi ſpacium Murcherto datum D. Waræi (*b*) authoritate ex annalibus Ultonienſibus habemus. Qui vero 24 annos Murcherto aſcribunt, Inter-regni annos inter eos numerant: præter interregni enim ſpacium, viginti tantum annos regni complevit, & partem unius. Nam annum quo pridie Kalendas Novembris vivere deſiit, & quo Succeſſor inchoavit, Sabbati charactere Kalendis Januariis notat Tigernachus, & undecim regni annos tribuit ſucceſſori: unde annum opportet eſſe æræ vulgaris Chriſtianæ 533. à quo undecim anni ad ann. 544, quo ſucceſſor annis viginti uno poſt mortem S. Brigidæ ſublatus ſtatuitur.

Tuaṫal Maolgarḃ 533 11 Tuathalius [90] Calvoaſper, patre Cormaco, Nielli [87] Magni è Carbreo [88] filio pronepos R. H. annos undecim.

Diarmait mac Feargua Cerrḃeoil. 544 21 Diermitius [90] filius Ferguſii [89] Kerbheoil Nielli [87] Magni ex Conallo [88] Crimthanno filio pronepos R. H. annis viginti uno.

Domnall, 7 Fergus. 565 1 Domnaldus [91], & Ferguſius [91] Murcherti [90] regis filii Sociali imperio R. R. H. annum unum.

566 Boetanus [91] Murcherti [90] regis filius, & Achai-
2 us [92] Domnaldi [91] deceſſoris filius ſimul regnant RR. H. biennio.

568 Anmireus, [91] cujus pater Sednæus, [90] & Mur-
3 chertus [90] rex fratres uterini, Conalli [88] Gulbanii filii Nielli Magni è Ferguſio [89] filio pronepos R. H. per triennium.

571 Boetanus [91] filius Ninnedii [90] deceſſoris patrue-
1 lis R. H. unum annum.

572 Aidus [92] Anmirei [91] regis filius R. H. viginti ſep-
27 tem annos. 4. Idus Januarii Anno 598 prœlio occiſus.

599 Aidus [91] Slanenſis Diermitii [90] regis filius, &
6 Colmanus [32] Rimhe Boetani [91] primi filius æquali imperio R R. H. ſex annos.

605 Aidus [92] Huaridnus Domnaldi [91] regis filius R.
7 H. ſeptem annos.

612 Malcovus [93] Clericus Aidi [92] primi filius R. H.
3 tres annos.

615 Suwneus [92] Meann Fiachnæ [91] filius Murcherti [90]
13 regis è Feradacho [90] fratre pronepos R. H. annis tredecim.

628 Domnaldus [93] Secundus Malcovi regis frater
14 R. H. *obiit ſub exitum Januarii, regni ſui* 14 *Anno* 64½ War.

642 Kellachus [94], & Conallus [94] Malcovi [93] regis filii
12 pari poteſtate R R. H. annos duodecim.

654 Conallus idem, mortuo Kellacho R. H. qua-
4 driennio.

658 Blathmacus [92] & Diermitius [92] Aidi Slanenſis
7 regis filii R R. H. Septenni conſortio *obierunt ex peſte Anno* 666. War.

665 Sachnaſachus [93] Blathmaei [92] deceſſoris filius R.
6 H. ſex annis.

Baotan mac Anmirech-taig.

Eochaid mac Domnall Aimire mac Sedna mic Fergusa cerrboda.

Baotan mac Ninnedai.

Aed mac Aimire.

Aed Slaine. Colman Rime.

Aed uairidnach.

Maelcoba in cleirech

Suibne Mend. Domnall mac Aeda mic Aimire.

Cellach.

Conall Caol

blathmac.

Diarmait.

Sechnasach.

671

Cẽnfaolad. 671 4 — Kennfœlius [93] deceſſoris frater R. H. quatuor annis

Finnacta Fleadach. 975 20 — Finnacta [93], Donchado [92] patre, deceſſorum fratrum patruelis R. H. viginti annis 14. Novembris Anno 695 occiſus.

Longſechmac Aongusa. 695 9 — Longſechus [95] Domnaldi [93] ſecundi ex Ænea filio nepos R. H. novem annos, ita Gmoduda, & rectè. Nam 4 Idus Julii ſexta hora diei Sabbati bello occubuiſſe tradit Tigernachus quod annum 704 indicat.

Congal Cinnmagair. 704 7 — Congalius [95] Kennmagar, patre Ferguſio, [94], deceſſoris patruelis R. H. ſeptenni imperio, ut omnes conſentiunt; de quo hoc pervetuſtum diſtichon.

Congal Cinnmagair mait Ri: bliadain dábliadain fó thri.
Deirin gan dogad gan dat: fa Rig fona fechtbliadnaib.

Congalius muſtis bene regnat bis tribus, uno,
Cujus Inisfaliæ ſeptennis fauſta poteſtas.

Fergal mac Maoiledúin. 711 11 — Fergalius [95] Maldunio Malfithrichi filio Aidi [92] Huaridni regis nepote genitus R. H. Undecim imperii anno confirmat dies vitæ poſtrema tertia Idus Decembris feriæ ſextæ conjuncta, ut habet Tigernachus; Symbolum anno 722 conveniens.

Fogartach mac Néill mic Cenaig Sotail. 722 1 — Fogartus [95], patre Niello, [94] avo Kernacho [93] Diermitii [92] 2. pronepos R. H. uno anno cum aliquot menſibus.

Cionaod mac Iorgalaig. 724 3 — Kinethus, [95], Cujus avus Conangus [93] Diermitii [92] 2. regis è fratre Congalio [92] nepos Irgalium [94] patrem genuit, R. H. per tres annos:

727

727 Flahertius [96] Longſechi [95] regis filius R. H. ſep- Flaiḃeṛtaċ
7 tem annos : inde factus monachus. mac Loing-
734 Aidus [96] Ollanius Fergalii regis filius R. H. no- ṡiġ.
9 vem annos. Cujus 4. regni anno Uchbhadh præ- Aloḋ Ollán.
lium commiſſum 14 Kalendas Septembris die Martis. Tigernac.

643 Domnaldus [97] 3, filius Murchadi [96], nepos Dier- Ḋomnall
20 mitii [95], pronepos Armedii [94], abnepos Conalli [93] mac Muṙ-
ḡuṫḃṛīḡ adnepos Suronei [92], trinepos Colmani [91] chaḋa.
filii Diermitii [90] primi R. H. viginti annis : *obiit 12 Calendas Decembris, Anno 763, in Iona Inſula, quo peregrinationem ſuſceperat.* War.

763 Niellus [96] Fraſſachus, ſeu Nimboſus Aidi [96] Olla- Niall Fraſ-
7 nii regis frater R. H. poſt ſeptenne imperium reli- ṡach.
gioſus factus in Iona Inſula, & monaſterio S. Columbæ Kille in Scotia ; ibidem ſepultus eſt Anno 778.

770 Donnchadus [98] Domnaldi [97] 3, regis filius, Anno Ḋoṅċhaḋh
27 733 natus R. H. viginti ſeptem annos : utpote mac Ḋom-
octennium ſuperſtite monachatu deceſſore, & naill.
undeviginti annos extincto. Quo rege, Anno 795, Dani Scotiæ, & Hiberniæ oras infeſtare cœperunt.

797 Aidus [97] Ornidius Nielli [96] Nimboſi regis filius Aloḋ Oṙḋ-
22 R. H. viginti duos annos : *regnum tenuit per annos plus, minus 22, obiit anno 819, vel ut alii habent 820, ætatis ſuæ ſexageſimo.* War. niḋhe.

Hoc rege, Dani, Norwegii, vel Oſtmanni, ut à diverſis vocantur, Anno 798, iterum Ultoniam, & Hebrides piraticâ infeſtarunt. Anno 807, Hiberniam primum incurſionibus intrarunt ; deinde Anno 812. Demum Anno 815 Turgeſius Norwegus in Hiberniam appulit, & exinde ibidem fixas ſedes habere cœperunt.

819 Conquovarus [99] Donnchadi [98] regis filius R. H. Conċuḃaṙ
14 quatuordecim annis. mac Ḋoṅċaḋa.

Niall Caille. 833 13 Niellus [98] Calneus Aidi Ornidii regis filius R. H. tredecim annis. Submersus est in Calneo fluvio *Anno* 846, *ætatis suæ anno* 55. War.

Maoilsechlain mac Maolruanaidh. 846 16 Malachias [100] Conquovari [99] regis è Malronio fratre nepos R. H. annos sedecim. Obiit pridie Kalendas Decembris feria tertia: Dungal. annales. Atque ita Anno 863, aliquot mensibus post 16 regni annos.

Aodh Finliath. 863 16 Aidus [99] Finnliathus Nielli Calnei regis filius R. H. annos sedecim: 12 Kalendas Decembris feria sextâ defunctus; ut habet Tigernac. seu Chronicon Scotorum: quod annum 879 confirmat.

Flann Sionna. 879 37 Flannus [101] Sinna Malachiæ [100] regis filius R. H. triginta septem annos. *Regnavit annos* 36, *menses* 6, *ac dies* 5. *Obiit* 8 *Calendas Junii, anno* 916, *ætatis* 68. War.

Ita suffragatur supradictum Chronicon Scotorum: *Octavo Kalendas Junii, septima feria,* 37 *anno regni sui defunctus est.*

Niall Glundoibh. 916 3 Niellus [100] Glundubius, seu Genuniger Aidi [99] Finnliathi regis filius, decessoris gener R. H. per triennium. A Danis sive Ostmannis prœlio prope Dublinium occisus est 17 Kalendas Octobris feria 4, ut notant annales Dungallenses. Scotochronicon, de quo supra, addit eodem anno Dominicam Paschalem 7 Kalendas Maii, & octavam Paschatis in æstate; idemque innuit Gormlathia regina Nielli mariti casum deplorans versiculis apud eosdem annales Dungal. citatis cum aliis cujusdam Comgalli versibus illum ipsum tum Paschatis diem observantibus. Quæ omnia annum 919, per totum seculum designant.

Donnchadh mac Flainn. 919 25 Donnchadus [102] 2, Flanni [101] regis filius R. H. viginti quinque annos; *morte repentina sublatus interiit, Anno* 944. War.

944 Congalius [101] 2, cujus pater Malmithius [100] trita- Congalach
12 vum prætulit Congalium [94] Kinethi regis pa- mac Maoil-
truum, R. H. annos duodecim Danorum bello mithe.
cecidit, Anno 956.

94 *Congalius, cujus ex Irgalia frater nepos Kinethus R.H. Anno 724.*

Cujus mater Ligacha Flanni regis filia, Kinethi filii Alpini Scotorum Albaniæ regis ex Malmaria filia neptis, Donnchadi 2, & Gormlathiæ Nielli Glundubii reginæ è diverſo toro ſoror, ac Glundubii regis per Malmariam matrem ſoror uterina.

95 *Amalgadius.*
96 *Conangus.*
97 *Congalius.*
98 *Kellachus.*

956 Domnaldus [102] O Neill Nielli [100] Glundubii regis Domnall ua
24 è Murcherto filio nepos R. H. viginti quatuor Neill.
annis.

99 *Flannagan.*

980 Malachias [104] 2, Donnchadi [102] 2, regis è Dom- Maoil ſgeleṫ
23 naldo filio nepos R. H. viginti tres annos. *Cum* mac Domh-
regnaſſet annos circiter viginti tres regnum ceſſit nall.
Brieno regi Momoniæ. War.

100 *Malmithius.*
101 *Congalius.*

Vigeſimus tertius, quo partim uterque potitus eſt, utrique completus tribuitur; quemadmodum à Briani morte novennium Malachiæ denuo plerique tribuunt, quo ſpacio pro comperto eſt annos tantum octo cum quatuor menſibus, & diebus decem interceſſiſſe.

1002 Brianus [102] Boromæus ex Heberi progenie, ut Briain Bó-
12 ſuperius capite 83. è rege Momoniæ R. H. duo- roimhe.
decim annis: Cruento Danorum Cluantarvenſi prœlio prope Dublinium, Anno ætatis 88 cum Murchado filio annorum 63, & Tordelvacho Murchadi filio annorum 15, aliiſque multis proceribus occubuit feria 6 Paraſceves, ut habent Dungall. annales, & Ketingus: Octava Paſchali æſtatem attingente, ut in Scotochronico; ſed accuratius apud Marianum Scotum in Chronico ita traditur; *Brianus Rex Hiberniæ Paraſceve Paſchæ, ſexta feria 9 Calendas Maii manibus, & mente ad Deum intentus necatur.* Quibus omnibus annus 1014, & dies 23 Aprilis apertè deſignatur.

1014 8 Malachias 2, iterum regnavit à Briani regis obitu ad ſecundum Septembris, Anno 1022, octo annos, menſes quatuor, & dies decem.

1022 Malachias 2. quadraginta octo regum Hiberniæ Chriſtianorum ultimus anno ætatis 73 naturæ ceſſit: cujus interitus diem ita ſignarunt Scotochronicon Tigernachi Cluanenſe, & ex eo Annales Dungall. Anno Decennovenalis Cycli 16. Malachias Magnus Rex Hiberniæ ſupremum caput ordinum, ac procerum Occidentis (*a*) apud Croinis lacus Andinn Inſulam propè regiam ſuam Dun-na-Skiath: *in* (*b*) *quadrageſimo tertio anno regni ſui* (*c*), *in quarto Nonas Septembris, die viz. Dominico, Luna ſecunda, præſentibus ac ſibi aſtantibus venerabilium SS. Patricii ſc. & Columbæ, ac Kiarani hæredibus pœnitens in pace pauſavit.* Et ſubditur poſt Kalendas proximas Januarias; Eclipſis Solis meridie, & Eclipſis Lunæ eodem menſe: In utroque citato loco hoc exhibetur epitaphium Malachiæ regis.

a *ſc. Hiberniæ, quæ tum ultima mundi ad Occaſum plaga credebatur.*

b *Hæc ita Latinè habentur in Scotochron. co.*

c *ſc. 23 annis ante Brianum, 12 an. regnante Briano, & 8 an. poſt mortem Briani.*

Tri ceud port aig an Rig: ima torar broit ig bid:
Altrom ó Rig na norſle: a mgoon gach onne oiobh.

Præbuit è caſtris veſtes, victumque trecentis:
Quarum quæque inopum ſedes penetralibus altrix.

CAPUT. XCIV.

Reliqui Reges Chriſtiani.

Righe go hErrgrabha.

POſt obitum Malachiæ 2. fluctuavit in Hibernia ſupremus magiſtratus, regeſque *cum reluctantia* placuit hiſtoricis patriis nominare, penes quos ſumma poteſtas ob æmulorum principum renitentiam abſoluta non

non manſit, G. Modudius ſeculo proximè ſequenti florens Antiquarius ſeptuaginta annorum interregnum poſt Malachiam 2 ſtatuit: quo intervallo principum, quos quidam ſcriptores Reges Hiberniæ vocant, nomina, & dignitates, prout in annalibus habentur, ad annos, quibus è vita exceſſerunt, ſubjungam.

1024 Cuanus O Leochain Scientiſſimus Hiberniæ Antiquarius, quem ferunt unà cum Corcrano Clerico poſt Malachiæ regis obitum gubernandi munus adminiſtraſſe mortem in Teſſia oppetiit. Eorum adminiſtrationem non multum Midiæ fines tranſcendiſſe opinor, & duos tantum annos duraſſe oportet ad Cuani vitæ terminum.

1040 Corcranus Clericus Anachoretarum Hiberniæ primarius, pietate inſignis Liſmoræ defunctus eſt.

1064 Donnchadus [103] Briani [102] R. H. filius Rex Momoniæ Romam peregrinationem ſuſcepit, ubi in monaſterio S. Stephani moriens pœnitentiæ palmam adeptus eſt.

1072 Diermitius [103] Malnamboi filius è Cathirii regis Hiberniæ ſemine ab Ennio [86] Kennſalach rege Lageniæ ſeptimus decimus, Donnchadi [103] regis Momoniæ per Dervorgallam filiam gener, Lageniorum, Danorum, & Auſtralis Hiberniæ rex Odhbha prælio occubuit 7 Idus Febr. die Martis: Poema Chronolog. ejuſdem temporis, & annales Dungal.

1086 Tordelvachus [104] O Brian Briani [102] Boromæi regis è Thaddæo filio nepos Rex Hiberniæ cum reluctantia, diuturna ægritudine confectus interiit Kenncoradiæ (*a*) Anno regni vigeſimo ſecundo, ætatis ſeptuageſimo ſeptimo, pridie Idus Julii feria 3. poſt egregiæ pœnitentiæ, & patientiæ graviſſimis cruciatibus moderate perferendis ſpecimen, ſacræ Synaxeos perceptionem

(*a*) *Non hæc Kenncoradia ad Braſſinogh fluvium ut putavit War. Ant. Hib. c. 4. p. 28. ſed alia a l. Shannum fluv. prope Kildaloam.*

ceptionem, & extremam chrysmatis unctionem. Extant apud Dungall. annales versiculi annum 1089 diem mensis, & hebdomadis, & annos 22 regni referentes. Unde regnationis tempus sumendum ab anno 1064 quo Donchado patruo in Momonia successit.

S. Lanfranci Archiepiscopi Cantuarensis literæ ad hunc regem Anno 1074 datæ ita habent; (*b*) *Magnifico Hiberniæ Regi Terdelvaco:* quem *pacis, ac justitiæ amatorem* tacitè innuit & magnam misericordiam populis Hiberniæ collatam, *quando omnipotens Deus Excellentiæ vestræ jus regiæ potestatis super illam terram concessit.*

1094 Elapsis Septuaginta duobus à morte Mala-
25 chiæ 2 regis interregni annis à G. Modudio assignatis, quibus prælati reges Donnchadus, & Tordelvachus Momoniæ, ac Diermitius Lageniæ, reges Hiberniæ dicebantur, Murchertus O Brian, & Domnaldus Maglochluin quisque se regem Hiberniæ referebat, viginti quinque annorum spacio, ut tradit G. Modudius: hic Australi, ille Boreali Hiberniæ dominatus.

Murchertus [105] fuit Tordelvachi [104] decessoris filius: Domnaldus [306] Lochlunii ex Ardgalo filio nepos, à quo Maglochluin patronymicè dictus, Malachiæ [103] pronepos Malronii abnepos, Flanni adnepos, & Domnaldi [100] fratis Nielli [100] Glundubii regis Hiberniæ trinepos.

1119 Murchertus O Brian Rex Hiberniæ paulo an-
9 te mortem Lismoriæ Clericatum iniens egregiâ pœnitentiâ vitam finivit in festo S. Mochoemoci Lethensis: Dungall. annales; atque ita 3. Idus Martii, & non 6. Idus Martii. Annum interitus Tigernachi continuator hac nota signavit; Kalendis sc. Januariis in feriam 4. & Lunam 16. incidentibus: qui annno 11$\frac{1}{2}$$\frac{1}{2}$ Congruus character. Murchertus hic literis

86 *Ennius Kensalach R. L. Sperius cap. 79.*
87. *Crim bannus. R. L.*
88. *Dathias.*
89. *Engenius.*
90 *Silanus.*
91. *Foelanus.*
92. *Foel. huo.*
93. *Onchuo.*
94. *Rogallus.*
95. *Aidus.*
96. *Diermitius.*
97. *Carbreus.*
98. *Kinethus.*
99. *Kellachus.*
1 0. *Domnaldis.*
101. *Diermitius*
102. *Donnchadus Malnambo.*
103. *Diermitius.*

R. L.

b *Usserii Sylloge Epist. 27.*

Ad Domnaldi exitum.

literis Anno 1096 ad S. Anſelmum Cantuarenſ. miſſis ita ſubſcripſit, *Ego Murchertachus Rex Hiberniæ ſubſcripſi*, aliiſque ad eundem circa an. 1102 Scribit *Murchardacus Rex Hiberniæ Anſelmo Anglorum Archipræſuli*: S. Anſelmus quoque literis ad ipſum Anno 1100 datis ita habet; *Murtardacho glorioſo Regi Hiberniæ*. Idemque aliis pòſt literis Uſſeri Sylloge Epiſt. 34 35 36 37.

1121 Domnaldus Maglochluin Rex Hiberniæ mune-
15 ra egenis clementer, & potentibus liberaliter elargitus in monaſterio D. Columbæ Dorenſi deceſſit anno ætatis ſeptuageſimo tertio, & principatus in Hibernia anno vigeſimo ſeptimo, in feſto S. Mochuaroci, nono Februarii, & feria quarta. Ita annales Dungallenſes. Proinde inter annum Interregni elapſi 194 & annum 1121, anni intercedunt 27, ſicut inter annum pariter 1094 & annum 1119, quo obiit Murchertus rex, anni 25 quibus regnavit.

Hinc porro quindecim annorum Interregnum, quod Waræus memorat, deducendum: quo intervallo nemo Hiberniæ regis titulum præ ſe fert: & quo expirante, ſtatim inde initium regnationis Tordelvachi O Conor dimanat.

1136 Tordelvachus [109] Magnus O Conor Rex Con-
20 nactiæ ab Achaio [86] Mogmedonio rege Hiberniæ vigeſimus tertius R. Hiberniæ cum refragantia annos viginti ut apud O Duveganum, ac pleroſque antiquarios (*a*). Interitus annum ita habent Tigernachi continuator, Codex Cluanenſis, & Dungall. annales: Anno 1156, Tordelvachus O Conor Rex Connactiæ, Midiæ, Breſiniæ, Momoniæ, ac totius Hiberniæ cum refragantia ſupremum caput ordinum, & procerum Hiberniæ Occidentalis Europæ Auguſtus ſuam omnem pretioſam ſuppellectilem, nempe

a *Cambrenſis Everſus cap. 9. pag. 85. ad fin.* Toirdelbaċ ó Conċabair.

86. *Achaius Mogmedonius. R. Hiberniæ. Anno* 358.
87. *Brianus.*
88. *Duachus. Golach.*
89. *Ferguſius.*
90. *Achaius. Tirmcarna.*
91. *Aidus. R. C.*
92. *Huadacus. R. C.*
93. *Ragallus. R. C.*
94. *Ferguſius.*

pe vaſa aurea, & argentea, gemmas, & reliqua ejuſmodi iuſtrumenta, equos etiam, & pecorum greges, inſtrumenta luſoria, arcum, pharetram, aliaque omnia, excepto gladio, ſcuto, & cratere, denique ſexaginta quinque uncias auri, & ſexaginta marcas argenti inter Eccleſias nominatim, & ſigillatim diſtribuens diem obiit extremum apud Dunmoram 13 Kal. Junii Kalendis Januarii præcedentibus à die Dominica auſpicatis; & Cluanenſi, S. Kierani ſede ſepultus eſt, Anno ætatis 68, & principatus (ex quo Donaldo fratri Anno 1106, ſuffectus) Anno 50.

95 *Muredachus Latus vertex. R. C.*
96. *Indrectus R. C.*
97. *Margallus.*
98. *Tonaltus.*
99. *Murgeſius. R. C.*
100. *Thaddæus.*
101. *Conquovarus R. C.*
102. *Cathildus.*
103. *Thaddæus de Turre. R. C.*
104. *Conquovarus. R. C.*
105 *Cathaldus. R. C.*
106. *Thaddæus de Equo albo. R. C.*
107. *Aidus de Haſta manca. R. C.*
108. *Rodericus de Flava cane.*
109. *Tordelvaeus d. Clus. R. H.*

1156 Murchertus [109] Magloceluin Nielli [108] filius Domnaldi [107] nepos Murcherti [106] fratris Domnaldi [160] Maglochluin regis pronepos Tordelvacho O Conor ſucceſſit R. H. decem annos occiſus prælio apud Letirluin in Tironia, Anno quo Kalendæ Januarii à die Sabbato inchoarunt, ut notavit Tigernachi continuator, Chriſti 1166 totius Hiberniæ Monarchia citra renitentiam; ut ibidem, & apud annales Dungall.

Adeo ut, præter communem reſragantiæ notam omnibus à Malachiæ 2 exceſſu regibus adſcriptam, quam Lugadius O Clery in utroque cum reliquis admiſit, hic, & ſucceſſor ejus Rodericus inter reges Hiberniæ abſolutos recenſendi veniant.

1166. Rodericus [110] O Conor Tordelvachi [109] regis filius regnare cœpit ultimus Hibernici Sanguinis, Rex Hiberniæ.

1169 Angli in Hiberniam irruerunt; feſto decollationis S. Joannis Baptiſtæ in feriam ſextam incidente, malo Hibernis præſagio; de quo videſis Colgani Triadem Thaumaturgam p. 299. ad an. 1096. Primus appulit Robertus Stephanides menſe Maio prope Wexfordiam; poſtridie Mauricius Prendergaſt:

mox

mox ab appulſu literas mittunt ad Diermitium regem Lageniæ undecimo Maii, Anno 1169 datas.

1170 Richardus Strongbow Comes Penbrochiæ, aliquando Striguliæ, ſive Stroghill, aliquando de Chepſtow comes dictus in Hiberniam applicans Waterfordiam cepit 25 Die Auguſti, & Die Martis 29 Decembris proximi, & die Martis: S. Thomas Cantuarenſis paſſus eſt.

1171 Henricus 2 Rex Angliæ in profeſto S. Lucæ Evangeliſtæ cum 400 navium claſſe, & multis copiis ad ſubigendam Hiberniam Waterfordiæ appulit; Anno Anglici imperii 17 ad 25 ejuſdem Octobris exituro.

1175 Rodericus rex Hiberniæ ab Angliæ rege conditiones accepit.

1186 Gubernaculo ſe ultro abdicavit: dimiſſis in ſuam ſingulis regionem Hiberniæ obſidibus; & regno Connactiæ filio ſuo Conquovaro in manus tradito.

1198 Rodericus Rex Hiberniæ diem obiit. Cujus obitus tempus ita ſignanter Hibernice adnotatum in pervetuſtâ penes me ejuſdem temporis annalium pergamenâ, vel certè ex ejuſdem temporis autogropho excerptâ, non enim ultra annum 1201 pertingit.

"Kalendis Januariis à feria 5 Lunæ vigeſima annum Decennovenalis cycli, & Biſſextilis ſecundum "aperientibus Rodericus filius Tordelvachi O Conor "Rex Hiberniæ mortuus 3 Kalendas Decembris die "Dominica Lunaris ætatis 27, ætatis ſuæ anno octo"geſimo ſecundo: Poſtquam decem annos à morte "patris Connactiæ præfuiſſet & inde annos octode"cim toti Hiberniæ, donec imperio ſe ultro abdicaret, "dimiſſis in ſuam ſingulis regionem Hiberniæ obſidi-

"bus, tredecim reliquos vitæ annos apud Congam S.
"Fechini monaſterium, ſuſcepta peregrinatione, ad o-
"bitum confecit. Inde Cluaniam corpus effertur; &
Cluain macnois. "ab Aquilonari latere altaris in ſummo templo, qua
decuit pompa, ſepelitur poſt Palmam peregrinationis,
"& piorum operum obtentam. Aurum, argentum, &
"multa alia bona Deo, pauperibus, univerſis Hiber-
"niæ Eccleſiis, Romanæ etiam, ac Hieroſolymitanæ
"moriens legavit.

405 Hinc ad Hiberniæ ſceptrum ad reges Hibernicæ originis è *Scotiâ* Dalriedinis Herimone ſatis Magnæ Britanniæ monarchas poſtliminio devolutum anni effluxerunt quadringenti quinque.

1603 24 Martii Jacobus Magnæ Britanniæ & Hi-
22 berniæ Rex.

1625 27 Martii die Dominica.

1625 27 Martii die Dominica Carolus 1. M. Brit.
24 & Hiberniæ R.

1649 30 Januarii, die Martis Carolus primus a ſuis
11 ſubditis manu carnificis publicè decollatus.

1660 29 Maii Carolus 2. eodem die triginta annos
24 natus Londinum receptus, ſuis exinde 24 regnis huc uſque potitur.

1684 Cujus hic annus regni à morte patris trigeſimus ſextus Solis Eclipſi ſecundo die Julii inſignitus, 2699 annis poſt Scotorum in Hiberniam adventum: periodi Julianæ 6397.

Annus Periodi Julianæ, quo Scoti venerunt 3698.
Tempus inde elapſum ——— 2699.

Annus præſens Periodi Julianæ. ——— 6397.

D. RODERICI

D. RODERICI O FLAHERTY

CARMEN CHRONOGRAPHICUM,

OGYGIÆ

Suæ ſummam complectens;

A Mundi exordio, ad præſens tempus.

In tres Partes diſtinctum.

Quarum prima de primis Incolis, Coloniis, & Regibus Hiberniæ, ab Anno Mundi 1960 *ad Annum Mundi* 4381. *Æræ Chriſtianæ* 432. *per Annos* 2412.

OGygiæ mihi carmen erunt primordia terræ
Deductum ad noſtros condito ab orbe dies.
Paſſa quot eſt gentes, Reges quot Hibernia norat,
Muſa refer, tempus digere quodque ſuum.
Mille quater quinos decies ſi dempſeris annis, *Annus Mundi 3950, primus æræ Chriſtian.*
Mundo Incarnati convenit æra Dei.

A. M.

1656 Ter, quater octavum poſt ſecla bis octo ſub annum
1 Arca nat; hinc annum fluctibus acta maris:

1657 Hinc Partholanus ter centum, ſexque bis annis
312 Primus Iniſfaliæ detegit hoſpes agros.
1969 Juvernam incoluit ter quinque biennia tantum,
30 Cum totum abſtulerit peſtis acerba genus.
1999 Deſertam totidem Nemethus adiverat annos
30 Rurſus, ubi arboribus ſylva tegebat humum.
2029 Bis centum, bis & octo annos Nemethia proles
216 Præſuit ad turris damna, Conange, tuæ.
2245 Tertio Ierna vacat ſylveſtribus obſita dumis,
412 Bis duo ſecla, annos quinque bis, atque duos.
2657 Belgæ, Damnonii, ſimul & Gallenia pubes
Has ſibi tum vacuas aſſeruere plagas.
Inclyte Dela, tuis hæc quinque colonia natis
Paruit: hinc Rex fit primus, Ierna, tuus.
Scinditur in quinas à fratribus Inſula partes:
Jus habet at quavis parte monarcha ſuum.
136 *Reges Fibuci.* Centum ſupremos, novies quatuorque Monarchas
Inſcia adhuc veri vidit Ierna Dei.
80 Belga novem dederat per dena octennia reges
Quinque ſimul fratres, quattuor hiſque ſatos.
2737 Ex Arcto Britonum rediens gens gnava Danannæ
Nemethi repetit priſtina jura genus.
9 *RR. per annos* 197. Hi totidem reges tribus annis ante ducentos
Fata ſibi, abſolvunt, quas ſtatuere vices.
2737 Prima Danannarum geſtavit ſceptra Breaſus,
7 Septima quem Nuado cedere fecit hyems.
2744 Quinta Argentimanum Nuadum quater abſtulit æ-
20 Claſſis ab Arctoo Dux fuit ille ſolo. [ſtas:
2764 Lugad Longimanus procerum moderamen adeptus,
40 Noſtra quater denis meſſibus arva regit.
2804 Dagdaus imperio per luſtra bis octo potitus,
80 Vix ratus eſt parcas poſſe nocere ſibi.
2884 Dalboethus patruo ſuccedens filius Ogmæ
10 Sceptra Danannarum per duo luſtra gerit.

Quinque

Quinque bis autumnos Fiachus regnaverat hæres
10 Dalboethi, Ogygiæ qua patet ora, patris.
2904 Tres alternatim concordi fœdere fratres
30 Postremi ad clavum ter duo lustra sedent.
Ter gemino patrio est hæc Insula nomine dicta
Horum è reginis Eria, Banba, Fo-dla. *Eria, Banba, Fodla.*
2934 Scotica Cantabriæ tum solvit littore classis,
Gathelidæ priscis gens oriunda Scythis.
Tempus erat Salomon quo structa dicaverat uni
Templa opibus, donis, mole superba DEO.
Septima Luna, Jovi sacra lux, Maiæque Kalendæ
Appulsus annum symbola certa notant.
Debita, contritis, Juvernæ sceptra, Danannis,
Milesii soboles asseruere sibi.
His fata progenies, gens non delebilis ævo
Perstat adhuc patrio nobilis usque solo.
Undecies denis regnatur, & octo Monarchis 118 *RR. Eibnici, sc.*
Ad nova Patricii nuncia sacra pii.
Sex decies Herimon princeps cum semine complet: *Herim.* —60
Reginam, & reges octo ter Hirus habet. *Hir.* ——25
Tres facis, Ithe; duos, novies tribus addit Heberus:
E vulgo reliquos Carbreus inter erat.
Milesii proles Herimon, & Heberus, & Hirus
Milesii Sedenim patruus Ithus erat.
2934 Mille, quadringentis, duodenis & quater annis 2934
1 Illius coluit gentis Ierna Deos. 1418
Ad An. M. 4352
2935 Post annum est Herimon Scotorum Rex prior un-
13 Messibus arva decem rexerat, atque tribus. [ctus,
Temoriam extruxit conjux Herimonia Thais:
Summus ubi imperii, mœnia celsa, locus.
2948 Mumneus imperio cum Lagneo Lugnius æquo
3 Regnarunt annis nati Herimone tribus.
2951 Filius Euryalus denos Herimonis ad annos
10 Gestarat regni regia sceptra novi.

Excipit

2961 Excipit Ethreolus genitorem regius hæres,
20 Bis tot & autumnos, quot pater antè, sedet.
2981 Primus Heberiadum soboles Conmalus Heberi
30 Milesios fasces bis tria lustra tenet.
3011 Sceptra Tigernmasius repetens dominatur aristas
23 Tres & viginti, Rex Herimone satus.
3034 Post Idolorum quam se devoverat aris,
7 Rege carens Solium septima vidit hyems.
3041 Quattuor ad Messes de semine Achaius Ithi,
4 Arbiter è summo jura dat æqua throno.
3045 Succedunt Hiri fratres è stirpe Sobarchus,
40 Kermnaque: complerunt lustra per octo vices.
3085 Conmalo sequitur prognatus Achaius: anni
20 Curriculum regni quinque cedere quater.
3105 Inde Tigernmasii pronepos Labrannius agros
24 Autumnos Fiachus sex quater usque regit.
3129 Regnat Heberiades septem ter Achaius annos
21 Mumo; Momoniæ dicitur unde solum.
3150 Olmucad Æneas Herimoniis (inclytus ultra
18 Littora nostra) sedet Messibus octo, decem.
3168 Ennius alternas è stirpe reportat Heberi
24 Annorum spacio quippe ter octo vices.
3192 Scotigenum undenas potitur Rotheactus aristas
11 Olmucad Æneæ, regis honore, nepos.
3203 Regia Sednæus stirpem revocarat ad Hiri
5 Sceptra simul binis Messibus, atque tribus:
3208 Filius huic vitam male gratus ademerat hæres,
14 Rex Fiachus brumis quattuor, atque decem.
3222 Rector Hibernigenum Munemon fit Heberius; annos
5 Quem post quinque neci pestis acerba dedit.
3227 Hinc Faldergodius Munemonis nobile germen
9 Ter tribus autumnis regna paterna tenet.
3236 Clara quater denis stirps Ollamfodlaus Hiri
40 Messibus ad clavum sistit, Ierna, tuum.

Filius

3276 Filius insequitur pestis Finnacta veneno
20 Consumptus, residens lustra quaterna throno.
3296 Finnactæ frater cadit absque dolore Slannollus,
17 Septennis regnans messibus, atque decem.
3313 Gedius ablatis suffectus fratribus hæres
12 Quinque regit brumis, quatuor, atque tribus.
3325 Occisum Fiachus patruum diademate privans
8 Arbitrio populos messibus octo regit.
3333 Berngalus ulciscens patruelis funere patrem,
12 Tres quater æstates civibus usque præest.
3345 Sufficitur cæsi solio patruelis Olillus,
15 Æstates regnans quinque ter ante necem.
3360 Restituit stirpi fasces Herimonis Hibernos
21 Sirna senex annis Rex tribus, octo, decem.
Primo anno Sirnæ Solymæ Babylonius arces *Hierosolymæ excidium.*
Vastat, & in cineres dat Salomonis opus.
3381 Fulmine progenies ictus Rotheactus Heberi
7 Septem annos populos frænat Hibernigenûm.
3388 Tum patris Elimius successor regius annum
1 Possidet omne sua sub ditione solum.
3389 Ter tribus autumnis regni moderatur habenas
9 Gillchadius, Sirnam qui sibi fecit avum.
3398 Elimio genitus Juvernam temperat annis
12 Quatuor Arturus, quinque, tribusque simul.
3410 Finnsalius tredecim Nuadus compleverat annos:
13 Gillchadi genitus sanguine regis erat.
3423 Regius Arturi natus diadema Breasus
9 Induit: autumnis sex, tenuitque tribus.
3432 Optachus hinc Fodlæ dominatur Achaius, Ithi
1 Progenies ternis mensibus, atque novem.
3433 Bina per Ogygios regale decennia campos
20 Finnius ex Hiri semine munus obit.
3453 Regia Sednæus soboles præclara Breasi
14 Sceptra tenet messes, quatuor, atque decem.

Cui

3467 Cui Breaco cognomen erat Sex jugiter annos
6 Regna Simon Nuadi tractat avita nepos.
3473 Candida Sednæi soboles octenne Duachus
8 Transigit in solio tempus, Jerna, tuo.
3481 Præfuit Erigenis annum non amplius unum
1 Principe Muredachus Bolgra Simone satus.
3482 Quinque annis proles regit Ennius alma Duachi,
5 Donec Heberiadam sustulit atra lues.
3487 Lugadium totidem quinis æstatibus Herdon
5 Extincto proceres substituere patri.
3492 Sanguine Longimanus prognatus Sirlamus Hiri
16 Octo bis Erigenûm messibus arva tenet.
3508 Semine progenitus Navalis Achaius Heberi
12 Regnavit brumis Rex tribus, atque novem.
3520 Quinque annos fratres & Achaius, atque Conangus
5 Muredachi regnant regis uterque nepos.
3525 Lugadius quatuor detrusit utrumque per annos
4 Rubrimanus lumbis cretus, Hebere, tuis.
3529 Rubrimani redimit fraternam cæde Conangus,
7 Atque iterum brumas quinque, duasque sedet.
3536 Hinc subit Arturus de semine notus Heberi,
6 Temoriæ senis messibus arce potens.
3542 Quinque domo genitus Regnator Olillus eâdem
9 Candidus autumnis, bisque duobus erat.
3551 Filius huic septem suffectus Achaius annos,
7 Qua maris Ogygiam circuit unda, regit.
3558 Hiriadum princeps Argetmarus exul Jernam
10 Autumnos repetens quinque bis usque tenet.
3568 Ladgraus imperium quinquennia bina Duachus
10 Muredachi regis vendicat ense nepos.
3578 Semine Lugadius cretus Vitulinus Heberi
4 In bello regnum post quadrienne cadit.
3582 Hiriadis orti patruis septem ter Aidus
21 Dithorbusque annos, Kimbaithusque sedent.

Kim-

Kimbaithus primo Maio moderaminis urbem
Regibus Emaniam condidit Ultoniæ.
Emania Condita Anno Mundi 3596.

Annis sexcentis post sexaginta duosque
Ex quo Scotorum cessit Jerna jugo.
29 34an. Aun. adv. Scot. 662

3603 Macha patrem, patris & patrueles excipit ambos
7 Septem annis regum fœmina sola throno.
3596 Ann. prim. Kimbaithi.

3610 Clarus Heberiadæ pronepos tribus imperat Enni
9 Messibus Ogygiæ, sexque Reactus agris.

3619 Triginta Hugonius Rex annos transtulit in se
30 Regni Herimoniades jura, suumque genus.

Cœpit, Alexander Darium quo vicerat, anno:
Vergiviumque ultra protulit arma salum.
Alex. Magnus Darium v. cit.

3649 Rex erat Hugonii Laogarius octo bis annos,
16 Lageniæ proceres quo genitore sati.

3665 Cobthachus Hugonides fratri suffectus in aula
17 Temoriæ messes octo, novemque sedet.

3682 Trans mare quinque nepos Laogari, tresq; ter annos
14 Lauradius veniens rexit Inissaliam.

3696 Cobthache, te genitus bis sex Laudabilis annos,
12 Rector Hibernigenûm Melga potitur agris.

3708 Occupat inde thronum Mogcorbus, Heberia proles:
6 Non per sex hyemes vidit Jerna parem.

3714 Imperium Doctus septenne capescit Olillo
7 Laradii Æneas è genitore nepos.

3721 Arbitrio leges dispensat. Hierngleo senis
6 Messibus alma tuæ, Melga propago, domus.

3727 Septenas Fercorbus erat dominatus aristas,
7 Mogcorbi soboles, Momoniæque decus.

3734 Conla, deinde tuum regnavit, Hierngleo, germen,
4 Dum quater annorum circulus usque redit.

3738 Dente-Scaber, patre defuncto, investitur Olillus,
25 Et tria cum lustris lustra duobus agit.

3763 Instat Adamarius Fercorbi filius annos
5 Quinque, cui expansis tempora compta comis.

3768 Dente-Scabri natus succeſſit Achaius Olilli:
Sedit & autumnos quinque duoſque throno.
3775 Ferguſius Banbæ duodenos imperat annos
12 Strnuus, Æneam qui referebat avum.
3787 Temoriæ Æneas hæres, & natus Achaii
32 Meſſibus Erigenas temperat octo quater.
3819 Quinque Columnaris, patruo diadema Conalius
5 Vendicat, extincto, meſſibus eſſe ſuum.
3824 Regna Niaſedamon ſeptennia cretus Heberò,
7 Qua mare Vergivium littora pulſat, agit.
3831 Filius Æneæ, patruelis & Ennius annos
10 Sceptra tenet geminans quinque, Conalle, tuus
3841 Ferguſiii Crimthannus avi ſibi debita nactus
4 Jura, ſedet ſpacium per quadrienne-throno:
3845 Ex Hiro Ultoniæ rex annos octo bis unum
17 Rudricius (quo gens Rudriciana) regit.

Kimbaithi. 1 annus.
3596
265

Kimbaithi à primo Rudrici morientis ad annum
Sunt bis centeni ſex ſuper undecies.
Conquovari ad mortem hinc centum, quater octo, duoque;
Qui, Chriſto genito, præfuit Ultoniæ.

3862
134

Inter Conquovarum ſunt, Kimbaithumque Monarcham
Quattuor, ut doctis, ſecula lapſa, liquet.

3969 ſubd.
400

3862 Clara Niſedamonis proles Innatmarus inſtat:
3 Tertia cujus erat funere triſtis hyems.

3526.

3865 Breſſalius Rudrici Scotorum Serta propago
9 Induit, & brumis ter tribus illa gerit.
3874 Hinc Innatmarides diadema Luagnius annos:
15 Lugadius geſtat quinque, ſimulque decem.
3889 Breſſalii frater trieterida, Congalus unam
3 Mortifera vacuos aſpide frœnat agros.
3892 Lugadio prognatus avo duo, quinque Duachus
7 Temoriæ exegit tempora verna throno.
3899 Rudricii tum Factna nepos quadriennia Sena
24 Fatali fruitus marmore jura dabat.

Fed-

3922 Fedhlocus hinc superest Herimonis Achaius ortus
12 Stirpe, quater brumis qui regit arva tribus.
3934 Temoriæ extincto successit Achaius Aremh
10 Fratri annis denis, fulmine & ictus erat.
3944 Sanguinè Edersicolius quinos Herimonius annos
5 Regnat, ubi nullis rana coaxat aquis.
3949 Luna necat Nuadum Niveum bis tertia Regem;
½ Ex Herimoniadum stemmate Lagenio.
3949 Regnat Edersicolides bis trina decennia, nati
60 Conarius, quocum cœperat æra Dei:
Conarii octavo post quadraginta Toparchus
Vivere Conquovarus desiit Ultoniæ.
Viginti undecies, denos quater, octo ter annos
60 Ultorum Emania hinc regia prisca stetit.
5 Postquam Conarius, succensis ædibus arsit,
Eria quinquennis principe cassa fuit.
65 Messibus octo nepos Fedlochi dominatur Achai,
8 Quem cute Lugadius dupla rubrica notat.
73 Lageniâ accitus de stirpe Herimonis Abratro
1 Annum Conquovarus munia regis obit.
74 Lugadii Soboles Crimthannus ad octo bis annos
16 Præsidet ad tumulum præcipitatus equo.
90 Karbreus hinc annos alienus sanguine regum
5 Quinque regit, sicca morte sed interiit.
95 Crimthanni regnat soboles cognomine Justus
21 Feradachus bis sex messibus, atque novem.
116 Suscepit fasces Herimone Fiatachus ortus:
3 Unica regnanti cui trieteris erat.
119 Feradachi Fiachus Justi Finnola propago
7 Septenni patrios tempore frœnat agros.
126 Ultoniæ Elimius rex semine profatus Hiri
4 Transtulit Emaniam bis duo musta thronum.
130 Temoriæ Fiachi ter denos filius annos
30 Arce Tuathalius sceptra paterna tenet.

3949
48
3997

Conquovarus Rex Ultoniæ obiit.

3997. *Christi*
48
284

An. Ch. 332

Emaniæ excidium.

106 Malius ex Hiri quadriennis ſtirpe reportat
4 Temoriæ faſces, Emaniæque ſimul
164 Inde Tuathalidis rerum moderatur habenas:
10 Fedlimius brumas legiſer uſque decem.
174 Conquovari Abratro trinepos Rex ultimus annis:
3 Cathirius ternis Lagenienſis erat.
177 Quintus Fedlimii natus quinquennia ſeptem:
35 Centimachus quinas ſubjicit enſe plagas.
20 Octobris die Martis cecidit. Bis decimo Octobris, Gradivo & luce ſacratâ
Centimacho exitium mors violenta dedit.
212 Conarius primi trinepos de nomine regis
8 Succedit Quinti meſſibus octo gener.
Scotiæ Reges. Quo ſata Scotorum Britonum ſtirps regia in oris
Triplicis imperii quos modo ſceptra manent.
220 Arturus Quinti decies tribus Unicus hæres
30 Meſſibus Ogygiæ ſceptra monarcha tenet.
250 Lugadius ſequitur de ſtemmate Macconus Ithi,
3 Tertia quem ſolium linquere fecit hyems.
253 Ferguſius regnum dentes Niger occupat annum
1 Ultoniæ ſatrapas rege Herimone ſatus.
254 Filius Arturi legum præcepta miniſtrat:
23 Cormacius brumis bis tribus, octo, novem.
277 Dentinigri inde nepos Gonat inſtat Achaius anni
1 Exuperans uno menſe, aliove vicem.
279 Liffecarus proles Cormaci Carbreus explet
17 Regnando autumnos quinque ter, atque duos.
296 Strabtenius patri Fiachus ſuccedit ariſtas
31 Septennas, denas, quattuor atque duas.
327 Colla ſui infidus patrui nece regnat Huaſus;
4 Quem quarta impulerat vertere bruma ſolum.
Emaniæ excidium An. Chriſti 331 Muredachus Fiachi ſoboles, patruele remoto,
332. 25 Octo bis autumnis imperat, atque novem.
100. Muredachi, exactis bis ſenis menſibus, annus
432. Proximus excidio nobilis Emaniæ

Hinc

Hinc ad Patricium Legatum Sede Quirini
Sunt anni decies Summa quadrata decem.
357 Sceptra Coelbadius de gente noviſſimus Hiri
1 Exercet quattuor Menſibus, atque novem.
358 Magmedonus Banbam moderamine Achaius æquo
8 Annos Muredachi filius octo regit.
366 Crimthannus Semen ſuccenturiatus Heberi
13 Meſſibus octo domi quinque, foriſque potens.
379 Tres novies annos ſtirps clara Niellus Achai
27 Rex cadit ad Ligeris littus Aremoricum.
405 Succedit patruo bis Sex, tribus, octo Dathyas
23 Meſſibus exardens Alpibus igne Jovis;
428 Scilicet ad Gallas dum bello fulminat Alpes,
Fulminis ignivomo turbine raptus erat.
4 Quattuor hinc annis Chriſti ſub lege ſubactum
332 Patricius reges mittitur Ogygiæ.

Pars Secunda.

De Regibus Hiberniæ Chriſtianis ab anno 432 ad annum 1022 numero quadraginta octo per annos 590.

CHriſticolæ reges parsaltera carminis eſto,
Qui numero extiterant octo bis, octoquater.
Tempus ab adventu Patrici triginta ter anni
Regibus his ſupra Secula quinque datum.
Deme duos, reliqui fuerant de Stirpe Nielli:
Unus erat pronepos, alter Heberiades.
Carbreus, Eugenius, Laogarius, atque Conallus
Crimthannus reliquis, Gulbaniuſque patres.

48 Reges quorum 46 è Semine Nielli R. unus Nielli è Fiachriofratre pronepos Olillus, alter Brianus ex Heberi Semine Filii Nielli, è quibus reges.

Patricius

432	Patricius quinto Laogari venerat anno
30	Qui sex, Patricio præsule, lustra regit.
463	Vervecine, duos dominaris, Olille Dathyæ
20	Nate, decemque annos, bis quatuorque simul.
	Bis decimo musto post lugubre funus Olilli
	Dat patriæ Scotis Pictica terra locum.
Olillus desit Anno 483	
483	Lugadius Soboles Laogari quinque ter annis,
25	Rexque decem tactus cælitus igne perit.
508	Quinque dein Janos sine regis Hibernia nutu:
503 5	Justitium Sedes passa Suprema vacat.
513	Eugenii inde nepos Septennia terna Mac-erca
Scoti in Britanniam transmiserunt Anno 503 21	Rex vino, & flammis mersus, & ustus obit.
533	Carbrei quinque nepos, & sex regnavit erat annos
11	Cormaco genitus patre Tuathalius.
544	Crimthanno Rex cretus avo Septennia trina
21	Dermitius ferro, fluctibus, igne perit.
565	Uno regnabant anno duo chara Mac-ercæ
1	Pignora Domnaldus, Fergusiusque simul.
566	Succedunt binos Boetanus, Achaius annos
2	Domnaldi hic frater, natus et ille, throno.
568	Regale Anmireus gestat diadema Conalli
3	Gulbanii pronepos Messibus usque tribus.
571	Gulbanii pronepos annum Boetanus ad unum,
1	Extincto Anmireo, Rex, patruele sedet.
572	Anmirei Soboles clarissima regis Aidus
27	Ter nona imperii messe peremptus obit.
599	Colmanus primi Boetani, & Dermiti Aidus
6	Slanensis brumis bis tribus usque regunt.
605	Regis Huaridnus Domnaldi natus Aidus
7	Septem annos Fodlæ Sceptra superba tenet.
612	Malcovus Anmiridæ natorum primus Aidi
3	Supra annum brumis Sceptra duabus habet.
615	Suwneus Eugenidûm cognato è Sanguine regum
13	Juvernæ tredecim Messibus arva jugat.

Quatuor

628 Quattuor Anmiridæ ſoboles dominatur Aidi:
14 Domnaldus Janis poſt duo luſtra pius.
642 Malcovidæ ſceptrum duo Killachûs, atque Conallus
12 Luſtra per, & brumas detinuere duas.
645 Fratre ſed extincto regni conſorte, Conallus
4 Quattuor autumnos uſque ſuperſtes erat.
658 Dermitium, & Blathmac natos Slanenſis Aidi
7 Septennes Reges peſtis acerba rapit.
Patris ab adventu Patrici quater octo ducentis
Meſſibus in Maio Sol tenebroſus erat.
Quem ſubit Erigenis, ſimul ac funeſta Britannis
Contages geminis regibus illa ferox.
665 Blathmacides lapſa eſt poſtquam ter bruma ſecunda,
6 Sachnaſacus regni gaudia cæde luit.
671 Succedit fratri quatuor Kennfælius annos,
4 Progenies generis, Blathmace, digna tui.
675 Donnchadi ſoboles, Magni Finnacta nepoſque
20 Slanenſis patriam luſtra quaterna regit.
695 Lonſechus Æneæ natuſque, nepoſque ſecundi
9 Domnaldi brumas regnat aduſque novem.
Julius huic vitam certamine menſis ademit,
Sabbato & undecimum luce ſequente diem.
704 Sufficitur ſeptem patrueli Congalus annos,
7 Quem ſubito ad loculum mors inopina rapit.
711 Regnat Huaridni ſoboles illuſtris Aidi
11 Fergalius autumnis octo, tribuſque throno.
Occidit undecimo, Marte adverſante, Decembris:
Cladis erat tantæ feria ſexta dies.
722 Dermitii pronepos, abavo Slanenſe, Fogartus
1 Menſibus in ſolio quinque, novemque fuit.
724 Poſſidet Irgalii Kinethus filius annis
3 E Slanenſæo ſtemmate ſceptra tribus.
727 Abdicat imperium ſeptenne Flahertius heros
3 Longſechides, monachum religioſus agens.

Adventus S. Patricii An. 432
232
664
Eclipſis Solis Kal. Maii.
12 *Jul. i, Sabbato, Anno* 704 *occiſus.*
11 *Decembris Feria* 6. *Anno* 722. *occubuit.*

Imperat

734 Imperat Ollanius ſoboles tua, Fergale, Aidus
9 Autumnos ternos, quatuor, atque duos.
Bis ſexto Auguſti lux proxima ſeptima, Martis
Quarto anno regni contigit eſſe dies.

19 Auguſti dies Martis An. 738 743 Colmano cretus Slanenſis fratre Donaldus
20 Quinque quater faſces meſſibus uſque tenet.
763 Fraſſache mutaſti Septenne, Nielle, cucullo
7 Fergalide regnum, captus amore Dei.
770 Donnchadus, Domnalde, tuus, Colmanice, natus
27 Præſidet autumnis octo ter, atque tribus.
Dani cœperunt infeſtare Hiberniam Ann. 25.
Quinto in ſe ducto cujus graſſarier anno
Vergiviis cœpit Danica claſſis aquis
Donnchadi Ch iſti 795. 797 Undenis geminis Monachi diadema Nielli
22 Meſſibus Ornidius patris Aidus habet.
819 Conquovarus proles Donnchadi reges ariſtas
14 Temoriâ potitur quatuor, atque decem.
833 Calneus Ornidio, regnavit, patre, Niellus
13 Autumnis tredecim flumine: raptus equo.
846 Conquovaro patruo, Malachias octo bis annos
16 Makronii ſoboles ſceptra tuetur avi.
30. Nov. & die Martis. Anno 863 obiit. Ter decime extinctum referunt monumenta Novembris
Extremum vitæ Martis & eſſe diem.
863 Calnides ſenis Banbæ moderatur Aidus:
16 Finnliathus brumis poſt duo luſtra ſolum.
20 Nov. & die Veneris Anno 877 obiit. Bis decimus junctus Veneris cum luce Novembris
Mortis in ambiguo non ſinit eſſe diem.
879 Septem, & ter denos Malachiæ filius annos
25. Maii, Sabbato Anno 916 obiit. 37 Flannis Hibernigenûm ſubdit aduſque ſolum:
Sabbato, & octavo Juni mors ante Kalendas
Temoriæ ſpoliat principe dura thronum
916 Finliathi prolem, Flanni generumque Niellum
15 Septembris feria 4 Anno 919 occubuit. 3 Glundubium regem tertia vidit hyems.
Septembris ter quinta dies, & feria quarta
Glundubio, Danis fauſta, cadente, fuit.

Paſ-

Paſchatis Octavam præcedens intulit æſtas :
Res ut erat priſcis nota notata libris.
919 Donnchadus Flanno genitus quinquennia quinque
25 Sanctorum fundum ſub ditione regit.
244 Bis ſexto imperii Danorum perditur armis
12 E Slanenſæo ſemine Congalius.
956 Sex quatuer autumnos regnat Domnaldus O Nellus,
24 Murcherti natus, Glundubiique nepos.
980 Nobilis inde nepos Donnchadi Rex Malachias
23 Quinque ſedet Janos, octo, decemque throno.
1002 Bis ſex, amoto Malachia, ſceptra Brianus
12 Meſſibus Ogygiæ tractat Heberiades.
Luce Paraſceves, Maii nonoque Kalendas
Danorum occubuit perditus enſe Senex.
1014 Tum repetit faſces Malachias rurſus Hibernos ;
8 Majorum & ſolio meſſibus octo ſedet.
1022 Septembris quartus Nonas, & feria Solis
Demonſtrant obitus tempora certa ſui.
Poſtea Janus init geminâ memorabilis annum
Syderis eclipſi rarâ utriuſque notâ

Quo Anno Dominica in Albis in æſtate. ſc. 2°. Maii.

23 April. feria 6. Paraſceves An. 1014. cadit.

2° Septembris die Dominico obiit.

Pars Tertia.

De reliquis Regibus Hibernicis ab anno 1022 ad annum 2684. per annos 662.

HActenus Ogygiæ percurrimus ordine Reges,
Annorum hac ſeries mille bis una tenus.
Omnia labuntur ; nihil immortale ſub aſtris
Tardius, aut citius meta ſtatuta venit.

Vergit ut ad finem multa ævo imperdita quercus,
Scotorum heic primum Regia quaſſa labat.
Priſca ruit quercus, ſed ſurculus inde rependit
Damna Caledoniæ conſita planta ſolo.
Prima mali labes primæ violatio ſedis;
Regnandi & rabies ambitioſa Ducum.
Panderat externis tum viribus oſtia, Trojam
Quod prius excidit, fœminæ adulterium.
Libertatis amor, fidei tutelaque patrum
Extremi exitii cauſa ſuprema fuit.

1022 Septem annos decies Malachiæ à morte, duoſque
72 Supremo inſedit nemo Monarcha throno.
1094 Tum duo regnantes Regem ſe quiſque profeſſus,
Hinc Boreæ partes, temperat ille Noton.
25 Murchertus Pronepos quinquennia quinq; Briani
Juvernæ Auſtrales tractat aduſque plagas.
27 Finnliatho cretus Lochlun Domnaldus Aido
Tot meſſes Boreæ præſidet, atque duas.
1119 Murchertum abſtulerat poſt ſex lux Septima menſis,
Quo noctem æquiparat longior inde dies.
1121 Domnaldus Doriæ moribundos exuit artus,
Quinto Idus Februi, Mercuriique dies.
15 Hinc deſolatum ſummum ſine rege tribunal
Quinqueter autumnos ſquallet, Ierna, tuum.
1136 MogmedonoO ConorusTordelvachus,ortusAchaio,
Meſſibus undenis imperat, atque novem.
1156 Domnaldi agnatus Murchertus quinque bis annos
10 Lochlunides regis munia victor obit.
1166 Filius O Conori Rodericus clauſerat agmen,
Ultimus indigenûm Rector Inisfaliæ.
3 Tertius in portu Wexfordæ vela Suillo
1169 Subſidium mœchi Maius Angla videt.
1 Strongbous hinc anno Septembris ad octo Kalendas
1170 Luce Waterfordæ mænia Martis habet.

13. *Martii. Anno* 1119 *obiit.*

9 *Februarii. Mercurii die Anno* 1121. *obiit.*

25. *Auguſti. Martis die, Waterfordia capta.*

Bis

Bis nona Hebdomada Martis quoque lumine præsul
Martyrio affectus Cantuarensis erat. 29 *Decembris Martis die.* 1170

1171 Inde Novembris erat Sexto decimo ante Kalendas 17. *Octobris.*
Anglorum Appulsus Rex mare classe secans. *Anno* 1171. *Hen. 2. appulit.*

27 Ter nono hinc anno, adventus & lumine primo,
Ter nono Lunæ Rex Rodericus obit.

1198 Post quadringentis, & quinque fluentibus annis
405 Scotigenæ sceptrum rursus Jerna colit,

1603 Conario genitus Jacobus origine Hibernus
Imperio uniret cun tria regna suo:
Quem septemgeminæ diverso è stemmate gentes
Agnoscunt Dominum sanguine quæque suum.
Anglia Normànnum, Wallum cum Saxone gentes
Tres, Pictum, & Scotum Scotia datque duas.
Milesios, & quos patriæ decus Anglia misit,
Huic pariter gentes præbet Jerna duas.
Discordes animis non vis, sed originis arctis
Nexibus ingenitus conciliavit amor.
Est Wallus Wallis Henrici stirpe creatus
Cadwaladri antiqua nobilitate sati.
Saxonici Edmundi Margrita (2) & neptis, & hæres
Saxonicum proli vinxerat una genus
Altera Wilhelmi Margrita (3) e semine primi
Normannum geminæ dat diadema Rosæ.
Dux Fergusiadûm, Pictorum hæresque Kinethus (4)
Univit soboli Scotica regna suæ.
Regibus ex Itho (5), ex Hiroque (6), Herimone, (7)
Per varios atavos gaudet Jerna sato. (Hebero & (8)
Progenie Anglorum pars altera vendicat ortum,
Et Burgo, & Lacio, Strigulioque (9) sibi.
Anglus ut Angligenis, Scotis, ut Scotus, Hibernis
Patritæ ex ortu stirpis Hibernus erat.

1693 Quinque super Saxum Fatale Jacobus inunctus
22 Imperat, & septem messibus, atque decem.

1625 Sex quater hinc natus ſuccedit Carolus annos
24 Ter decimo Jani lumine martis obit.
1649 Carolus inde nepos nonum quater inſtat ad annum,
36 Altera Quintilis quo tenebroſa dies.
1684

2 Julii 1684. Solis Eclipſi Anno 36 Caroli 2.

Cætera venturi pandet Deus arbiter ævi
Cujus ad imperium ſtat, cadit Ogygia.

Ogygiæ Libri primi finis.

1 EST Wallus Wallis Henrici) Henricus 7 Rex Angliæ Cadwaladro ultimo Britonum rege oriundus.

2 Saxonici Edmundi Margrita) S. Margarita Regina Scotiæ Malcolmi 3. uxor Edmundi Lateris-ferrei Angliæ regis ex Edwardo filio neptis veterum Angloſaxonum regum hæres. Hujus filia Mathildis Henrico primo Angliæ regi Wilhelmi primi Conqueſtoris filio nupta Mathildem Imperatricem peperit Angloſaxonum regum ex parte materna, & Normannorum patris jure hæredem, matrem Henrici 2. Angliæ regis; è cujus maſculeo ſemine omnes poſt ſe Angliæ reges ad Henricum ſeptimum. Item ex S. Margaritæ filio Davide Scotiæ rege omnes ſecuti Scotiæ reges deſcenderunt.

3 Altera Wilhelmi Margrita) Margarita filia Henrici 7 Edwardi 4 regis Angliæ ex Elizabetha filia neptis, Edwardi 3. Angliæ regis tribus filiis Lionello Clarenciæ, Joanne Lancaſtriæ, & Edmundo Eboraci Duce, & utriuſq; factionis poſteris oriunda Jacobi 4. Scotiæ regis uxor in Jacobum Magnæ Britanniæ regem pronepotem ſuum Anglorum coronæ jus contulit.

4 Pictorum hæreſque Kinethus) Kinethus Scotorum rex, &

& Scotiæ regum Sator, Alpino Scotorum rege patre, & Alpini matre Pictorum hærede genitus utramque gentem in Scotia posteris regendam transmisit. Kinethi trineptis Beatrix avia Malcolm. 3 Supradicti.

5. Regibus ex Itho.) Ithi ex Lugadio filio neptis Thais Herimonis regina, Herimoniorumque ex eo mater: Ethnea filia Lugadii Laidii ex eadem domo mater Conarii 2 regis Hiberniæ ex quo Scotiæ reges.

6. Ex Hieroque) Mesibocalla Conquovari regis Ultoniæ (filii Factnæ regis Hiberniæ) è Cormaco filio neptis ex Hiri domo mater, Conarii primi regis Hiberniæ qui fuit Conari 2. tritavus.

7. Herimone) Ex Herimonis primi Scotorum Hiberniæ regis semine fuit Carbreus Rieda Conarii 2 filius, Dalriediorum Sator, è quibus omnes Scotiæ reges usque ad Alex. 3. Anno 1285. defunctum supradicti Davidis regis Malcolmi 3 filii abnepotem. Davidis porro regis ex Henrico rege filio nepos David Huntingdoniæ comes genuit Isabellam 2 genitam, cujus è Roberto filio nepos Robertus Brusius Scotiæ Rex genuit Marjoriam matrem Roberti Stuarti ex eadem Dalriediâ familiâ Scotiæ regis Anno 1370. Ex quo cæteri Scotiæ reges ad Mariam filiam Jacobi 5 Scotiæ reginam Jacobi M. Britanniæ regis genitricem.

8. Hebero) Ex Heberi semine fuit Duncanus postremus (Manio Levinio Corci Momoniæ regis filio Satus) Leviniæ, seu Lenoxiæ Comes; cujus filio Nupta Alano Stuarto posteris Stuartis ex eadem cum regiis domo Leviniam transmisit Jacobi M. Britanniæ regis tritavia.

9. Et Burgo, & Lacio, Strigulioque sibi) Rich: Strongbow Penbrochiæ & strigulæ Comes ex Eva filia Diermitii regis Lageniæ suscepit Elizabetham matrem Evæ Breos, cujus filia Mathildis avia fuit Rogeri Mortimer 1. Marchiæ Comitis; cujus ex Edmundo filio nepos Rogerus Marchiæ Comes, pater Edmundi Comitis qui ex Philippa Leonelli Clarenciæ

Clarenciæ Ducis filia Rogerum Comitem progenuit; cujus filia Anna per Richardum D. Eboracensem filium avia Edwar. 4. Angliæ Regis.

Philippæ porro Clarenciæ mater fuit Elizabetha de Burgo filia Willielmi Comitis Ultoniæ Richardi Rufi Comitis Ultoniæ ex Joanni filio nepotis; cujus Richardi pater Walterus de Burgo Comes Ultoniæ & Dominis Conactiæ, avusque maternus Hugo de Lacy Junior Comes Ultoniæ, Hugoni etiam frater erat Senior Walterus de Lacy Midiæ Dominus; cujus ex Gilberto filio neptis Mathildis avia paterna Joannæ filiæ Petri Genevil Midiæ Domini uxoris Rogeri 1 Marchiæ Comitis. Quæ Joanna fuit atavia Annæ aviæ paternæ Edw. 4. Angliæ regis, cujus ex Elizabetha filia neptis Margarita Scotiæ regina Jacobi M. Britanniæ regis proavia.

Scotiæ

Scotiæ Regum CATALOGUS Chronologo-Genealogicus.

MIrabitur fortaſſe quiſpiam, cur in hoc Catalogo numeroſam illam Scotiæ regum turbam à modernis Scoticis ſcriptoribus traditam miſſam facimus; quo reſpicit Sterlingæ in Scotia caſtri capellæ fronti inſcripta Epigraphe: *Nobis hæc invicta miſerunt centum Sex proavi.* Mirabitur in ſerie quam damus, cur Ferguſium, quem nomine Secundum vocant, non loco primum exhibemus; denique quomodo numero, ordine, tempore, ac nominibus ab iis ſubinde diſſidere contingit? Sed mirari deſinet, cum ſerio perpenderit ab ejuſdem Scoticæ nationis regibus in Hibernia ſupra duo annorum millia regnatum fuiſſe; eamque nationem præ aliis antiquitatum obſervantiſſimam, ac majorum ſuorum, propagationum, & ditionum conſervandæ memoriæ ſtudioſiſſimam: deinde crebram in Hibernicis hiſtoriis incurſionum, fœderum, connubiorum, aliorumque belli, ac pacis ultro citroque commerciorum cum Incolis Britanniæ mentionem paſſim occurrere: veruntamen, ne unius è regibus, quos omittimus, ut Scotiæ regis memoriam ſupereſſe: nec de aliquibus Scoticæ nationis ibidem fixis ſedibus conſtare ante

ante filiorum Erici isthuc appulsum: postremò cum perpenderit modernos Scoticos scriptores, qui de iis egerunt patriis literis peregrinos, Scoticæ linguæ vernaculæ rudes, antiquitatum ignaros, & ab optimis quibusque scriptoribus desertos. Gerras enim ex agraphis traditionibus à recentioribus depromptas, & fictiones nullo fundamento innixas eorum historias sentiunt melioris notæ scriptores. Adeo ut Britanniæ Antiquitatum diligentissimus indagator Camdenus Scotorum etymon, & ipsam originem inter Scoticos istos scriptores desideret, (*a*) & conqueratur; *ut ipse perspicacissimus Buchananus vel parum viderit, vel sibi viderit intusque cecinerit. Hinc ego* ait, *jamdiu me sustinuerim, ne in hanc arenam descenderem, & cum aliis fabulas admirando, suaviter ineptirem.*

a *Camdeni Britannia titulo Scoti.*

Quicquid igitur in hoc catologo in medium profertur, id plerunque Hibernicis monumentis, qua licuit integritate hinc, inde exceptum, acceptum referimus, eamque qualemcunque operam nostram viam aperturam confidimus aliis ad res Scoticas certius stabiliendas. Imprimis ex nostris historiis compertum est crebras, ac frequentes omni ætate diversorum regum, ac Ducum ex Hibernia antiquitus excursiones factas in illam M. Britanniæ plagam, quod nunc Scotiæ regnum dicimus, diversasque bellicas expeditiones, tum adversus Pictos, aliosque Aquilonis incolas, tum simul cum Pictis fœderatis adversus Romanos provinciales Australes Britanniæ incolas: verum nullam ibi Scotorum patriam, nullam successione dominantium seriem extitisse antequam Erici filii cum Dalriedinis suis *de Hibernia egressi*, ut cum Beda (*b*) loquar, *vel amicitia, vel ferro sibimet inter Pictos sedes, quas hactenus habent, vendicarunt.*

b *Bed. Hist. lib. 1. cap. 1.*

Quare cum Giraldus Cambrensis (*c*) scriberet; *Nello Hiberniæ monarchiam obtinente, sex filios Muredi regis*

c *Topogr. Hib. dist. 3. C. 16.*

gis Ultoniæ in classe non modica Boreales Britanniæ partes occupasse. Unde & gens ab iis propagata, & specificato vocabulo Scotica vocata usque in hodiernum angulum illum inhabitant; ad Bedæ quidem Dalreudinos collineavit; uptote qui angulum illum inter Pictos primùm insessum, etiam Cambrensis diebus post devictos Pictos continuo inhabitarunt. Sed bis hallucinatus est cum Nielli R. H. tempore, tum in filiis Muredachi regis Ultoniæ pro filiis Erici Dalriedæ in Ultonia sitæ Dynastæ assignandis. In patriis enim historiis liquidò constat inter utrumque distinguere. Muredachus ille cognomento Finnghoeng i. e. crine ruber de domo Dalfiatachia Ultoniæ Rex, seu potius Ulidiæ, adveniente S. Patricio extitit: Cui succedens Achaius filius S. Patricii prædicationi restitit; contra vero Carillus alter filius auscultavit, & è fratris obitu successit: è cujus semine triginta quinque Ulidiæ reges numerantur, & nemo ex semine Achaii. Hæc ex Actis S. Patricii (*d*).

In iisdem Actis (*e*) habetur mentio filiorum Erici illius Dalriedæ Domini tum recenter (Anno Christiano 474. ut calculat Usserius) (*f*) defuncti; atque ex iis Fergusius traditur omnium natu minimus hoc tulisse S. Patricii vaticinium (*g*); *Licet hodie sis despectus, & humilis brevi dominaberis fratribus, & posteri tui semper inter fratrum posteros principatum, & distribuendi potestatem obtinebunt*; & subjicitur prophetiam illam completam fuisse in Aidano filio Gaurani ex ejus semine procedente; cujus *in Scotia quæ dicitur Albania*, successivam posteritatem regnasse ad sua tempora testatur Jocelinus (*e*), Anno circiter 1195 scribens. Utrum autem ita prædixerit Sanctus, aut ex eventu ita dicatur prædixisse perinde est ad præsens propositum.

Immigrationis tempus annis viginti post Olilli Molt R. Hiberniæ Ochano prælio exitium adnotavit,

d *Jocelin. cap.* 130. *Vita 7. apud Colgan. par.* 3. *cap.* 63.
e *Jocelin. c.* 137 *vit. 7. par.* 2. *c.* 135.
f *Usser. Indice chronologico.*
g *Vit. 7. par.* 2 *cap.* 135.

h Oggia parte 3. cap. 9. 2.

Synchroniſmi libellus : (*b*) cui apprimè conſentit Tigernachi Cluanenſis Scotorum Chronicon anni initium feria 3. Kalendis Januarii ſignans; quod annum 502 indicat à proelio Ochano Anno 483 vigeſimum: ad quem ita habet; *Fergusius Magnus Erici filius cum gente Dalriada partem Britanniæ tenuit, & ibi mortuus eſt.*

i Nullus in tota regum Hiberniæ Serie rex Ferquardus, aut Fercadus nominetur.

Ferguſius ille, quem recentiores Scoto-britanni à Ferguſio Ferquardi (*i*) Regis Hiberniæ filio Scotici in Britannia regni 330 ante Chriſtum natum annos primo conditore, nomine ſecundum vocant, numero verò quadrageſimum regem, & Scotos è Britannia à Romanis pulſos ſub initium quinti poſt Chriſtum Seculi eò reduxiſſe produnt; & quem rectè Erci, vel Erici filium, Ethodii erectius Echodii, quod nomen Achaium, ut et ipſi alibi, verto) vel Ethachi nepotem appellant, non fuit hujus ipſius realis regum ſeriei ſub initium Seculi 6 Chriſtiani inchoatæ abſolutè primus. Fratrum enim natu minimus erat, & non niſi ſucceſſione poſt fratris Loarni obitum principatu potitus; verum primus ab authoribus idcirco paſſim memoratur, quia regia poſterorum ſucceſſione reliquis fratribus præluxit.

Extat Scotorum in Britannia regum poema Malcolmi 3. tempore Hibernicè contextum, ſingulorum nomina, & regnationis annos continens; quo unico nullum vetuſtius ea de re Scoto-britanni producere poſſunt monumentum; cujus author Loarnum, Ferguſium, & Æneam filios Erici filii Eochodii (ſeu Achaii) de ſemine Conarii R. H. primos Scoticæ in Britannia coloniæ duces ſtatuit tres benidictione S. Patricii ditatos: per quod S. Patricio coævos, & ab eo, juxta ac illius Acta produnt, converſos inſinuat. In regum deinde ſerie Loarnum illum primum, ſecundum Ferguſium facit, tertium

at ego Æneas verto.

tertium Fergusii filium Donangardum; minimè ausurus anteriores Scotiæ gentis reges siqui, fuissent, præterire, præsertim cum plures Pictorum reges ante horum adventum extitisse præmittat. Verum aliquot desideratis distichis, integrum apographum reperire non contigit, alias absolutum ex eo catalogum contexere non dubitaremus. Cæterum duo sunt, quæ ex penultimo, & ultimo disticho (ea enim extant) pro certo colligenda sunt *viz.* Malcolmum 3. Donnchadi filium tum in Scotia regnantem esse, et à Loarno ad ipsum quinquaginta duos in toto reges extitisse, quibuscum ita clauditur poema.

Malcolum a nos ag Rig: mac Donchaid data dredbi:
Al ne noc a nsiodn nech: acht an teolach ag eolach:
Da Rig fos cogad clune: go mac Donchaid dredbne:
Do fiol Erc ároglam a noin: gabgad Albam a eolaig.

Rex modo Malcolmus Donnchadi filius extat:
Scit Deus in vivis quàm diuturnus erit.
Sex quater Albani regnant hucusque Dynastæ,
Sexque bis Erico, Sexque, decemque sati.

Occidentalem Deucalidoniorum, seu Australium Pictorum maritimam oram Hiberniæ proximam primùm occuparunt freto Dunbritannico à Britonum finibus ad Austrum, & Grampii montis Alpibus (*k*) à Vecturionibus, seu Pictis Septentrionalibus separati Kentiream, Knapdaliam, Lornam, Argatheliam, & Braidalban cum vicinis Hebridum insulis insidentes.

qui Drulmiban, et Britannici Dorsi montes dicti, Pictorum quoque Australium, & Septentrionalium regna distermunarunt,

Qui tractus Dalriedinorum gentis, & patriæ in Hibernia ditionis gratiâ Dalrieda (*l*) dicta fuit, ejusque Dynastæ Reges Dalriedæ: vulgarius vero Albania, & Al-

Dalrieda, Dal-iadia, Dalrietta, Dalreada variè legitur: Hibernicè Dalriada.

baniæ Reges. Cumque qua nunc patet Scotiæ regnum prolatum esset eorum imperium, *Albaniæ* etiam vox sermone vernaculo ad eosdem fines significandos dilatata est. Sed Scotiæ Monarchia rursus eam ad pristinum sensum restrinxit, quatenus inter Scotiæ sub Monarcha dignitates Albaniæ ducatus una existit, quasi pars in toto: Quo Ducatus titulo ornati sunt Robertus Roberti 2 Scotiæ regis filius, ejusque filius Mordacus (seu ut Hibernicè scribitur Muredachus) Albaniæ Duces, tum Alexander Jacobi 2 filius, & post eum Joannes filius; postremo Henricus 2 Scotiæ, & Carolus 1. Magnæ Britanniæ postea Rex, ejusque filius Jacobus hodiernus Albaniæ Dux.

Hujus igitur Catalogi Reges juxta primam fundationem, progressum, & ultimum Scotiæ Regum statum in tres classes distribuo; primam Albaniæ strictiori sensu acceptæ Regum, secundam Pictorum Regum, ut ex annalibus patriis, & Caradoco Lancaruanensi doctissimus Usserius, (*m*) Pictis Scotorum imperio subjectis ita vocatos adnotavit, ut et ante eum R. P. Wardæus, tertiam Scotiæ Regum quorum primus comparet Malcolmus 2. Siquidem nusquam librorum hodiernæ Scotiæ regni, aut regis antiquior mentio reperitur, quam quæ in legibus, quas collegit, ediditque Joannes SKenæus Scotus, Malcolmo 2. tributis habetur, quas ipsas non constat eisdem, quibus nunc verbis ante Malcolmi 3. tempora scriptis mandatas.

(*m*) *Usser de Eccl. Brit. Primordiis pag. 718 719 Ward. vita S. Rumoldi p 329.*

Quod ad horum regum genealogiam attinet omnes tum Hiberniæ Scotiæ Antiquarii concordi calamo consentiunt in stirpe: nimirum Carbreo Rieda, à quo gens Dalriedana familiæ nomen sortita est, Conarii 2. R. Hiberniæ filio, simulac in filiorum Erici patre, avo, ac proavo, *in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum:* Sed quoad gradus medios inter Æneam Fear

proavum

proavum, & Carbreum Rieda neque numero, neque nominibus conveniunt: quam primum enim à recto tramite discessum est; *non erat conveniens testimonium illorum*, Britannis novem, & Hibernis sex, nominibus diversas generationes interserentibus. Proinde exuberantem illam apud utrosque subditivam Sobolem amputandam oportet ut filiorum Erici generationes æquali plus minus gradu à coævis affinibus, & cognatis non dissideant; ut sequitur.

Secundum Scoticos Genealogos.	Secundum Hibernicos genealogos.
Carbreus Rieda, qui et Eochoid Rieda dictus.	Carbreus Rieda, seu Eochoid Rieda.
1. Fiachus Cathmail	1. Fintanus
2. Eochoid Andóid	2. Guarius
3. Eagor Kerr	3. Kinga
4. Finnchad	4. Fedlim Lamhdhoid
5. Cruthluath	5. Eochoid Fortamhail
6. Senchormac	6. Fergus Ulaidh
7. Fedlim Roinie.	Ængus Fear
8. Ængus Buidhneach	Eochoid Muinreamhair
9. Fedlim Aislingtheach	Eric.
Ængus Fear.	
Eochoid Muinreamhair	
Eric.	

Ex his vero si octo Scotorum aut quinque Hibernorum generationes, de quibus nusquam alibi mentio, omiseris, cætera rectè quadrabit Genealogia, ut sequitur. *De quibus Scotis cum Hibernis convenit.*

83. Carbreus Rieda.
84. Fergusius Ulidius; de quo supra numero 6.
85. Æneas Fear
86. Achaius Muinreamhair
87. Ericus.

His

His dispositis catalogum prosequamur.

LOarnus Rex 1. loarn mor mac Erc Anno 503. Loarnus [83] Magnus Erici [87] filius, Conarii [82] 2 Anno 212. Regis Hiberniæ per Carbreum [83] Rieda filium trinepos; à Saradiâ [81] Quinti [80] Centimachi Anno 177, Regis Hiberniæ filiâ Septimus, cum Ænea, & Fergusio fratribus Dalriedinorum Scoticæ ex Hibernia coloniæ in Occidentali Pictorum Australium plaga Anno Domini 502 considentium Dux, quinquaginta duorum usque ad Malcolmum 3 Scotiæ Regem dominantium primus Rex Albaniæ regnavit ab Anno Domini 503 decem annos.

Quatuor in hac colonia primariæ Dalriedinorum illis fratribus oriundæ sunt familiæ, viz. cinel ngabrain Gaurani familia, cinel loarn Loarni familia, unde Lorna supradicta regio in Dalrieda videtur denominata, cinel nanguſa Æneæ familia, & cinel coingaill Congalli familia. De Gaurani, & Congalli familiis Fergusio fratre prognatis inferius suo loco.

Æneæ generi Ilea, Calarois, Rosdfhearann, Airdeas, Loicrois, Aitcaisil, Kinel-nænguſa, Teallach-caillin; 430. familiæ (ea est agrorum dimensio) toto obtigerunt. Muredachus Æneæ filius primus Ileæ Hebridum insulæ colonus.

Loarni [88] regis progenies in tres dispersa est palmites putà cinel gabrain è Fergusio [89] Salach filio, cinel cathboa è Cathbadio [89] filio, et cinel neachd ex Ethaco, [90] seu Achaio Loarni per Muredachum filium nepote descendens familia. His 420 obvenerunt familiæ, quarum septimam

partem

partem ex Fergusii, & Cathbadii portione possederunt Orgiellii. Fergusio [89] Salach quinque erant filii, sc. Coeldubius, [90] Eugenius [91] Asper, cujus uxor Crodhama [90] Eugenii [88] filii Nielli [87] Magni Regis Hiberniæ ex Dallano [89] filio neptis, Fergna, Eugenius alter, & Boetanus: Achaio [90] Loarni [88] nepoti totidem, sc. Feradachus, [91] Cormacus, Boetanus, Bledanus, & Cronanus.

Erica [89] Loarni [88] regis filia bis nupta; primo Muredacho [89] Nielli Magni ex Eugenio filio nepoti filios edidit Murchertum Regem Hiberniæ, Anno 513. & 14. regum Hiberniæ Satorem, Feradachum Suwnei R. Hiberniæ avum, Tigernachum, & Moenum: secundo nupta Fergusio [89] Conalli Gulbanii filio, prioris mariti patrueli genuit Sednæum [90] novem Hiberniæ regum progenitorem, Fedlimium [90] S. Columbæ [91] utriusque Scotiæ Divi tutelaris patrem, Loarnum, & Brendanum. De quibus extat hoc vetustum tetrastichon.

Ceṫre mic la Muṙedaċ: Fuiḃgiṙe ba Sluaġ ṙaoṁ:
Feṙaḋaċ aguṙ Tigeṙnaċ: Muṙċeṙtaċ iṙ Maon.
Ceṫre mic la Feṙguṙ: go ṅeṁ gcuba cceudna:
Breunḋain aguṙ Luġaiḋ: Feḋlim aguṙ Seuḋna.

Erca, Muredacius natos dant quattuor; ut sunt
Feradachus, Mænus, Murchertachus, atque Tigernac.
Erca eadem, & Fergus totidem dant; utpote Brendan,
Lugadium, Fedlim, Sednæum pignora clara.

Pompa [89] Bebona altera Loarni [88] regis filia Sarano [90] Conjugi, qui Fiachrium [86] Cassan Colla Huasii [85] Anno 327. R. Hiberniæ ex fratre nepotem abavum prætulit, enixa est SS. Carnechum, Ronanum, & Brecanum.

86. *Fiachrius Cassan quo Oggygiæ pars 3. c. 76.*
87. *Fedlimius.*
88. *Tuathalius.*
89. *Colchuo.*
90. *Saranus.*

Ex his variis affinitatibus, aliisque posthac similibus colligere liquet non solum tempus Scoticæ expeditionis

onis centum circiter annis posterius, quam ut recentiores Scoto-britanni sui Fergusii 2. tempora statuerunt, sed etiam in filiorum Erici genealogiam plures, quam par erat, gradus irrepsisse tam apud Hibernicos, quam apud Scoticos Antiquarios; præsertim cum non ita pridem & filii Erici per Saradiam filiam, & illi quibuscum Loarni familia matrimonia contraxerat, per Arturum filium ex eodem trunco Quinto [80] Centimacho prodierunt.

Fergusius Rex 2. Fergus mór mac Erce Anno 513. Fergusius [88] Magnus ex matre Mac-mise cognominatus Loarno fratri successit Anno 513 Rex Albaniæ sedecim annos.

Huic viginti septem annos tribuunt poema Regum Albaniæ ad Malcolmum 3. sed depravatum arguit successentium series; unde cum Hectore Boethio (*a*) sedecim tantum concedo.

(*a*) *Hec. Boet. Scot. Hist. l. 7. fol. 122.*

Domangardus Rex 3. Domangard mac Fergus, Anno 529. Domangardus Fergusii filius patri successit Anno 529 quinque annos Rex Albaniæ. Duos filios è Fedelmia [89] Achaii [86] Mogmedonii R. Hiberniæ filio Briano [87] oriundâ suscepit Comgallum, ex quo Comgalli familia, & Gauranum, ex quo familia Gaurani.

Comgallus R. 4. Comgall mac Domangard. Anno 534. Comgallus [90] patri Domangardo successit Anno 534, Rex Albaniæ annos viginti quatuor, Comgalli familiæ fator.

Gauranus R. 5. Gabran mac Domangard Anno 558. Gauranus [90] Comgallo fratri successit Anno 558, Rex Albaniæ duobus annis. *Mors Gaurani Gauranifilii Domangardi: & Albadi à Brudeo filio Milchuonis Rege Pictorum in fugam conversi, Diermitio Rege Hiberniæ postrema Temorensia comitia celebranti*; ita Tigernachus ad annum, qui est æræ Christianæ 560, quocum regum

Alba-

Albaniæ regnationes huc usque concurrunt.

Gaurani familia ex eo originem traxit.

Conallus R. 6. Conall mac Cómgaill Anno 560, Conallus 91 filius Congalli Gaurano patruo successit Anno 560. Conallus 91 filius Comgalli Gaurano patruo successit Anno 560 Rex Albaniæ quindecim annis. Cui filii Longsechus, Nectanus, Artanus, Tuathalius, & Carbreus Comgalli familiam propagarunt. Hujus Conalli tempore S. Columba post bellum Culedremne duobus transactis annis, ut notat S. Adamnanus, (*b*) hoc est Anno 563. S. Columba 91 Kille à Niello 87 Magno quartus, & Loarni 88 Regis Albaniæ ex Erica filia pronepos in Britanniam enavigavit *Coram Conallo Rege filio Comgill conversatus.* (*b*)

b *Adamn. vit. S. Columb. lib. 1. cap. 7.*

A Conallo Comgalli filio rege Dalriedæ Insulam Hiensem Columbæ Kille oblatam tradunt Ultonienses annales, & Tigernachus; quanquam *donatione Pictorum, qui illas Britanniæ plagas incolunt, jamdudum monachis Scotorum tradita, eo quod illis prædicantibus fidem Christi perceperunt* à Beda dicitur: Situm vero insulæ *à Britonum, & Pictorum finibus longius remotum* considerans Usserius (*c*) in annalium sententiam magis inclinat. Donnchadus Conalli Regis filius in prœlio ad Dealgan in Kentirea post patris obitum succubuit.

c *Usser. de Pr. mord. p. 703.*

Aidanus R. 7. Aodan mac Gabrain Anno 574.

Aidanus Gaurani filius patrueli successit Anno 574, Rex Albaniæ triginta duos annos. Cujus frater uterinus Brandubius 91 Rex Lageniæ ab Ennio 86 Kennsalagh quintus. Quorum mater Fedelmia 90 Amalgadii 83 R. Connactiæ ex Fedlimio 89 filio neptis, & Natfraichi 87 R. Momoniæ ex *Teresa* 88 * filiâ Connactiæ Reginâ proneptis.

Anno 574 ut ex Ult. annalibus tradit Usserius] (*d*) Angelus Domini, ut refert Adamnanus, (*e*) ad S. Columbam in Hinba insula commorantem per visum apparuit missus, ut Aidanum potius, quam fratrem ejus Eogananum, quem magis diligeret, in regem ordinaret; prout in vitreo ordinationis regum libro sibi videbatur legere. *Sanctus verbo obsecutus Domini ad Jonam*, seu Hiensem, *transmigravit insulam, ibidemque Aidanum iisdem adventantem diebus in regem, sicut erat jussus, ordinavit.* (*e*) Eogan ille (quod nomen hodie Eugenius Latinè vertitur) Gaurani filius eodem anno, quo S. Columba obiit, extinctus est, ut habet Tigernachus; atque ita Anno 597. Unde ipse potius quem multum dilexit Columba], animi dolore brevi post ejus transitum elanguisse dicendus, quam frater Aidanus, ut recentiores rerum Scoticarum referunt Scriptores, qui juxta ipsum Boethium, & Ultonienses etiam nostros annales ad annum 606 vitam protraxit. Proinde Aidanus, ab Anno 574. ad annum 606 regnavit annos 32, è quibus 24 tantum annos habet poematis penes me apographum.

d Usser. Indice chronolog.

e Adamn. lib. 3. c. 5.

Anno circiter 584. Aidanus Rex in Mannia insula victor. Filii ejus Arthurius, Eochodius Finn, seu Achaius Candidus, Domangardus, Brianus, Eochodius Buidhe, seu Achaius Flavus, Tuathalius, Boetanus, Conangus, & Gartnadius. De Arthurio, Achaio Candido, & Domangardo ita S. Columbam Aidano patri prædixisse refert S. Adamnanus; (*f*) *Nullus ex his tribus erit regnator, nam in bellis cadent ab inimicis trucidandi*; De Achaio Flavo autem sic; *Hic est superstes, & Rex post te regnaturus, & filii ejus post eum regnabunt*; *Sic omnia post suis temporibus plenè adimpleta sunt. Nam Arthurius, & Eochodius Find non longo post temporis intervallo Matiorum in bello trucidati sunt. Domangardus vero*

f Adam. ibidem lib. 1. c. 9. Anglia.

in Saxonia * *bellica in strage interfectus est; Eochodius autem Buidhe post patrem in regnum successit.* Illud Maitorum bellum, in quo *Barbari in fugam vertuntur, Aidanoque quamlibet infelix, tamen concessa victoria est. Sed & de numero de exercitu Aidani interfectorum trecentorum, & trium virorum vir beatus* (g) *prophetice enarravit*; videtur esse Lethrigh prœlium, in quo Aidanus Rex victor, Anno 590, (*h*) Domangardum in Kirkinn prœlio cecidisse Anno post S. Columbæ obitum, atque ita æræ Christianæ 598, refert codex Cluan: & cum eo Tigernachus apud quem porro Conangum Regis Aidani filium anno 622 mari demersum legitur.

g S. Columba ibidem cap. 8.
h Ulton. Annal. & Tigernac;

Anno 590. Aidanus Rex, S. Columba concomitante in Hiberniam ad comitia publica * apud Dromcheat (*i*) in diœcesi Dorensi in Ultonia ab Aido Anmirei filio R. Hiberniæ condicta, convenientibus præter Dalriedæ Albiensis, & diversarum Hiberniæ provinciarum reges præcipuis Cleri, & populi totius Hiberniæ proceribus, ut constat ex Actis ejusdem conventus extantibus. In quo conventu Aidanus immunitatem à pendendo Hiberniæ regibus tributo, adeoque liberi, absolutique principatus eminentiam adeptus est. Non enim aliam ob causam Auctorum S. Patricii Scriptores superius citati Patricianum de obventura Fergusio, & Posteris regia celsitudine notarunt in Aidano potius completum, quam in decessorum ejus aliquo. Qui, quamvis more nostræ nationis Reges audiebant, propriè tantum erant potentes dynastæ instar cæterorum provincialium regum communi Hiberniæ monarchæ vectigales, ac subjecti, eorumque ditio reputata Hibernici imperii accessio quædam, & appendix, maris quidem interjectu abjuncta, sed politicâ subjectione reliquæ compagi unita.

* Δρομδαιl Δρομαcετ.
i *Dorsum Cete Adamnano lib. 1. Cap. 10. & c. 49.*

Anno 606. ut habet V. Beda, (*k*) *Ædan Rex Scotorum*

k Bed. Hist. lib. 1. c. 34.

torum qui Britanniam inhabitant, motus Ædilfridi Regis Nordanhumbrorum motibus *venit contra eum cum immenſo, ac forti exercitu: ſed cum paucis victus aufugit. Siquidem in loco celeberrimo, qui dicitur Degſa-ſtane* i. e. *Degſa lapis omnis pene ejus cæſus eſt exercitus. In qua etiam pugna Theobald frater Ædilfridi cum omni illo, quem ipſe ducebat, exercitu peremptus eſt. Neque ex eo tempore quiſquam regum Scottorum in Britannim adverſus gentem Anglorum uſque adhanc diem in prælium venire audebat:* uſque ad annum nimirum 731 quo Hiſtoriam ſuam Beda terminans *Scottos qui Britanniam incolunt ſuis contentos finibus nihil contra gentem Anglorum inſidiarum molitos, aut fraudium* poſtea repetit. (*l*) Prœlium hoc, Saxonum prœlium vocat Tigernachus; & Eanfricum Ædilfridi fratrem à Malumha filio Boetani eodem prœlio occiſum, quem Beda Theobaldum vocat, eundemque Malumham Anno 507 mortuum ex Dungal annalibus colligimus.

Ildque l. b. 5. cap. 24.

Ita antiquiſſimi M. SS. non Britanniam, ut libri editi. Uſſer Primord: p. 710.

Aidanus Rex 78 annos natus in Kenntirea obiit, & apud Kilcheran ſepultus eſt, Anno 606.

Achaius 1. Rex. 8. Eochaid Buide Anno 606. Achaius Flavus Aidano patri ſucceſſit Anno 606. Rex Albaniæ viginti tres annos. Hunc Fordonus in Scoto-chronico Eugenium, Eochodum, vel Aidum vocat: Hector Boethius, & Georgius Buchananus Eugenium 4, mira corrumpendi nomina licentia. Ferguſii vero avus Ethodius, & Alpini pater ejuſdem nominis Achaius nominatur. Idem Fordonus, Boethius, & Buchananus hunc non immediatè patri, ut S. Adamnanus ſuperius tradit, cujus authoritas omnibus longe præponderat, ſed Kenetho Kerr Conalli regis filio quatuor menſes juxta Boethium, 4 vel 12. juxta Buchananum, tres, vel duodecim juxta Fordonum regnanti ſucceſſiſſe aſſerunt. Verum quem illi Kenethum Kerr, Conalli filium, & poſt Aida-

ni

ni Regis obitum intrusorem dicunt, Poema, & Synchronismus Regum Albaniæ, Tigernachus, & Codex Cluan: Connchadum, seu Connadium Kerr ejusdem Achaii filium faciunt, et per tres menses successorem.

Achaii Regis filii erant Connadius Kerr, Domnallus Brec, Domnallus Donn, Conallus Cranndhamhna, Conall Breg, Falbeus, Domangardus, & Caius sine matre.

Anno 629. Connadius Ker Fiachnaum filium Demani Ulidiæ Regem in prælio ad Ardcorann devictum interemit. Eodemque anno Mors Achaii Flavi Regis filii Aidani postquam 20 annos regnasset, *Tigernac*: Sed ab anno 609 ad ann 629. 23 anni intersunt.

Connadius Rex 9. Coñaó Cſ,ṁ Anno 629

Conċaó cſ,ṁ vel Conang

Connadius 93 Kerr Achaii filius patri succesſit Anno 629, Rex Albaniæ tres menses. Conchadus, Connadius, & Conangus varie legitur; sed Kenethus minimè dicendus.

Anno 629. Malcæcus filius Scandalii Cruthiniorum, seu Pictorum de stirpe Hiri Dynasta adversus Connadium Kerr Dalrieda Regem in prœlio ad Fea-oin victor. In quo occubuerunt Dicollus Rex generis Pictorum; Rigallanus ex Conango, Falbeus ex Achaio duo Aidani Reges nepotes, & Ostricus filius Albruit Saxonicus Princeps cum magna aliorum strage. *Tigernac.* *Forte Alfrid.*

Anno 630 Mors Connadii Kerr anno primo regni sui, qui victus est in prœlio ad Fea-eoin Ibid.

Ferquardus 1 Rex 10 Feaṙċaó vel Feaṙċ,ḋ Anno 630

Ferquardus 94 Connadio patri succesſit Anno 630 Rex Albaniæ,

Fearcadh, seu Fearcair, & Ferquardus non abludunt. De hoc Ferquardo in annalibus nihil reperio: à decessoris vero excessu ad Successoris obitum duodecim tantum sunt anni.

Domnaldus

Domnaldus 1 Rex 11 Domnall Brec

Domnaldus 93 Brec Achaii 92 filius fratris filio succedit, Rex Albaniæ.

Anno 622 Prœlium de Kenn delgten conseritur per Conallum 93 Suwnei 92 R. Hiberniæ filium, & Domnaldum Brec (vivente patre) Dalriedinorum ducem adversus duos filios Libreni filii Illandi filii Kervalli occisos.

Magnat prælium.

Anno 637 Prœlium Moy-rath in Ultonia conseritur per Domnaldum 2 Regem Hiberniæ & filios Aidi 91 slane R. H. adversus Congalium Clœn filium Scandalii Ulidiæ Regem, qui ex DunKethern prœlio Anno 629 ab eodem Domnaldo victus, & in Britanniam propter sua iniqua molimina relegatus, ingentem alienigenarum exercitum ex Scotis Albiensibus cum Domnallo Brec Rege, & fratribus, simulque ex Pictis, Anglosaxonibus, & Britonibus collectum ad hoc prœlium duxit. In quo post sex dierum conflictus septimo die Congalius occisus, cæterique fusi, & Suwneus filius Colmani Cuarii Dalaradiæ Dominus lymphatus. De hoc bello ita Adamnanus; (*m*) *Hoc autem vaticinium temporibus nostris completum est in Bello Rath, Domnallo Brecco nepote Aidani fine causa vastante provinciam Domnill nepotis Ainmirech; & à die illa usque hodie adhuc in proclivo sunt ab extraneis: quod suspiria doloris pectori incutit.*

m *Adamn. lib.* 3. c. 5.

Anno 638 Bellum Glime Marison, in quo exercitus Domnaldi Brec in fugam versus, & Etain obsidetur. Tigernac:

Anno 642 Domnallus Brec in bello Sraith-carmaic in Decembri interfectus est ab Hoan Rege Britonum: Ejusque filius Cathasacus Anno 650 decessit.

Conallus 2 Rex 12 Conall Cranndamna. }
Dungalius 1 Rex. 13 Dungal } Anno 642

Conallus 93 Cranndhamhna Achaiii 92 Regis filius, & Dungalius

Dumgalius Domnallo Brec ſimul regnantes ſucceſſerunt Reges Albaniæ Anno 660. Conallus Cranndhamhna obiit. De Dunngalio nihil amplius habeo.

Domnaldus 2 Rex 14. Domnall Donn Anno 660 Domnaldus [94] Donn Conalli [93] 2 filius ſucceſſit Rex Albaniæ tredecim annis; *ita Poema*: De quo nihil amplius inveni.

Maldunius Rex 15. Maldun mac Conaill. Anno 673 Maldunius [94] filius Conalli [93] 2 Rex Albaniæ annos ſeptemdecim: *Poema.*

Ferquardus 2 Rex 16. Fergal Fada Anno 690 Ferquardus [96] Longus à Loarno [88] Rege Albaniæ octavus Rex Albaniæ annis viginti unum. *poem.*

Anno 704 Strages Dalriedinorum in valle Levinii. Gleann leamna

Achaius 2 Rex 17. Coccou Nigmail Anno 711 Achaius [95] 2 Domnaldi [93] 1 ex Domangardo filio nepos Rex Albaniæ duobus annis *Poema.* Septem vero annos tribuendos AnbKellachi ſucceſſoris apud annales exitus depoſcit.

Anno 672 Domangardus ille Domnaldi 1 Regis Dalriedæ filius extinctus eſt Tigernac.

AnbKellachus Rex 18. Ambcellach mac Fearcha Anno 718 AnbKellachus [97] Ferquardi [96] 2 filius Rex Albaniæ unum annum *Poema.* Ambir Kelethus, & Ambercletus Scoticis ſcriptoribus dictus.

Anno 719 Finnglinne prœlium adverſus duos filios Ferquardi Longi, *in quo AnbKellachus jugulatus die quintæ feriæ ante Idus Septembris.* Tigernac.

Seluachus Rex 19. Sealbach mac Fergal Anno 719 Seluachus (Scoto-britannis modernis Soluatius) AnbKellachi frater ſucceſſit Rex Albaniæ Anno 719.

Anno 719 Prœlium maritimum inter Donnchadum Parvum cum genere Gaurani, & Seluachum *quinto Nonas*

88 *Loarnus Albaniæ Rex* 1.
89 *Muredachus*
90 *Achaius*
91 *Boetanus*
92 *Columba*
93 *Nellanus*
94 *Ferguſius*
95 *Feradachus*
96 *Ferquardus* 2 *Rex Albaniæ*

Nonas Octobris die tertia feriæ. Tigernac.

Anno 721. Donnchadus Parvus Kentireæ Dominus obiit. Ibidem.

Achaius 3 Rex 20. Eochoid mac Eochoid.

Achaius [96] 3 Achaii [95] 2 filius Rex Albaniæ.

Anno 733. Achaius filius Achaii Rex Dalriedæ mortuus est. Tigernac.

Muredachus Rex 21. Muiredach rigneach Anno 733. Muredachus [98] Calis Merdacus) AnbKellachi [97] filius successit Rex Albaniæ tribus annis. *Poema.*

Anno 733. *Muredachus filius Anbkellachi, regnum generis Soarni assumit.* Tigernac.

Eodem Anno Dungalius filius Seleuachi in Toragiam * expeditionem facit. Flahertius [96] R. Hiberniæ classem marinam è Dalriedinis in Hiberniam conduxit. *Tigernac.*

* *Torinis in Tyconellia in Vltonia Insula*

Dungalius 2. Rex 22 Dungal mac Selbaig Anno 736. Dungalius [98] 2. Seluachi [97] filius Muredacho patrueli Anno 736. successit, Rex Albaniæ septemannis. *Poema.*

Anno 736 Æneas filius Fergusii *Rex Pictorum vastavit regionem Dalriada; & obtinuit Duno,* * *& combussit Crec: duos filios Seluachi catenis alligavit; Dungalium* sc. *& Feradachum: & paulo post Brudeus filius Æneæ, filii Fergusii obiit.* ita *Tigernac etiam Latinè.*

* *Munimenta.*

Achaius 4 Rex 23 Eochoid Angbuch Anno 743. Achaius 4. Dungalio Anno 743 successit, Rex Albaniæ.

In diversis poematis apographis, quibus usus sum, Seluachus, Achaius 3. Achaius 4. de quo nunc, Achaius 5. & Gregorius deerant; atque ita deerant, ut etiam à numero 52 regum ad Malcolmum 3, quos author recensuit defuerint; unde præter alia menda facile evincitur Apographorum defectus. Achaii 4 igitur tempus sic colligo: Albaniæ præfuit, ut habet Regum Hiberniæ & Albaniæ Synchronismi libellus, quo tempore

Aidus

Aidus Ollanius Rex Hiberniæ succubuit, qui fuit annus æræ Christianæ 743 & quinquennium regnavit ad successoris initium.

Aidus 1. Rex 24. Aodh fionn Anno 748.

Aidus [96] Finn (corruptè Ethfinn) filius Achaii [95] 2. Achaio 4. successit annos 748, Rex Albaniæ triginta annos. *Poema.*

Aidus Finn Rex Dalriedæ eodem anno, quo Niellus [96] Frasach Rex Hiberniæ obiit, ad finem pervenit. *Codex Cluan:* Atque ita Anno 778. ex quo subductis 30 regni annis, Anno 748 regnum iniit.

Sequuntur novem reges sine adjectâ chronologiâ, quod eorum mentio in annalibus, quos vidimus, non occurrat ab Anno 778. ad annum 838 per annos 60. nec depravato poemati 69 annos, omisso Achaio 5. adversus annalium fidem tribuenti confidendum duximus; regentium vero durationem juxta poema adjicimus.

			Annos
Domnaldus, 3.	Rex. 25.	Domnall.	24
Conallus, 3.	Rex. 26.	Conall Cáom.	02
Conallus. 4.	Rex. 27.	Conall Oile	04
Constantinus. 1.	Rex. 28.	Constaintin	09
Æneas.	Rex. 29.	Aongus	09
Aidus 2.	Rex. 30.	Aod.	04

Eugenianus Æneæ Regis filius R. 31. Eogan an mac Aongusa 13
Achaius [97] 5. filius Aidi. 1. Rex 32. Eochoid mac Aoda fin 00
Alpinus [98] filius Achaii [97] 5, Rex 33. Ailpin mac Eochoid. 04.
Kinethus. 1. Rex 34. Cionaod mac Ailpin An. 838.

Kinethus [99] 1. Alpinini [98] filius patri successit Anno 858, Rex Albaniæ & anno 842 Rex Pictorum. *Kinnadius biennio antequam pervenit in Pictaviam Dalrietæ regnum suscepit* (m).

Universo Kinethi regnoanni tribuuntur viginti, monarchiæ vero post devictos Pictos ferè sedecim: de quorum

(m) *Vetust. Author apud Camdenum in Scotis & Usser: de Primord. p.* 611.

rum tamen termino aliquantula eſt inter Scriptores diſcrepantia. Imperium enim ſimul cum vita eum finiviſſe Anno 854, docent Fordonus, & Buchananus; 855. Boethius, & Leſlæus; 856. Caradocus Lancaruanenſis, 858. *Annales Ultonienſes* quorum heic ſequimur rationes

Anno itaque 840 in Pictaviam duxit exercitum: Anno 842 Pictos profligavit. Unde ſedecim annorum Albanici ipſius imperii dicitur exordium: de quo per vulgati iſti Scoto-britonum verſiculi apud Fordonum, & alios decantati.

Primus in Albanis fertur regnaſſe Kenethus,
Filius Alpini, prælia multa gerens,
Expulſis Pictis regnavit is octo bis annis.

Anno 850, regni duodecimo ſepties uno die cum Pictis congreſſus univerſas eorum copias fudit: indeque Sconam rediens Druskenum filium Feradathi ultimum Pictorum Regem obtruncavit, atque illud regnum ſuo adjecit imperio. Ab hoc igitur anno Giraldus Cambrenſis Albanicæ Scotorum monarchiæ arceſſit epocham Scotiæ nomen ita deducens (*n*); *à Scotis de Hibernia venientibus, & in eâ regnantibus per ſpacium 315 * annorum uſque ad regnum Guilielmi Ruſi fratris Malcolmi*; hoc eſt ad an. 1165, quo Malcolmo 4. ſucceſſit Guilielmus ille.

850
315
1165.

n Ranulph. Polychronicon lib 1. c. 37. Uſſer. Primord. pag. 717.

* Pictorum erat urbs regia.

Quod autem de univerſo Pictorum populo tum deleto vulgariter receptum eſt, & Pictorum magnates ad convivium invitatos ex improviſo trucidatos, ut narrat idem Cambrenſis (*o*) Scotorum genti iniquior, à vero alieniſſimum eſt; *Cum una omnino cæna non facile potuiſſe tot abſorbere Principes; ac univerſum populum, uti de hac re Polydorus* (*p*) monuit. Nam Kinethus hic ejuſ-

o Polychronicon l. 1. c. 58.

p Polydorus Virg. Angl. Hiſtor. lib. 4 ad finem.

ejusque Successores, donec viguit gentis Pictorum nomen, velut à famosiori regno reges Pictorum audiebant apud vicinos Hibernos (qui Scoto-albanis cognatiores, eorumque status, ac progressus peritiores præ cæteris erant) & Britones; utpote quia Picti, licet Scotorum imperio subjecti, majorem tamen, & potiorem Albanici regni partem constituerunt. Cum Dalriediæ tantum regnum à Dunbritannico freto, & occiduo Oceano ad Argatheliæ, & Braid-Albaniæ fines protensum Scotorum reges eatenus suæ ditioni subditum habuerunt.

Kinethus etiam, devictis Pictis non ad Tivedam, nedum ad Tinam, inter quos fluvios Northumbriæ comitatus porrigitur, imperii fines protendit. Nam ad mare Scoticum, seu Edenburgicum fretum veteris Caledoniæ limitem Anglorum imperium diu post Kinethi tempora prolatum fuit. Licet enim post occisum Anno 794, Æthelredum Nordanhumbrorum Regem & Scoti tractum illum, qui Gallwalliæ, seu Gallovidiæ ab eis nomen accepit, & Picti Laudoniam occupasse dicantur, tamen Edenburgum Laudoniæ caput non nisi circa annum 960, Indulpho apud Scotos regnante, vacuatum, & Scotis relictum Angli amiserunt. Edgarus Anglorum Rex Anno 975 reliquam Laudoniam Kinetho 2 concessit ea conditione, ut quando rex, & Successores diadema portarent, Scotici Reges venirent ad curiam cum Angliæ proceribus. Gallovidia etiam, & vicinæ regiones Sodorensi Episcopo in Mona insula in rebus paruere divinis usque ad Malcolmum 3, à quo Gallovidiæ Candida casa, ut hodie manet, Episcopalis sedes est constituta. Quod autem Hector Boethius (q) Candidam Casam sub Mordaci Scotorum Regis ditione fuisse vult, veritati nequaquam consonum est. Neque audiendus Ranulphus Cestrensis, qui Pictos Australes

(q) Boeth. Histor. l. 9. fol. 181 b.

à S. Niniano conversos eam Insulæ partem incoluisse opinatur, quæ Gallovidiam, & Laudoniam continebat. Totus enim ille tractus Romanis Valentiæ nomine cognitus S. Niniani tempore à Britonibus, Bedæ vero ætate ab illis Cumbriæ nomine, & ab Anglis Nordanhumbris possidebatur. Deinceps Edmundus senior, Anno 646, Cumbriæ regnum Malcolmo 1. Scotorum Regi concessit ut Aquilonares Angliæ partes terra, marique ab hostium adventantium incursione tueretur.

* *Vb. Emmii. Chronolog.*

Kinethus 1. leges Mac-alpin, hoc est filii Alpini * dictas promulgavit, ejusque tempore, ut scribit Emmius Frisius, *crebescere bonæ literæ in Scotia, & posita barbarie hominum mores mitigari magis, & nomen Scoticum fieri illustrius, & series rerum, ac temporum notari diligentius cæperunt.*

Malmaria [100] Kinethi [99] 1. filia Regina Hiberniæ Aido Finnliatho R. H. matrimonio elocata Niellum Glundubium R. Hiberniæ O Neill familiæ Satorem edidit, & Domnaldum, ex quo Domnaldus Mac-lochluin, & Murchertus Reges Hiberniæ descenderunt, & Flanno [101] R. H. secundis nuptiis tradita Domnaldum peperit, & Ligacham Congalii [101] 2 Regis Hiberniæ gentricem Anno circiter 910 Malmaria, Anno 923 Ligacha obiit.

Domnaldus 4. Rex 35. Domnal mac Ailpin Anno 858. Domnaldus [99] Alpini [98] filius fratri Kinetho Anno 858 mortuo successit Rex Pictorum quatuor annos. *Poem.*

Anno 862. Domnall mac Ailpin Rex Pictorum obiit. *Annal. Ultonienses.*

Constantinus 2. Rex 36. Constantin mac Cionaodha Anno 862. Constantinus [100] Kinethi [99] 1 filius patruo successit Anno 862. Rex Pictorum 14 annos. *Annales Ulton.*

Anno 871. Alcluid, seu Dunbriton urbs à Danis spoliata, Northumbria subdita, & Picti plurimum vexati. *Caradoc:*

Ainlaph, & Ivar venerunt ad Ath-cliath (Dubliniam) ex

xAlbaniâ cum ducentis navibus,& prædâ maxima hominum Anglorum, & Britonum,& Pictorum deducta est ab eis secum ad Hiberniam in captivitate. *Annal. Ulton.*

Anno 875. Dani, seu Normanni pagani cum Halfdeno Duce suo, tota Nordanhumbrorum regione occupata, Pictos, & Stratduttenses * depopulati sunt. *Asserius:* & Strages magna à Dubgallis facta. *Ulton. Annales.* *Cumbros.

Anno 876. Constantinus mac-Kinaodha Rex Pictotum obiit. *Ult. annal.*

Aidus 3. Rex. 37. Aloś mac Cionaoda Anno 876. Aidus 100 (aliis Ethus) Kinethi 1 filius fratri successit, Anno 876, Rex Pictorum biennio. *Poema.*

Anno 878. Ædh mac-Kinaodha Rex Pictorum à sociis suis occisus. *Ult. annal.*

Gregorius Rex 38. Gaipig mac Dungail Anno 878.

Gregorius filius Dungalli Rex Pictorum annis septemdecim. Ita collgitur è Successoris annis; & ex Hectore Boethio.

Domnaldus 5. Rex 39. Domnall Dáṫaċtach Anno 895. Domnaldus 101 filius Constantini 100 2. Rex Pictorum quinque annos. *Poema;* quocum concurrunt annales; Anno 900. Quies Domnaldi filii Constantini Regis Albaniæ. *Tigernac:*

Constantinus 3. Rex 40. Conṡaṁtin mac Aloda. Anno 900. Constantinus 101 Aidi 100 3 filius Rex Pictorum quadraginta sex annos. *Poema.*

Anno 933. Athelstanus Anglorum Rex terras Scotorum, & Edenburgum spoliat, sed sine magna victoria à Scotis regredi coactus est. Anno autem 937 commissum est in Northumbria celeberrimum illud prœlium apud Bruneburgum inter Athelstanum, & Anlaphum Norwegum Sitrici Regis Northumbriæ ex Edytha Athelstani sorore filium, & Constantini 3 generum è Northumbria cum fratre Godfredo

fredo * ob motas in avunculam seditiones ejectum: qui à Socero incitatus infinitam multitudinem Danorum, Norwegiorum, Scotorum, ac Pictorum ad hoc prælium contraxit: sed ipso ibidem debellato, Athelstani imperio *Scoti, pariterque Picti* colla subdiderunt, ut author est, qui ab his temporibus proxime abfuit Ethelwerdus (r).

* *Godfredus hic Anno 948, Ostmannorum in Hibernia Rex ecs adfidem Christianam amplectendam persuasit, cujus avus Gormo Norwegus ob Alfredo Angliæ Rege per Edwardum Seniorem filium avo Athelstani è sacro baptismatis fonte levatus Northumbriæ Rex.*

(r) *Fabius Ethelwerd. l. 4. c. 5.*

Eodem Anno 937. Sereno Cælo Sol tenebris offusus velut cruentos radios fenestris immitebat. *Sigebert.*

Anno 952 Constantinus 3. vitam terminavit, *ut in codice Cluanensi:* qui regno dimisso in habitu Colideorum Deo dicitur serviisse; non ab Anno 943, ut Scotorum habent chronographi; sed ab Anno 946, si cum regum Poemate 46 regnationis anni concedantur.

Malcolmus 1. Rex 41. Maolcoluim mac Domnaill Anno 946. Malcolmus nepos Domnaldi filii 5. filius Constantino 3 successit anno 946, Pictorum Rex septennio. *collatis annalibus.* Nam Anno 953 Maolcoluim mac Domnaill Rex Albaniæ *à suis occisus est. Tigernac.*

Anno 946. Edmundus Senior Rex Angliæ Cumbriam Malcolmo 1. concessit, *Math: Florilegus ad illum annum:* qui fuit Edmundi Regis vitæ postremus.

Indulphus Rex 42 Londolbh. Anno 953.

Indulphus nepos Constantini filii 3. filius Malcolmo 1. successit Anno 953, Pictorum Rex octo annos.

Indulphus regnavit octo annos. Hujus tempore oppidum Eden vacuatum est, & relictum Scotis usque in hodiernum diem. Vetustus liber de Scotiæ divisione à Camdeno in Scotia citatus. Octo etiam annos, habet regum *Poema*, quod Indulphi, & decessoris annos exitus in annalibus confirmat: quibus Indulphi obitus ita adnotatur; Anno 961. Indulph Rex Albaniæ mortuus est. *Tigernac.*

Dub-

Dubhodo Rex 43. Dubhoda mac Maoile coluim An. 961. Dubhodo [103] (aliis Duffus) seu Odo Niger Malcolmi [102] 1 filius Anno 961, Rex Pictorum septem annos. *Poema.*

Culenus Rex 44. Cuilen mac Ionaguil Anno 967. Culenus [103] Indulphi [102] filius anno 967 Dubhodoni successit, Rex Pictorum quadriennio. *Poema.* Anno 971. Cuilen mac Innuilbh Rex Albaniæ à Britonibus incensa domo perditus, *Tigernac.*

Kinethus 2. Rex 45. Cionaod mac Maoilecolum Anno 971. Kinethus [103] 2. Malcolmi [102] 1. filius Anno 971 Culeno successit, Rex Pictorum annos viginti quatuor. *Cambrensis Eversus pag.* 94 atque ita Annales Anno 995. Kinethus filius Malcolmi à suis occisus est. *Tigernac.*

Anno circiter 975. Edgarus Anglorum Rex Laudoniam reliquam huic Kinetho concessit, *hac conditione, ut annis singulis in festivitatibus præcipuis, quando Rex, & ejus successores diadema portarent,* ipse, & successores *venirent ad curiam, & cum cæteris regni Principibus festum cum lætitia celebrarent.* Matthæus Florilegus.

Anno 977. Amlaus [103] filius Indulphii [102] Indulph Regis Albaniæ à Kinetho filio Malcolmi capite plectitur. *Tigernac.*

Constantinus 4. Rex 46. Constantin mac Cuilen Anno 995. Constantinus [104] 4. filius Culeni [103] Kinetho 2. successit Rex Pictorum *Sesquiannum Cambr. Eversus p.* 94. & Annales.

Anno 997. Prœlium inter ipsos Albanos; in quo Constantinus Rex Albaniæ Culeni sc. filius, & alii ceciderunt. *Tigernac.*

Eodem Anno Malcolmus filius Domnaldi Britonum Aquilonarium (hoc est Cumbrorum) Rex, mortuus est. *Tigernac:*

Qui videtur fuisse Malcolmi 1. ex Domnaldo illo nepos: nam Malcholmo 1. Edmundus Senior Cumbriam cessit; ut supra.

Grimus

Grimus Rex 47 Macduibh Anno 997

Grimus [104] Scoticè Macduibh; hoc est Duffi, seu Dubhodonis filius, quem proprio nomine Kinethum dictum invenio, Rex Pictorum, octennio *Cambr. Eversus pag.* 94, quippe 7 annis ab Anno 997, & parte octavi ad annum 1004.

Malcolmus 2 Rex 48. Malcolum mac Cionaodha Anno 1004 Malcolmus [104] Kinethi [103] 2 filius Grimo successit Scotiæ Rex triginta annos. *Ita apud Poema & Cambr. Evers p.* 94.

Hic à proceribus impetravit, ut regnum esset hæreditarium: Leges tulit: regnum in Baronias divisit Joannes SKenæus Scotus Malcolmi 2 Leges collegit: edidit que; ubi cap. 1. *Dominus Rex Malcolmus dedit, & distribuit totam terram regni Scotiæ hominibus, & nihil sibi retinuit in proprietate, nisi regiam dignitatem, & montem Placidi in villa de Scona.* (f) Hunc primum Scotiæ, qua nunc patet; Regis titulo augustiorem redditum annales etiam innuere videntur, quibus de eo ita ad excessus annum.

f Scona in Angusia Pictorum olim sedes regia: deinde inaugurandis Scotorum Regibus celebrata.

Anno 1034. Malcolmus filius Kinethi Supremum ordinum Albaniæ caput obiit. *Tigernac*: Ex quo excessus anno subductis regni 30. primus annus 1004 elicitur.

Donnchadus 1 Rex 49. Donnchadh mac Crinain Anno 1034. Donnchadus [106] Crinani filius Malcolmi [104] 2 ex Beatrice [105] filia nepos avo successit Anno 1034, Scotiæ Rex sexennio. *Poem & Cambr. Evers.* Qui supremi Regis notione Rex Scotiæ ita apud annales innuitur.

Beatac.

Anno 1040. Donchadh mac Crinain supremus Albaniæ Rex *immatura ætate a suis occisus est. Tigernac.*

Crinadh Alban.

Macbethus Rex 50 Macbeatha mac Fionlaoich Anno 1040.

Macbethus

Macbethus [106] Finnlaichi filius Malcolmi [104] 2 ex Donada [105] filia nepos Anno 1040 Donnchado 1 succeſſit Scotiæ Rex annos Septemdecim. *Poema.*

Lulachus Rex 51. Iulach Anno 1057 Lulachus [167] Macbethi [106] filius patri ſucceſſit Anno 1057 Scotiæ Rex ſex menſibus. *Poema.*

Anno 1058. (Kalendis Januarii in feriam 5 incidentibus) Lulachus Albaniæ Rex à Malcolmo filio Donnchadi occiſus. *Tigernac.* poſtea ad eundem annum ſubditur: Macbeothadgh mac Finnlaoich Supremus Albaniæ Rex à Malcolmo filio Donnchadi trucidatus eſt. *Ibidem.*

Malcolmus 3 Rex 52 Malcolym mac Donchadd. Anno 1058 Malcolmus [107] 3 cognomento Kennmor Donnchadi [106] 1 filius Anno 1058 Rex Scotiæ triginta quinque annos cujus avus maternus Siwardus Northumbriæ, Northamptoniæ & Huntingdoniæ Comes Anno 1056 defunctus. Malcolmus inſtantia ſanctiſſimæ conjugis ſuæ Margaritæ primus dicitur Lege Scripta ingentes abuſus inter Scotos inolitos correxiſſe. Majorum gentium Toparchas Sermone Scotico Thanas nuncupatos pro novo viciniorum more Comites creavit. itaque comitum nomen deerat, res vero per nomen ſignificata patrio nomi- à priſcis ſeculis invaluit; terrarum ſcilicet quarundum ex unâ eademque familiâ Toparcha; ſed hæreditaria fortaſſe facta dignitas, quæ more patrio cuilibet è familia ſuffragante vice, erat communis.

Comes officiarius nondum enim hæredetarii erant in Anglia comites: Sed Provinciarum præfecti pro illius Sæculi uſu Comites dicebantur provincia, cui præerant, ut hic Siwardus dum Huntingdoniæ præeſſet, Huntingdoniæ Comes. cum autem paulo poſt Northumbriæ præficeretur, Northumbriæ comes dictus erat. Camd. Britannia in Huntingdonia.

S. Margarita in Scotiæ patronam tutelarem a Clemente Decimo nuper adſcita (Soror Edgari comitis Oxo

Nonas Octobris die tertia feriæ. Tigernac.

Anno 721. Donnchadus Parvus Kentireæ Dominus obiit. Ibidem.

Achaius 3 Rex 20. Eochoid mac Eochoid.

Achaius [96] 3 Achaii [95] 2 filius Rex Albaniæ.

Anno 733. Achaius filius Achaii Rex Dalriedæ mortuus est. Tigernac.

Muredachus Rex 21. Muredach Tirech Anno 733. Muredachus [98] Calis Merdacus) Anbkellachi [97] filius successit Rex Albaniæ tribus annis. *Poema.*

Anno 733. *Muredachus filius Anbkellachi, regnum generis Soarni assumit.* Tigernac.

Eodem Anno Dungalius filius Seleuachi in Toragiam * expeditionem facit. Flahertius [96] R. Hiberniæ classem marinam è Dalriedinis in Hiberniam conduxit. *Tigernac.*

* *Torinis in Tyconallia in Vltonia Insula*

Dungalius 2. Rex 22 Dungal mac Selbaig Anno 736. Dungalius [98] 2. Seluachi [97] filius Muredacho patrueli Anno 736. successit, Rex Albaniæ septemannis. *Poema.*

Anno 736 Æneas filius Fergusii *Rex Pictorum vastavit regionem Dalriada; & obtinuit Duno,* * *& combussit Crec: duos filios Seluachi catenis alligavit, Dungalium* sc. *& Feradachum: & paulo post Brudeus filius Æneæ, filii Fergusii obiit.* ita *Tigernac etiam Latinè.*

* *Munimenta.*

Achaius 4 Rex 23 Eochoid Angbreth Anno 743. Achaius 4. Dungalio Anno 743 successit, Rex Albaniæ.

In diversis poematis apographis, quibus usus sum, Seluachus, Achaius 3. Achaius 4. de quo nunc, Achaius 5. & Gregorius deerant; atque ita deerant, ut etiam à numero 52 regum ad Malcolmum 3, quos author recensuit defuerint; unde præter alia menda facile evincitur Apographorum defectus. Achaii 4 igitur tempus sic colligo: Albaniæ præfuit, ut habet Regum Hiberniæ & Albaniæ Synchronismi libellus, quo tempore

Aidus

Aidus Ollanius Rex Hiberniæ succubuit, qui fuit annus æræ Christianæ 743 & quinquennium regnavit ad successoris initium.

Aidus 1. Rex 24. Aodh finn Anno 748.

Aidus [96] Finn (corruptè Ethfinn) filius Achaii [95] 2. Achaio 4. successit annos 748, Rex Albaniæ triginta annos. *Poema.*

Aidus Finn Rex Dalriedæ eodem anno, quo Niellus [96] Frasach Rex Hiberniæ obiit, ad finem pervenit. *Codex Cluan:* Atque ita Anno 778. ex quo subductis 30 regni annis, Anno 748 regnum iniit.

Sequuntur novem reges sine adjectâ chronologiâ, quod eorum mentio in annalibus, quos vidimus, non occurrat ab Anno 778. ad annum 838 per annos 60. nec depravato poemati 69 annos, omisso Achaio 5. adversus annalium fidem tribuenti confidendum duximus; regentium vero durationem juxta poema adjicimus.

			Annos
Domnaldus, 3.	Rex. 25.	Domnall.	24
Conallus, 3.	Rex. 26.	Conall Cáom.	02
Conallus. 4.	Rex. 27.	Conall Oile	04
Constantinus. 1.	Rex. 28.	Constaintin	09
Æneas.	Rex. 29.	Aongus	09
Aidus 2.	Rex. 30.	Aod.	04

Eugenianus Æneæ Regis filius R. 31. Eoganan mac Aongusa 13
Achaius [97] 5. filius Aidi. 1. Rex 32. Eochoid mac Aoda finn 00
Alpinus [98] filius Achaii [97] 5, Rex 33. Ailpin mac Eochoid. 04.
Kinethus. 1. Rex 34. Cionaod mac Ailpin An. 838.

Kinethus [99] 1. Alpinini [98] filius patri successit Anno 858, Rex Albaniæ & anno 842 Rex Pictorum. *Kinnadius biennio antequam pervenit in Pictaviam Dalrietæ regnum suscepit* (m).

Universo Kinethi regnoanni tribuuntur viginti, monarchiæ vero post devictos Pictos ferè sedecim: de quorum

(m) *Vetust. Author apud Camdenum in Scotia & Usser: de Primord. p.* 611.

rum tamen termino aliquantula est inter Scriptores discrepantia. Imperium enim simul cum vita eum finivisse Anno 854, docent Fordonus, & Buchananus; 855. Boethius, & Lellæus; 856. Caradocus Lancaruanensis, 858. *Annales Ultonienses* quorum heic sequimur rationes

Anno itaque 840 in Pictaviam duxit exercitum: Anno 842 Pictos profligavit. Unde sedecim annorum Albanici ipsius imperii dicitur exordium: de quo per vulgati isti Scoto-britonum versiculi apud Fordonum, & alios decantati.

Primus in Albanis fertur regnasse Kenethus,
Filius Alpini, prælia multa gerens,
Expulsis Pictis regnavit is octo bis annis.

Anno 850, regni duodecimo septies uno die cum Pictis congressus universas eorum copias fudit: indeque Sconam rediens Druskenum filium Feradathi ultimum Pictorum Regem obtruncavit, atque illud regnum suo adjecit imperio. Ab hoc igitur anno Giraldus Cambrensis Albanicæ Scotorum monarchiæ arcessit epocham Scotiæ nomen ita deducens (*n*); *à Scotis de Hibernia venientibus, & in eâ regnantibus per spacium 315 annorum usque ad regnum Guilielmi Rufi fratris Malcolmi*; hoc est ad an. 1165, quo Malcolmo 4. successit Guilielmus ille.

850
315
1165.

n Ranulph. Polychronicon lib 1. c. 37. Usser. Primord. pag. 717.

* Pictorum erat urbs regia.

Quod autem de universo Pictorum populo tum deleto vulgariter receptum est, & Pictorum magnates ad convivium invitatos ex improviso trucidatos, ut narrat idem Cambrensis (*o*) Scotorum genti iniquior, à vero alienissimum est; *Cum una omnino cæna non facile potuisse tot absorbere Principes; ac universum populum, uti de hac re Polydorus* (*p*) monuit. Nam Kinethus hic ejus-

o Polychronicon l. 1. c. 58.

p Polydorus Virg. Angl. Histor. lib. 4 ad fuem.

ejuſque Succeſſores, donec viguit gentis Pictorum nomen, velut à famoſiori regno reges Pictorum audiebant apud vicinos Hibernos (qui Scoto-albanis cognatiores, eorumque ſtatus, ac progreſſus peritiores præ cæteris erant) & Britones; utpote quia Picti, licet Scotorum imperio ſubjecti, majorem tamen, & potiorem Albanici regni partem conſtituerunt. Cum Dalriediæ tantum regnum à Dunbritannico freto, & occiduo Oceano ad Argatheliæ, & Braid-Albaniæ fines protenſuur Scotorum reges eatenus ſuæ ditioni ſubditum habuerunt.

Kinethus etiam, devictis Pictis non ad Tivedam, nedum ad Tinam, inter quos fluvios Northumbriæ comitatus porrigitur, imperii fines protendit. Nam ad mare Scoticum, ſeu Edenburgicum fretum veteris Caledoniæ limitem Anglorum imperium diu poſt Kinethi tempora prolatum fuit. Licet enim poſt occiſum Anno 794, Æthelredum Nordanhumbrorum Regem & Scoti tractum illum, qui Gallwalliæ, ſeu Gallovidiæ ab eis nomen accepit, & Picti Laudoniam occupaſſe dicantur, tamen Edenburgum Laudoniæ caput non niſi circa annum 960, Indulpho apud Scotos regnante, vacuatum, & Scotis relictum Angli amiſerunt. Edgarus Anglorum Rex Anno 975 reliquam Launoniam Kinetho 2 conceſſit ea conditione, ut quando rex, & Succeſſores diadema portarent, Scotici Reges venirent ad curiam cum Angliæ proceribus. Gallovidia etiam, & vicinæ regiones Sodorenſi Epiſcopo in Mona inſula in rebus paruere divinis uſque ad Malcolmum 3, à quo Gallovidiæ Candida caſa, ut hodie manet, Epiſcopalis ſedes eſt conſtituta. Quod autem Hector Boethius (q) Candidam Caſam ſub Mordaci Scotorum Regis ditione fuiſſe vult, veritati nequaquam conſonum eſt. Neque audiendus Ranulphus Ceſtrenſis, qui Pictos Auſtrales

(q) *Boeth. Hiſtor. l. 9 fol. 181 b.*

à S. Niniano conversos eam Insulæ partem incoluisse opinatur, quæ Gallovidiam, & Laudoniam continebat. Totus enim ille tractus Romanis Valentiæ nomine cognitus S. Niniani tempore à Britonibus, Bedæ vero ætate ab illis Cumbriæ nomine, & ab Anglis Nordanhumbris possidebatur. Deinceps Edmundus senior, Anno 646, Cumbriæ regnum Malcolmo 1. Scotorum Regi concessit ut Aquilonares Angliæ partes terra, marique ab hostium adventantium incursione tueretur.

* *Vb. Emmii. Chronolog.*

Kinethus 1. leges Mac-alpin, hoc est filii Alpini * dictas promulgavit, ejusque tempore, ut scribit Emmius Frisius, *crebescere bonæ literæ in Scotia, & posita barbarie hominum mores mitigari magis, & nomen Scoticum fieri illustrius, & series rerum, ac temporum notari diligentius cæperunt.*

Malmaria [100] Kinethi [99] 1. filia Regina Hiberniæ Aido Finnliatho R. H. matrimonio elocata Niellum Glundubium R. Hiberniæ O Neill familiæ Satorem edidit, & Domnaldum, ex quo Domnaldus Mac-lochluin, & Murchertus Reges Hiberniæ descenderunt, & Flanno [101] R. H. secundis nuptiis tradita Domnaldum peperit, & Ligacham Congalii [101] 2 Regis Hiberniæ gentricem Anno circiter 910 Malmaria, Anno 923 Ligacha obiit.

Domnaldus 4. Rex 35. Domnal mac Ailpin Anno 858. Domnaldus [99] Alpini [98] filius fratri Kinetho Anno 858 mortuo successit Rex Pictorum quatuor annos. *Poem.*

Anno 862. Domnall mac Ailpin Rex Pictorum obiit. *Annal. Ultonienses.*

Constantinus 2. Rex 36. Constantin mac Cionaodha Anno 862. Constantinus [100] Kinethi [99] 1 filius patruo successit Anno 862. Rex Pictorum 14 annos. *Annales Ulton.*

Anno 871. Alcluid, seu Dunbriton urbs à Danis spoliata, Northumbria subdita, & Picti plurimum vexati. *Caradoc.*

Ainlaph, & Ivar venerunt ad Ath-cliath (Dubliniam) ex

xAlbaniâ cum ducentis navibus, & præda maxima hominum Anglorum, & Britonum, & Pictorum deducta est ab eis secum ad Hiberniam in captivitate. *Annal. Ulton.*

Anno 875. Dani, seu Normanni pagani cum Halfdeno Duce suo, tota Nordanhumbrorum regione occupata, Pictos, & Stratduttenses * depopulati sunt. *Asserius*: & Strages magna à Dubgallis facta. *Ulton. Annales.* *Cumbros.

Anno 876. Constantinus mac-Kinaodha Rex Pictorum obiit. *Ult. annal.*

Aidus 3. Rex. 37. Aoḋ mac Cionaoḋa Anno 876. Aidus 100 (aliis Ethus) Kinethi 1 filius fratri successit, Anno 876, Rex Pictorum biennio. *Poema.*

Anno 878. Ædh mac-Kinaodha Rex Pictorum à sociis suis occisus. *Ult. annal.*

Gregorius Rex 38. Gaiṙig mac Dungail Anno 878. Gregorius filius Dungalli Rex Pictorum annis septemdecim. Ita collgitur è Successoris annis; & ex Hectore Boethio.

Domnaldus 5. Rex 39. Domnall Ḋaṙaċeach Anno 895. Domnaldus 101 filius Constantini 100 2. Rex Pictorum quinque annos. *Poema*; quocum concurrunt annales; Anno 900. Quies Domnaldi filii Constantini Regis Albaniæ. *Tigernac*:

Constantinus 3. Rex 40. Conṙaiṁcin mac Aoḋa. Anno 900. Constantinus 101 Aidi 100 3 filius Rex Pictorum quadraginta sex annos. *Poema.*

Anno 933. Athelstanus Anglorum Rex terras Scotorum, & Edenburgum spoliat, sed sine magna victoria à Scotis regredi coactus est. Anno autem 937 commissum est in Northumbria celeberrimum illud prœlium apud Bruneburgum inter Athelstanum, & Anlaphum Norwegum Sitrici Regis Northumbriæ ex Edytha Athelstani sorore filium, & Constantini 3 generum è Northumbria cum fratre Godfredo

fredo * ob motas in avunculam seditiones ejectum: qui à Socero incitatus infinitam multitudinem Danorum, Norwegiorum, Scotorum, ac Pictorum ad hoc prælium contraxit: sed ipso ibidem debellato, Athelstani imperio *Scoti, pariterque Picti* colla subdiderunt, ut author est, qui ab his temporibus proxime abfuit Ethelwerdus (*r*).

* *Godfredus hic Anno 948, Ostmannorum in Hibernia Rex ecs ad fidem Christianam amplectendam persuasit, cujus avus Gormo Norwegus ab Alfredo Angliæ Rege per Edwardum Seniorem filium avo Athelstani è sacro baptismatis fonte levatus Northumbriæ R.x.*

(*r*) *Fabius Ethelwerd. l. 4. c. 5.*

Eodem Anno 937. Sereno Cælo Sol tenebris offusus velut cruentos radios fenestris immitebat. *Sigebert.*

Anno 952 Constantinus 3. vitam terminavit, *ut in codice Cluanensi:* qui regno dimisso in habitu Colideorum Deo dicitur serviisse; non ab Anno 943, ut Scotorum habent chronographi; sed ab Anno 946, si cum regum Poemate 46 regnationis anni concedantur.

Malcolmus 1. Rex 41. Maelcolum mac Domnaill Anno 946. Malcolmus 102 Domnaldi 101 5. filius Constantino 3 successit anno 946, Pictorum Rex septennio. *collatis annalibus.* Nam Anno 953 Maolcoluim mac Domnaill Rex Albaniæ *à suis occisus est. Tigernac.*

Anno 946. Edmundus Senior Rex Angliæ Cumbriam Malcolmo 1. concessit, *Math: Florilegus ad illum annum:* qui fuit Edmundi Regis vitæ postremus.

Indulphus Rex 42 Iondolbh. Anno 953.

Indulphus 102 Constantini 101 3. filius Malcolmo 1. successit Anno 953, Pictorum Rex octo annos.

Indulphus regnavit octo annos. Hujus tempore oppidum Eden vacuatum est, & relictum Scotis usque in hodiernum diem. Vetustus liber de Scotiæ divisione à Camdeno in Scotia citatus. Octo etiam annos, habet regum *Poema*, quod Indulphi, & decessoris annos exitus in annalibus confirmat: quibus Indulphi obitus ita adnotatur; Anno 961. Indulph Rex Albaniæ mortuus est. *Tigernac.*

Dub-

Dubhodo Rex 43. Dubhoda mac Maoile colum An. 961. Dubhodo [103] (aliis Duffus) seu Odo Niger Malcolmi [102] 1 filius Anno 961, Rex Pictorum septem annos. *Poema.*

Culenus Rex 44. Cuilen mac Iondruib Anno 967. Culenus [103] Indulphi [102] filius anno 967 Dubhodoni successit, Rex Pictorum quadriennio. *Poema.* Anno 971. Cuilen mac Innulbh Rex Albaniæ à Britonibus incensa domo perditus, *Tigernac.*

Kinethus 2. Rex 45. Cionaoth mac Maoilecolum Anno 971. Kinethus [103] 2. Malcolmi [102] 1. filius Anno 971 Culeno successit, Rex Pictorum annos viginti quatuor. *Cambrensis Eversus pag.* 94 atque ita Annales Anno 995. Kinethus filius Malcolmi à suis occisus est. *Tigernac.*

Anno circiter 975. Edgarus Anglorum Rex Laudoniam reliquam huic Kinetho concessit, *hac conditione, ut annis singulis in festivitatibus præcipuis, quando Rex, & ejus successores diadema portarent,* ipse, & successores *venirent ad curiam, & cum cæteris regni Principibus festum cum lætitia celebrarent.* Matthæus Florilegus.

Anno 977. Amlaus [103] filius Indulphii [102] Indulph Regis Albaniæ à Kinetho filio Malcolmi capite plectitur. *Tigernac.*

Constantinus 4. Rex 46. Constantin mac Cuilen Anno 995. Constantinus [104] 4. filius Culeni [103] Kinetho 2. successit Rex Pictorum *Sesquiannum Cambr. Eversus p.* 94. & Annales.

Anno 997. Prœlium inter ipsos Albanos; in quo Constantinus Rex Albaniæ Culeni 5. filius, & alii ceciderunt. *Tigernac.*

Eodem Anno Malcolmus filius Domnaldi Britonum Aquilonarium (hoc est Cumbrorum) Rex, mortuus est. *Tigernac:*

Qui videtur fuisse Malcolmi 1. ex Domnaldo illo nepos: nam Malcholmo 1. Edmundus Senior Cumbriam cessit; ut supra.

Grimus

Macbethus [106] Finnlaichi filius Malcolmi [104] 2 ex Donada [105] filia nepos Anno 1040 Donnchado 1 succeſſit Scotiæ Rex annos Septemdecim. *Poema.*

Lulachus Rex 51. Iulach Anno 1057 Lulachus [167] Macbethi [106] filius patri ſucceſſit Anno 1057 Scotiæ Rex ſex menſibus. *Poema.*

Anno 1058. (Kalendis Januarii in feriam 5 incidentibus) Lulachus Albaniæ Rex à Malcolmo filio Donnchadi occiſus. *Tigernac.* poſtea ad eundem ann: ſubditur: Macbeoth adgh mac Finnlaoich Supremus Albaniæ Rex à Malcolmo filio Donnchadi trucidatus eſt. *Ibidem.*

Malcolmus 3 Rex 52 Malcolym mac Donchadá. Anno 1058 Malcolmus [107] 3 cognomento Kennmor Donnchadi [106] 1 filius Anno 1058 Rex Scotiæ triginta quinque annos cujus avus maternus Siwardus Northumbriæ, Northamptoniæ & Huntingdoniæ Comes Anno 1056 defunctus. Malcolmus inſtantia ſanctiſſimæ conjugis ſuæ Margaritæ primus dicitur Lege Scripta ingentes abuſus inter Scotos inolitos correxiſſe. Majorum gentium Toparchas Sermone Scotico Thanas nuncupatos pro novo viciniorum more Comites creavit. itaque comitum nomen deerat, res vero per nomen ſignificata patrio nomi à priſcis ſeculis invaluit; terrarum ſcilicet quarundum ex unâ eademque familiâ Toparcha; ſed hæreditaria fortaſſe facta dignitas, quæ more patrio cuilibet è familia ſuffragante vice, erat communis.

Comes officiarius nondum enim hæredetarii erant in Anglia comites: Sed Provinciarum præfecti pro illius Sæculi uſu Comites dicebantur provincia, cui præerant, ut hic Siwardus dum Huntingdoniæ præeſſet, Huntingdoniæ Comes. cum autem paulo poſt Northumbriæ præficeretur, Northumbriæ comes dictus erat. Camd. Britannia in Huntingdonia.

S. Margarita in Scotiæ patronam tutelarem a Clemente Decimo nuper adſcita (Soror Edgari comitis Oxo

niæ, & Angliæ coronæ Hæredis, cui cognomentum Anglorum deliciæ, & cujus sine prole obitu idem jus in Sororem devolutum) Edmundi Lateris ferrei Regis Angliæ ex Edwardo filio, & Henrici 3 Imperatoris ex Agatha filia neptis, & Canuti Daniæ, & Angliæ Regis ex Cunigunda Imperatrice proneptis Malcolmo Regi edidit Edwardum cum patre occisum, Edgarum, Alexandrum, & Davidem Scotiæ Reges Matildem [108] Anno 1100 nuptam Henrico 1 & 1 Maii 1118 defunctam Angliæ Reginam, & Mariam [108].

Matildi [108] filia erat Matildis [109] Henrici 5 Impeartrix, & Anglorum domina secundò nupta 3 Aprilis Anno 1127 Galfrido Plantagenet Andegavensi comiti Fulconis Hierosolymæ Regis filio (quo orbata Anno 1150) decessit 10 Septembr. 1167. Mater Henrici [110] illius nominis 2 Angliæ Regis, è cujus progenie omnes huc usque Angliæ Reges, & in virili linea ad initium Henrici 7.

Maria [108] nupta Eustachio Comiti Bononiæ Gothofredi Buillonei, & Baldvini Hierosolymæ Regum fratri Matildem [109] peperit Stephani Angliæ Regis uxorem Matrem Mariæ [110] ex qua orti Comites Bononienses.

Anno 1093. Ut refert Tigernach continuator, *Malcolmus filius Donnchadi Rex Albaniæ cum Edwardo filio a Francis occisus est, & præ mœrore Margarita conjux interiit.* Ubi advertendum Francos heic dictos Normannos, qui non ita pridem antè Angliam, duce Gulielmo Conquestore Anno 1066 subegerunt. Cumque Malcolmus Anglorum ad se confugientum causa bello impetitus in No rthumbriam sæpe irrueret, quinta vice Roberti Mowbray Northumbriæ Comitis dolo cum filio succubuit.

Hacte-

Hactenus de 52 Regibus in poemate memoratis, quorum ultimus Malcolmus in vivis erat, quo tempore poema concinnatum.

Donnchadus 2 Rex. 53. Donnchad mac Maelecolum. Anno 1093. Donnchadus [108] 2 Malcolmi [107] 3 filius Rex Scotiæ Anno 1093 patri succeſſit, Anno ſequenti à ſuis occiſus: Cujus è Guilielmo [109] filio neptis Cæcilia [110] Guilielmo Craſſo Albemarlæ comiti Anno 1179 defuncto enupta Hawiſiam [111] genuit Albemarlæ Comitiſſam quæ per Guilielmum de Fortibus maritum Guilielmum [112] edidit Albemarlæ comitem patrem Guilielmi [113] Comitis; cujus unica filia Avelina [113] Edmundo Gibboſo Henrici [112] 3 Angliæ Regis filio Lancaſtrenſi Comiti in matrimonium data ſine prole obiit.

Domnaldus 6 Rex 54. Domnall mac Donnchad. Anno 1094. Domnaldus [107] 6 Malcolmi 3 frater Donnchado 2 ſucceſſit Anno 1094, Anno 1099 à ſuis oculis captus; ita *Tigernachi continuator.*

Edgarus Rex 55, Anno 1094.

Edgarus [108] Malcolmi 3 filius auxiliaribus Guilielmi 2 Regis ex Anglia copiis reſtitutus Anno 1099 Rex Scotiæ, Anno 1109 ſine Liberis moriens fratri ſceptrum reliquit.

Alexander 1 Rex 56. Anno 1109.

Alexander [108] Edgaro fratri ſuccedens, Anno 1109 Rex Scotiæ, Anno 1125 improlis obiit.

David 1 Rex 57 Anno 1125.

David [108] deceſſorum frater Anno 1125 regnum iniit Rex Scotiæ, Anno 1153 defunctus.

Illius Regina Matildis vidua Simonis Silva-nectenſis, ſive de S. Lizio Comitiſſa Northamptoniæ quæ avum prætulit Siwardum illum Northumbriæ, Northamptoniæ, & Huntingdoniæ comitem: Siwardo filius erat Waldeofus Northumbriæ, Northamptoniæ, &

Huntingdoniæ Comes dono Guilielmi Conqueſtoris, cujus è ſorore uterinâ neptem Juditham duxerat; matrem Matildis quam uxorem accepit Simon Silva-nectenſis cum comitatu Huntingdoniæ. Mortuo Simone, duxit eam David poſtea, Rex Scotiæ: è Simone genuit Simonem filium, è Davide Rege Henricum. [109] Quamobrem variante fortuna, & regum favore, nunc Scoti, nunc Silva-nectenſes maternam Huntingdonii comitatus hæreditatem certatim geſſerunt: Scilicet Henricus Davidis filius, tum Simon ſecundus primi filius poſt hunc Malcolmus Rex Scotorum Henrici comitis filius, eo defuncto, Simon ſecundi filius, qui cum ſine prole Anno 1185 obiiſſet, Guilielmus Rex Scotorum Malcolmi frater ſucceſſit, inde David ejus frater, Davidiſque filius Joannes cognomento Scotus Ceſtriæ comes, qui cum ſine Sobole Anno 1237 fatis conceſſiſſet, Scotorum Reges Alex. 2 et Alex 3 eo titulo potiti ſunt. Sed. Alexandro 3. ſine liberis extincto Scotī eo honore, & lautiſſimo in Anglia patrimonio exciderunt.

a *De quo S. Bernardus in vita S. Malachiæ.*

Henricus [109] Princeps Scotiæ Davidis 1 unicus filius (*a*). Huntingdoniæ Comes ex Aldâ Guilielmi 2 Warenniæ, & Surriæ Comitis filia ſuſcepit Malcolmum, et Gulielmum Scotiæ Reges, Davidem Huntingdoniæ comitem, Margaritam, & Aldam filias; & patre ſuperſtite, naturæ ceſſit, Anno 1152.

Margarita [110] primo in matrimonium data Conango Britanniæ Armoricæ in Gallia Duci Anno 1170 defuncto Conſtantiam [111] genuit, quam duxit Galfridus [112] Plantagenet Richmondiæ Comes, filius quartus Henrici [110] 2 Angliæ Regis Anno 1186 mortuus, Arthurum [112] poſthumum relinquens Britanniæ Ducem, & Richmondiæ Comitem Richardi 1 Angliæ Regis proximum hæredem, atque ideo á Joanne patruo ſuo Angliæ Rege Anno 1202 ſublatum: Arthuro ſoror erat ſecundis Conſtantiæ nuptiis

nuptiis Adeliza [111] filia Guidonis Vicecomitis Thoarensis, uxor Petri de Dreux, sive Druidensis regio Francorum sanguine oriundi uxoris, jure Britanniæ Ducis, & comitis Richmondiæ: unde genitus Joannes [113] Dux Britanniæ & Richmondiæ Comes, stirps Ducum Britanniæ per Beatricem [113] Anno 1260 matrimonio junctam Henrici [112] 3. Angliæ Regis filiam.

Margarita [110] denuo nupta Humfredo de Bohun Henricum [111] peperit Herefordiæ Comitem, & Angliæ Constabularium ex quo Bohuni Herefordiæ, & Essexiæ Comites, & Angliæ Constabularii.

Alda [110] Henrici [109] Principis filia altera nuptum tradita Florentio Hollandiæ Comiti Guilielmum [111] Hollandiæ Comitem enixa est, qui Scotorum coronæ jus sibi inter alios vendicavit,

Malcolmus 4. Rex. 58. Anno 1153.

Malcolmus [110] 4. cognomento Virgineus Davidis [108] 1. ex Henrico filio nepos avo successit, Rex Scotiæ Anno 1153. Qui tota vita cælebs vivis excessit Anno 1165.

Guilielmus Rex 59. Anno 1165.

Guilielmus [110] Leo fratri Malcolmo 4. Anno 1165 suffectus Rex Scotiæ: Anno 1214 e vita migravit liberos relinquens ex Ermingerdâ filiâ Richardi Beaumon de Cenomon genitos Alexandrum 2. Isabellam Rogeri Norfolcii Comitissam improlem, Margaritam, Eustachio Domino Vescy, de Alnewick nuptam matrem Guilielmi Domini Vescy qui fuit Derbiæ Comitis de Ferras gener; renuptam Huberto de Burgo Cantii Comiti Anno 1227 creato, quæ fuit pos-

po-

postrema uxor, & nullos ex eâ liberos suscepit.

Alexander. 2. Rex 60 Anno 1214.

Alexander [111] 2. Guilielmi Regis filius, Rex Scotiæ, Anno 1214 cæpit, Anno 1249, in Insula Kerwaray febre correptus moritur.

Joanna [112] filia Joannis Angliæ Regis Alexandri 2 uxor, & Alexandri 3 mater, Anno 1236 diem obiit.

Alexandro regnante, patruus ejus David [110] Huntingdoniæ Comes Anno 1219, & Davidis filius Joannes [111] Scotus Huntingdoniæ, Angusiæ, Carictæ Comes, matrisque jure Comes Palatinus Cestriæ Anno 1237, nulla relicta sobole ex Helena conjuge filia Lewelini Walliæ Borealis Principis, vitæ stadium confecerunt.

David [110] ex Maltilde primogenitâ Hugonis Kevelioc Palatini Cestriæ Comitis, Sorore, & Cohærede Ranulphi dicti de Blundevill Cestriæ Comitis, præter Joannem tres filias progenuit 1. Margaritam [111] ex Dergalla [112] filia Alani Gallovidiæ Domini, & Scotiæ Constabularii aviam Joannis [113] Balliol Scotiæ Regis.

2. Isabellam [111] per Robertum [112] filium Annandaliæ [113] Dominum & Comitem Carictæ aviam Roberti Brusii Scotiæ Regis.

3. Aldam [111] Domino Henrico de Hastings enuptam, cujus jure Joannes Dominus Hastingus Scotiæ Sceptrum vendicavit, avus Laurentii Wextordiæ,& Abergavenniæ Domini Penbrochiæ comitis Anno 1339 creati, & Elizabethæ, ex qua descenderunt Domini Greii de Ruthunia Cantii Comites, Greii Dorsettiæ Marchiones, & Greii Vicecomites de Lisle, sive de Insula.

Alexander 3. Rex 61. Anno 1249.

Alexander [111] 3, Alexandrum patrem excipit Anno 1249

Rex

Rex Scotiæ Anno 1285 equi casu ad mortem præcipitatus; postquam ex Margarita [113] Henrici [113] 3 Angliæ Regis filiâ Margaritam [113] genuit Norwegiæ Reginam.

A morte Alexandri 3. & unicæ ejus ex filia neptis Margaritæ [114] Norwegiæ Regis filiæ Edwardo [114] Edwardi [113] 1 Regis Angliæ filio desponsatæ, quæ avum ante confectas nuptias brevi secuta est, regnum tandem post diuturnas annorum sex, & mensium novem contentiones delatum est ad Joannem Balliolum; postquam regia Dalriedinorum familia Scotis in Britannia præesset ab appulsu filiorum Erici ad Alexandri 3 casum annos 783. à Kinethi 1. in Pictos dominio annos 443, & à Malcolmi 2. Scotiæ, qua patet, Regis initio annos 281.

Joannes Rex 62, Anno 1292.

Joannes [113] Balliolus Joannis Ballioli filius, & Alani Gallovidiæ Domini è Dervorgalla filia nepos post septennii ferè interregnum Sconæ die 18 Novembris Anno 1292 Rex Scotiæ innunctus est, Edwardi [113] 1. Angliæ Regis sententia; quod ejus mater Dervorgalla [112] fuerit filia, & unica hæres Margaritæ [111] primogenitæ Davidis [110] Huntingdoniæ Comitis, qui fuit Alexandri 3 decessoris propatruus. Verum prius Roberto [112] Brusio Davidis Huntingdonii ex Isabella secundò genita nepoti, qui inter coronæ æmulos potentia eminebat, regnum oblatum est, si Edwardo Regi Homagium faceret; Sed Brusius conditiones adeo patriæ libertati iniquas liberè detrectavit. Quibus igitur devinctus Balliolus proximo festo S. Stephani apud Newcastle ad Tinam fluvium in Anglia Regi Edwardo pro regno suo Homagium præstitit. Quod utrique nationi myriadum sanguine sterit, & implacabiles inimicitias trecentos annos ad unita regna durantes generavit. In-

Inprimis enim dum Anglus vaſſallo regi inſultaret, Scotus indignabundus minimè debiti Homagii Sacramentum abjuravit; fœdus cum Phillippo 4. Galliæ Rege inivit, & Philippi ex fratre Carolo Valeſio neptem Edwardo filio in uxorem accepit. Quare Edwardus Rex Angliæ Anno 1296 cum multis copiis Scotiam invadit, totamque, profligatis ubique Scotis, victoriis permenſus eſt. Obſequii ſacramentum a Scotiæ proceribus exegit: & Balliolum Regem quarto ærumnoſi regni anno in ordinem redactum captivum ſecum abduxit. Anno 1301 captivitate liberatus miſerias ſuas in Gallia morte terminavit. Quo tempore Edwardus iterum Scotos domuit, & ad obſequium redegit: multa latifundia, ac dominia per univerſam Scotiam Anglis ſuis conceſſit. Unde multi Anglici mores, & nomina Anglicana in Scotia inoluerunt. Hac etiam expeditione omnes libros, hiſtorias, publicas tabulas, archiva, & Monumenta Scotica in Angliam tranſmiſit. Regalia inſignia cathedram, coronam, ſceptrum, & fatale marmor, ſuper quod Scotorum reges inaugurati S. Edwardo confeſſori apud Weſtmonaſterium prope Londinum obtulit. Quibus omnibus non obſtantibus Scoti jus ſuum poſtliminio recuperarunt.

Robertus 1. Rex 63 Anno. 1306.

Robertus [113] Bruſius Carictæ Comes, cujus pater Robertus [112] Carictæ Comes Davidis [110] Huntingdonii ex Iſabellâ ſecundâ filiâ nepos: mater Martha filia, & hæres Adami de Kilconath Anno 2270 Carictæ Comitis: afflictæ patriæ calamitates miſeratus ex Angliæ Regis aula clam ſe ſubduxit, & in Scotiam confugiens Sconæ Anno 1306 Rex inauguratur virtute præditus eo dignâ faſtigio. Qui moriens Davidem filium unicum novennem

vennem puerum ex procerum voluntate hæredem reliquit, eique Robertum Stuartum ex filia sua nepotem substituit. Obiit vero Anno 1329 cum regnasset annos viginti tres. De cujus initio regni ita qui Tigernachi annales continuavit.

Anno 1306. Roibeard a bruy Mórmaor Cairrge do ghabáil righe Alban ⁊ tigion a nagaidh Righ Saxan.

1. Robertus de Brus Comes Carictæ Albaniæ regnum violenta manu adversus Angliæ Regem occupavit.

Brusii originem trahunt à Roberto Bruis Normanno: ille duos habuit filios Adam Dominum de SKelton Baronem de Bruis (in Cliulandia, & agro Eboracensi,) Sede, & Robertum ab Edgaro Scotiæ Rege, cui ad recuperandum regnum cum aliis ex Angliâ subsidio fuit, Annandaliæ, seu vallis Annan fluvio contiguæ dominio remuneratum. Quod dominium post eum ad Robertum filium devenit ex Roberto filio avum Roberti III. &c.

Roberto Regi fratres erant Nigellus Anno 1306, prælio ad Perth, seu ut alii vocant, S. Joannis Fanum in Scotia, duce Audomaro Penbrochiæ Comite perditus, & Edwardus à Domnaldo O Neill in Ultoniam adversus Anglos Anno 1315 accitus: Anno 1316 mense Maio Hiberniæ Rex salutatus, & Anno 1318 die 14. Octobris in Sabbatum incidente prælio inter Dundal-Kam, & Fochartam in Lugmagiæ districtu à Joanne Bermingham Lugmagiæ postea Comite creato, & aliis Anglicis ducibus interemptus.

Uxor Roberti Regis prior Isabella filia Domnaldi Marriæ Comitis, & sub Davide Brusio Rege minorenni, Scotiæ gubernatoris ex qua suscepit Marjoriam Roberti Stuarti Scotiæ Regis genitricem: altera conjux Elizabetha Richardi de Burgo Ultoniæ Comitis filia Anno

1320 natum, & Sutherlandiæ Comitissam concepit.

David 2. Rex 64. Anno 1329.

David [114] Brusius patri successit Anno 1329 Rex Scotiæ; sed minorennis absens apud Galliæ Regem, ad quem periculorum causa à patre erat missus per proreges primis annis regnum administravit.

Anno 1327, patre superstite, primo anno Edwardi [115] 3. Angliæ Regis Joannam [115] primogenitam Edwardo [114] 2. Angliæ Regis, septennis desponsavit. Inter sponsalia Rex Angliæ omne superioris dominii, & Homagii jus, quod in Scotiæ regnum obtenderunt antecessores sui, remisit, & irritum fecit; varia scripta instrumenta eò spectantia, inter quæ erant *Ragman tabulæ*, reddidit: Nigram crucem, & alia Scotiæ coronæ cimelia restituit. Paucis vero interjectis annis, cum Gallicum bellum moliretur veritus, si foras arma trajiceret, ne Scoti Gallis fœdere constricti a tergo domi grassarentur, Edwardum Ballioli Regis filium è Gallia accersitum ad spem regni instigavit, nec prius destitit, quam illum infinitæ multitudinis strage solium ascendere fecit.

Edwardus Rex 65. Anno 1332.

Edwardus [114] Balliolus Joannis [113] Regis filius. Anno 332 die 27 Septembris Sconæ Rex Scotiæ coronatur. Anno 1333 apud *Newcastle* Angliæ Regi, ut superiori domino Homagium fecit, obsequium & fidelitatem juramento spospondit; seque & hæredes suos ad coronam suam à Regibus Angliæ tenendam obstrinxit; in quinque insuper plagis Angliæ adjacentibus dominium resignavit. Civium ita sanguine purpuratus, contractis Scotiæ finibus, & agnito Angliæ Rege feudi

Domi-

Domino terrarum imminutione, & Homagii clientela regiam dignitatem brevi duraturam acquisivit.

David 2. iterum regnat Anno——

David Rex hactenus in Gallia impubis detentus, in patriam reversus, æmulo oppresso, regno potitus est. Anno deinde 1346 in prœlio Dunelmensi ad Nevilli crucem Nonis Octobris, & die Sabbato, fusis sexaginta millibus Scotorum, ab Anglis captus decennio in custodiâ permansit. Qua tandem anno 1356 liberatus, atque in integrum restitutus, Joannam Reginam Anno sequenti sine prole mortuam amisit. Anno demum 1370 (*c*) è vita excessit sine liberis, postquam germanæ Sutherlandiæ Comitissæ filium, &, hoc immaturo fato prærepto, Robertum Stuartum Davidi etiam à patre quondam substitutum, hæredem nominavit.

(*c*) *Mac Firbissii annales.*

Robertus 2. Rex 66. Anno 1370.

Robertus [115] Stuartus Davidis [114] 2. è Marjoria Sorore nepos, ad quem regnum summo procerum Scotorum consensu Anno 1370 delatum est ad annum 1395 regnavit, de cujus obitu ita *Mac Ferbissii annales.*

Anno 1395. Mac-alcain Rig Alban deug.

1. Walteriades, seu Walteri filius Rex Albaniæ mortuus est.

In cujus posteris regnum perpetuo ad nos usque mansit: idque ita, ut pater filium semper successorem reliquit ad Jacobi usque quinti finem. Stuartorum familiæ præluxit Banchuo [106] * Dynasta Loquabriæ è regio Dalriedinorum stemmate originem trahens, quem Macbethus [106] Rex suo titulo cavens, Anno circiter 1050 è

* Bánċu tánaiſe Loċa habain

Pleadan. medio ſuſtulit. Banchuonis filius Fleannus [107] paterno caſu edoctus aufugit in Walliam; ubi cum Neſta Walliæ Principis Griffini filii Lewellini filia matrimonium contrahens ex ea Walterum [108] genuit cui domum reduci, & ſub Malcolmo [107] 3. florenti Stuarti cognomen in poſteros derivatum adhæſit. Huic ex Alano filio nepos Walterus [111] Alexandrum [111], & Robertum [111] Lenoxiæ Comitum Satorem procreavit: Alexandro filius erat Joannes [112] pater Walterii [113], qui Robertum [115] Regem ex Majoriâ [114] Bruſia ſuſcepit.

Robertus Anno regni ſecundo Euſemiam Comitis Roſſiæ filiam quinquaginta annos natus duxit; ſed eâ, relictis duobus filiis Waltero [116] Atholiæ, & Davide [116] Strathernïæ Comitibus è vivis ſublatâ, concubinam ſuam Elizabetham Adami Moor Equitis aurati filiam, ex qua ante initum regnum filios habuit, ſibi matrimonio conjunxit, & filios ex ea prognatos prioris conjugii filiis natu minoribus prætulit viz. Robertum 3 Succeſſorem, Robertum [116] Albaniæ Ducem, & Alexandrum Comitem Buchaniæ Alexandri illicito toro nati, Marriæ Comitis patrem.

Robertus [116] Dux Albaniæ filios habuit Moredacum [117] Albaniæ Ducem, & Joannem [117] Buchaniæ Comitem. Moredacus ille ad thronum aſpirans cum Waltero filio, & Lenoxiæ Comite complicibus capite plexus eſt, Anno 1425, ut habent *Dungall: Annales* (*d*), altero filio Jacobo in Hiberniam pulſo, ibique Anno 1429 defuncto; ut in iiſdem Annalibus.

d Mhoireadach Stiubhard 7 a mac Baltar 7 Murchadh Leinna do mharbhadh le Righ Alban. *Dungall. annal. ad annum* 1425.

Joannes [117] Buchaniæ Comes ſub Carolo 7. Galliæ Rege ſeptem Scotorum millibus ſtipatus meruit, factuſque fuit Franciæ Conſtabularius in prœlio apud Vernoyl in Gallia 28 Aug. 1424 occiſus.

Walterus [116] Atholiæ Comes priori conjugio natus, eoque titulo regnum affectans Jacobo [117] 1. Regi violen-

lentas manus intulit, & ipſe extremo ſupplicio pœnas luit, 501 Anno 1437.

David [116] Stratherniæ Comes Walteri Germanus unicam filiam hæredem reliquit Patricio Graham Domini Graham ſecundo filio elocatam: ex quo connubio genitus eſt Meliſſus Graham Stratherniæ comes; cujus ſemine oriundus David Stratherniæ comes à Carolo 1. Britanniarum Rege creatus.

Robertus 3. Rex 67. Anno 1395

Robertus [116] 3 Joannes ante regnum dictus patris Roberti obitu Rex Scotiæ Anno 1395. Anno 1406 vivere deſiit. Cui filii Jacobus Rex, & Joannes ante patrem mortuus.

Jacobus 1. Rex 68 Anno 1406.

Jacobus [117] 1. patri ſucceſſit, Anno 1406, Anno 1408 in Galliam trajiciens mari ab Anglis captus Henrico [111] 4. traditur die 30 Martii. In cuſtodia manſit ad annum 1424. Quo liberatus (agnito prius per Homagii cæremonias ſe homine ligeo Angliæ regis, ut Scotiæ ſuperioris Domini, Henrico [119] 6 tum regnante) uxorem accepit Joannam [118] Henrici 4. Regis ex Joanne fratre Somerſettenſi Comite neptem: Jacobi 2. Scotiæ Regis, & Margaritæ genitricem; ſecundis etiam nuptiis Jacobo Stuarto è Lornenſi familiâ traditam; matrem Joannis Atholiæ, & Buchaniæ comitis Atholiæ, & Buchaniæ Comitum ſatoris.

Margaritam filiam Jacobi 1. Anno 1436 Ludovico 11 tum Galliæ Principi enuptam, ſed ſine ſobole extinctam centum quadraginta heroinæ è Scotia concomitatæ ſunt omnes in Gallia elocatæ.

Jacobo

Jacobo Regi mortem intulit patruus ſuus Atholiæ Comes 21 die Februarii in quadrageſimâ anni 1434.

Jacobus 2. Rex 69. Anno 1437.

Jacobus [118] 2 patrem excipit Anno 1437. ſeptem annos natus fortuitò pilâ è tormento bellico diſploſâ in Roxburough caſtri obſidione Anno 1460, cum regnaſſet annos viginti tres cum dimidio, occiſus in Northumbria.

Maria Regina Gallandæ Ducis filia Anno 1463 defuncta Jacobo Regi tres filios Jacobum 3 Regem, Alexandrum Albaniæ Ducem, Joannem Marriæ Comitem, & duas filias Marianam D. Jacobi Hamiltonii conjugem, ex qua Hamiltonii Arraniæ Comites geniti, & Catharinam enixa eſt.

Alexandro filius erat Joannes Dux Albaniæ ſub Jacobo 5. Joannes Marriæ Comes Jacobi 3 fratris mortem ſortilegio machinatus apertis ad mortem venis mulctatus eſt.

Jacobus 3. Rex 70. Anno 1460.

Jacobus [119] 3 Secundi filius undecim annorum Rex Anno 1460 cœpit poſt annos regni octo & viginti à conjuratis acie fuſus ſuccubuit, Anno 1488, 4 Decembris ſepultus.

Margarita Chriſtiani 1. Daniæ, Sueciæ, & Norwegiæ Regis filia 10 Julii, anno 1469. 12. annos nata Jacobo Regi matrimonio juncta, Orcadum Inſulas plus minus triginta Cathneſiæ in ultimis Scotiæ finibus objacentes coronæ Scoticæ in dotem attulit; 26 Februarii Anno 1485 defuncta. filios duos relinquens Jacobum 4 Regem, & Jacobum Rothneſayæ Ducem,

Ar-

Archiepiscopum S. Andreæ Anno 1475 natum, & die 13 Januarii 1507 denatum.

Jacobus 4. Rex 71 Anno 1488.

Jacobus [120] 4 quatuordecim annos agens patri suffectus Anno 1488 regnavit annos viginti quinque cum tribus mensibus prælio apud *Floddonhill* in Northumbria à Thoma Howard Surriæ Comite debellatus cecidit, die 17 Martii, Anno 1513.

Margarita [121] Henrici [120] 7 Angliæ Regis Senior filia, Edwardi [119] 4 ex Elizabetha [120] filia neptis 29 Novembris Anno 1489 nata: 8 Augusti Anno 1503. Jacobo Regi nupta Jacobum 5 Anno 1512 peperit: Archibaldo Douglas Angusiæ Comiti Anno 1514 renupta Margaritam [121] genuit Matthæo Stuarto Lenoxiæ Comiti Anno 1544, mense Junio desponsatam, & ipsa 24 Novembris Anno 1541 obiit Archibaldo Comite, Anno 1534 viduata.

Jacobo 4 item Regi filius erat illicito toro natus Jacobus Moraviæ Comes.

Jacobus 5. Rex. 72, Anno 1514.

Jacobus [121] 5 Jacobi 4 filius Anno 1514 bimulus patri surrrogatur, Rex Scotiæ Magdalenam Francisci 1. Galliæ Regis filiam Kalendis Januarii Anno 1537 Parisiis in conjugem duxit infra eundem annum sine prole extinctam: deinde Anno 1538 Dominica Trinitatis matrimonium iniit cum Mariâ Guisiâ filia Claudii Guisii Ducis, Renati Lotharingiæ Ducis filii Junioris, & per matrem Antoniam Barboniam nepte Francisci Comitis Vendocimensis, qui fuit Henrici 4 Galliæ Regis proavus; quibus nuptiis in lucem prodiit

ceri mandavit; unde post octodecim annorum custodiam in scenam educta 8° Februarii die, Anno 1581, ætatis 46, apud Fodringhay castrum collum regium securi amputandum submisit.

Stuarti Lenoxiæ, seu Leviniæ Comites paternum Stemma ducunt à Roberto [111] Stuarto, cujus fratre Alexandro Stuarti Scotiæ reges prognati: à quo Roberto rectâ linea masculina descendit Alanus [117] Stuartus, qui Roberto [115] 2. regnante, nuptiis cum Donnchadi prisci Leviniæ Comitis Momoniæ in Hibernia regibus (e) oriundi filia contractis Lenoxiæ comitatu honoratus Joannem [118] Lenoxiæ Comitem ex eâ genuit, & Robertum [118] Scoticæ cohortis in Gallia Tribunum, quem ob bellicam gloriam Carolus 6 D'aubignii in Avergne Dominum creavit, cujus filius, nepos, aut agnatus Bernardus, aut Eberardus D'aubignii Dominus; de quo cum laude meminit Paulus Junius ob præclara facinora bello Neopolitano sub Carolo 8, & Ludovico 12 Galliæ Regibus exantlata. Etenim D'aubignii Domini in Gallicis, & Neopolitanis bellis tam celeberrimi nominis erant, ut iis Reges Galliæ sua ipsorum insignia cum fibulis aureis in limbo rubeo concesserint, addita inscriptione; DISTANTIA JUNGO: Quod eorum operâ regna Galliæ, & Scotiæ tanto intervallo sejuncta ad Angliam infestandam conjungerentur.

(e) *Oggiæ part.* 3. c. 81.

Joannes [118] Lenoxiæ Comes genuit Matthæum [119] Lenoxiæ Comitem, qui ex Jacobi Hamiltonii filiâ, eâdemque Jacobi [118] 2. Regis per Marianam [119] sfiliam nepte Joannem [120] suscepit Lenoxiæ Comitem ab avunculo suo Arraniæ Comite trucidatum, cui filii superfuerunt Matthæus [121] Lenoxiæ Comes, Robertus Cathaniæ Episcopus, post Caroli ex fratre nepotis obitum Lenoxiæ, & Marchiæ Comes, & Joannes [121] Dominus D'aubignii.

Matthæus [121] Lenoxiæ Comes, & sub nepote suo Jacobo 6. Infante Scotiæ vices gerens sclopeto trajectus Anno 1572, ex Margaritâ Dowglassiâ Jacobi [121] 5. Regis Sorore uterinâ Carolum [122] Lenoxiæ Comitem, & Henrici cum [122] Scotiæ Regem procreavit. Post Caroli vero obitum, cui superstes Arbella filia Uxor Guilielmi de S. Mauro * Hertfordiæ Comitis in Anglia Anno 1618 improlis extincta, Lenoxiæ honor ordinum Scotiæ decreto Anno 1579 ad Coronam devenit; Sed Robertus Cathaniæ Episcopus eo aliquamdiu post durante vita, potitus est.

* Seymor.

Joannes [121] D'aubignii Dominus pater fuit Esmei [123] D'aubignii Domini, in quem Jacobus M. Britanniæ Rex Lenoxiæ Ducis titulum contulit, ejusque filium Ludovicum [123] Esmeum Lenoxiæ Ducem Richmondiæ in Anglia Comitem Anno 1614 & Richmondiæ postea Ducem instituit. Cujus fratrem Esmeum [123] D'aubignii Dominum, ipso sine liberis de corpore uxoris suæ Franciscæ Howard Thomæ Vicecomitis Bindon filiæ susceptis defuncto, Idem Rex 7. Junii 1619 in Ducem Lenoxiæ, & Richmondiæ sublimavit.

Esmeus [123] Lenoxiæ, & Richmondiæ Dux ex Catharina filia, & hærede Gervasii Domini Clifton de Leighton, & Bromeswold progenuit Elizabetham, Henrico Domino Maltravers marito, Thomæ Howard Arundeliæ, & Surriæ Comitis nurum: Jacobum [124] Lenoxiæ & Richmondiæ Ducem 30 Martii Anno 1655 mortuum Ludovicum, Joannem, Bernardum, Catharinam, Annam Dowglassii in Scotia Marchionis conjugem: Franciscam Hieronymi Weston Portlandiæ Comitis conjugem, & Georgium Dominum D'aubignii Suffolciæ Comitis generum.

Jaco-

Jacobus. 6. Rex 74.

Jacobus [13] 6 Anno 1566 die Junii Edenburgi in lucem editus, Anno 1567 29 Julii post patris cædem Sterlingæ coronatus: Anno 1603 24 Martii Elizabethæ Angliæ Reginæ obitu Angliæ regnum matris jure, quæ Henrici 7 Angliæ Regis majorem natu filiam aviam præferebat, ad eum devolutum adeptus est Magnæ Britanniæ ex utroque regno unito, & Hiberniæ Rex

De morte Elizabethæ 26 Martii certior factus 5 Aprilis iter in Angliam suscepit ubi apud Westmonasterium super fatale illud marmor Scoticis Majoribus debitum monumentum 25 Julii sequentis solenni ritu cum Regina inauguratur: 27 Martii die Dominicâ apud Theobalds prope Londinum Anno 1625 diem clausit extremum.

Anna Friderico 2 Daniæ, & Norwegiæ Rege Anno 1574 nata, Christiani 4 Regis soror Anno 1589 23 Novembris in arce Aggerhusiana in Norwegia Jacobo Regi matrimonio copulata; Anno 1590 die 17 Maii Lethæ ad primum Edenburgo lapidem coronatur. Anno 1619 feria 3 secundo die Martii proximi post visum 18 Novembris cometam vivere desiit; cujus soboles Henricus Fridericus Walliæ Princeps 19 Februarii 1594 natus; 6 Novembris 1612 denatus. Elizabetha 19 Augusti 1596 nata, & Carolus Rex.

Elizabetha 14 Februarii Anno 1613 Quinquagesimæ Dominicâ nuptum data Friderico 5 S. R. I. Principi Electori, Palatino Rheni, Qui Anno 1619 26 Augusti S. V. factus Rex Bohemiæ adversus Imperium: Anno 1623 depositus: Anno 1632 defunctus, Quorum filii Fridericus Henricus Heidelbergiæ 2 Januarii Anno 1614

monium consummatum: ex quo generati

1. Carolus Jacobus 13 Maii Anno 1629 natus infans mortuus.

2. Carolus 2 Rex 29. Maii Anno 1630 S. Jacobi ædibus natus.

3. Maria 4° Novembris 1631 nata. Quæ 2° Maii Anno 1641 Guilielmo Nassavio Aurantii principi unde viginti annos tum agenti denupserat; quo, Anno 1650 in Octobri decedente, Novembri Principem Aurantium posthumum edidit, & ipsa Londini Anno 1660 mense Decembri defuncta est.

4. Jacobus Eboraci in Anglia, & Albaniæ in Scotia Dux, Ultoniæ in Hibernia Comes 13 Octobris Anno 1633 S. Jacobi ædibus natus: 24 Junii Anno 1646 in deditione Oxoniæ captivus Anno 1648 in Hollandiam relegatus; inde in Galliam profectus anno 1660. patriæ restitutus modo vivit.

5. Elizabetha nata 28 Januarii, Anno 163⅞ mortua 8 Septembris 1650.

6. Anna nata 17 Martii 163⅞ ante patrem è vita excedens.

7. Henricus Dux Gloceſtriæ ædibus S. Jacobi natus 8. Jul. 1640. 16 Augusti 1660. Londini defunctus.

8. Henrieta Exoniæ 16 Junii 1644 nata.

Anno 1661. Philippo Borbonio Ludovici 14. Galliæ Regis fratri tum Andegavensi, dein Aureliano Duci enupta: cujus unica filia

Caroli 2. Hispaniæ Regis nuptiis Hispaniæ nunc Regina.

Carolus 2. Rex 76. Anno 1649.

Carolus 2. Anno 1649 patris interitu M. Britanniæ & Hiberniæ Rex in exilio, Anno 165⅞ Kalendis Januarii

V. CICCARELLI
RESTAURO LIBRI
ROMA TEL. 385.585

18 GIU 1974

Digitized by Google